

JOANNIS LUDOVICI
SCHÖNLEBEN,
HORÆ SUBSECIVÆ
DOMINICALES
PARS II.

JOANNIS LUDOVICI
SCHÖNLEBEN,

Carnioli Labacensis, SS. Theologiæ Do-
ctoris, Protonotarij Apostolici, Archi-Dia-
coni Carniolis Inferioris.

HORÆ SUBSECIVÆ
DOMINICALES.

SIVE

DISCURSUS
SACRI DE TEMPORE
In Dominicas totius Anni

PARS ÆSTIVA ET AUTUMNALIS

A PENTECOSTE USQUE AD ADVENTUM.


Annexis aliquot Panegyricis Academicis.

Cum quadruplici Indis I. Discursuum.

II. Locorum Sacræ Scripturæ. III. Rerum & Verborum.

IV. Historiarum & Mythologiarum.

Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Cæsareo.



SALISBURGI,

Sumptibus & Typis MELCHIORIS HAAN, Typographi
& Biblioposæ.

ANNO M. DC. LXXVI.

JOHN W. LUDWIG
PHOTOGRAPHER

HORROR SUBSTITUTION
D. W. LUDWIG

1911

Nullum ferè est Speculum illustrius malitiæ, vel bonitatis hominum, aut divinæ in nos iræ, quàm TEMPORUM vicissitudines. Id significare voluerunt antiqui, cum HORAS cœli portis præesse dixerunt ; quæ pro arbitrio & nubes inducerent, & cœlum serenum facerent, & omnibus temporibus moderarentur, *Natal. Comes Mytholog. lib. 4. c. 16.*


DEDICATORIA.

ILLUSTRISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO,
DOMINO

J O A N N I
H E R B A R D O
S. R. I. C O M I T I
D E K A T Z E N S T E I N ,

Libero Baroni in Flednickh, Piberbach,
& Stainhaufs, Supremo Hæreditario Thesau-
rario in Carniola & Vindorum Marcha, Sac. Cæs. Maj.
Consiliario Arcano & actuali Camerario, Supremo Capita-
neo Comitatus Goritiensis, Prætori & Judiciorum
Præfidi Carniolæ, eiusdemque Inclytæ Pro-
vinciæ Deputato, &c.

DOMINO DOMINO GRATIOSISSIMO.

Lurima sunt *Illustrissime & Excellentissime*
Domine Comes, quæ me pridem horta-
bantur, ut è lucubrationibus meis
portio aliqua *Excellentiæ Tuæ* destinaretur
patrocinio. Idque reipsa pridem
eniti volui, effecissémque profectò, nisi HORÆ

D E D I C A T O R I A.

meæ, quas avarè cœteròquin custodio, non paucissimæ aliæ domesticis, aliæ alienis interpunctæ curis, alia hygeiæ consecratæ, aliæ etiam publico dicatæ commodo avolassent. Paucas per intervalla retinere, & quasi fugacis temporis spoliū asservare licuit; quæ ipsæ quoque ne pereant (quid enim sub sole securum est absque tutela?) ad *Te* quodam, ut ita dicam, non tam animosi, quàm annosi affectus impetu provolant: non nesciæ habituras se in *Tuo* Musæo securum asylum, qui iam inde à teneris annis Tempora, tempore temperare didicisti. Et quia **ÆSTATEM** cum **AUTUMNO** cōnectunt, nupiam se tutiores arbitrantur, quàm apud *Te*, cuius universæ vitæ negotia, & *Æstatis* fervorem, & *Autumni* præferunt ubertatem. Præluisti iam olim (delectat enim meminisse) in flore ætatis magnitudini, ad quam *Te* virtus iam virum esset provectura: nec à maioribus degener vernantibus annis jacta literarum semina per stagyræas pariter & Justinianæas porticus, in mesles consiliorum, & fructus fœcundos successuum transtulisti. Sunt quos Indigetum accenturiat stationi longa annorum serie digesta nobilitas; quos suo in *Albo* recenset humanitas; quos commendat mellitæ orationis suada,

quos

DEDICATORIA.

quos fasti enumerant inter Magni Consilij Angelos, quos in rebus suscipiendis magnanimitas, in gerendis dexteritas, in exequendis felicitas, singulæ singulos amabiles reddunt ; in *Te* verò ita conspirant virtutes singulæ, ut simul omnes ; ita omnes ut singulæ de primatu concertent. Nolo hic percensere magnos Proavos, quorum iam inde ab Anno 1150. quantum hætenus è vetustis chartophylarijs deprehendi potuit, virtus destinatur Annalibus : Eberhardos Patriarchis Aquileiensibus familiares, Theobaldos in Ecclesias munificos, Wolfgangos, Perones, Joannes contra Ottomannicam Lunam fortissimos Strategos : Joannem Supremum Carnioliaë Capitaneum, eundemque Christiani nominis propugnatores Solimanno formidatum, cuius magno nomini atrorem quidem affudit calamus Scriptoris heterodoxi, sed eluunt hostium manibus erepta documenta, & scriptæ ante seculum vindiciæ commilitonum : Prætereo Franciscum Principem Episcopum Labacensem ; Georgium Andream Prætores & Judiciorum Præsides ; Balthasarem Deputatum Provinciaë, Assessorem Judiciorum & per complures annos substitutum Mareschallum : quin & alios suo loco nominandos, quos sapientissimè decernis

ita

DEDICATORIA.

ita vixisse posterorum virtuti, ut essent exemplar potius, quàm laudis alienæ materia. Cordubensis Philosophi vox est: *Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Quis ergo generosus? ad virtutum benè à natura compositus.* Sen. Epist. 44. *Illa Tua Excellentissime Domine Comes propria esse, nemo inficias ierit, quæ Te summis Principibus charum, æqualibus venerandum, subditis gratiosum efficiunt: quod scilicet dissidentes Te felicem pacis arbitrum; concordēs, amicitiaē stabilis fidelem Achatem; perplexi, in rebus arduis sapientem suasorem; oppressi è Labyrintho infortunij Ariadnam, peregrini Mœcenatem munificum, domestici magnificum, non tam optent quàm experiantur. Ut iam nihil dicam de raris naturæ dotibus, quæ Augustissimo nostro Cæsari perspectæ effecerunt, ut Te duabus Provincijs magno earum emolumento simul præficeret; alteri ut Supremum Capitale, alteri ut Prætorem, & Judiciorum Præsidem: quibus veluti ambidexter ita prospicis, ut utrobique (quod hætenus dubitarunt fieri posse Philosophi) *agas in distans*, quod non nisi magnæ virtutis est. Expressis quod de Præside olim aiebat S. Gregorius Naz. *Præses nihil aliud esse videtur, quàm virtutis adiutor, & vitij adversarius.**

Epist.

DEDICATORIA.

Epist. 46. Hæc verò in parte solum ordo laudum *Tuarum* constitui debent. Neque enim hæc sphæra activitatis contentus Magnus ille *Tuus* animus : ætate licet iam graviore , pro publico Patriæ bono magna & laboriosa sæpenumerò itinera aggredi nihil reformidas , in quibus volare potiùs quàm proficisci videris , Et inter hæc omnia (ignosce veritatem professo assentationis ignaro) quaquà incedis , cum *Te* omnes in alto honoris fastigio locutum venerentur : eò tamen amant ampliùs , quod non Magnus magis , quàm Bonus audire desideres ; & duas res disjunctissimas magnitudinem & modestiam ; auctoritatem & affabilitatem prudenter commisceas. Unde prodeuntem in publicum certatim , quibus præes , velut beneficum ac salutare quoddam sydus aspiciunt , & inter amorem timorèque medijs , alterius judicij ambigunt , Dominum an Patrem salutent. Prorogent vitam bono publico devotam boni cœlites , & HORAS HORIS accumulent , è quarum nexu exigas , non quantum destinavit natura , sed quantum tot animi dotibus mereris ætatem. Quod dum ego votis meis consigno , me quoque in gratiosum Patrocinium pronus subijcio.

Illustriss. & Excellentissimæ Dominat. Tuæ

Labaci Idib. Jan. Anno 1676.

Obligatissimus servus

Joannes Ludovicus Schönleben.



Præmonitio ad Lectorem.

Wilhel.
Malmesb.
de gesti.
Anglo.
cap. 4.



Memorable Horologij genus ex candelis refert
 Wilhelmus Malmesburiensis, cum agit de Alfredo Rege Anglorum, in hæc verba : Viginti quatuor HORAS, quæ inter diem, & noctem jugiter rotantur, ita dividebat; ut octo HORAS in scribendo, & legendo, & orando: octo in cura corporis: octo in expediendo regni negotio transigeret. Erat in Cappella sua candela viginti quatuor partium, ædituusque cui hæc delegabatur Provincia, ut per combustionem Candela Regem de singulis admoneret officijs. Hæc temporis distributio, optanda esset universim omni homini, deinde ijs qui in Republica occupantur, & præ cæteris omnibus Curatis animarum, qui si quotidie octo HORAS in scribendo, legendo, orando fructuosè impenderent: non solum de jactura temporis dolendum nihil haberent, sed insuper cum magna facilitate, & felicitate muneris sui partes implerent. Sed multis potissima temporis portio infumî debet in Oeconomicas industrias: coguntur ut alimenta conquirant, tractare Georgica, & Bucolica potius quam Biblica. Unde rarissimas calamo manus applicat, cum etiam orationis pensum suas HORAS exigit, & sæpè ob nimias in temporalium cura occupationes periclitetur. Non est mei muneris illos docere æquam distributionem Temporis, & HORARUM singularum impendia. Excuso alios necessitate; alios debilitate sive Physica sive morali; alios multitudine peractionum in ipsa Cura animarum: & laudo sic occupatos, si ab alijs collectum mel in suo penu habeant, quod suis propinent Auditoribus His ego etiam per hæc HORAS *subsecivus* ultroneas suppetias fero, ut una HORA collectum habeant, quod multis vix possent conquirere. Verùm, uti alias, ita nunc iterum moneo, me rudioribus & minus instructis re libreria per hunc laborem consultum velle: idq; vel ex eo quisq; colliget, quod Passim historias sacras insertas reperiet. Nihil pro populo, & populari sermone sentio esse utilius, quàm res gestas

Præmonitio ad Lectorem.

has ob oculos ponere, idq; subinde cum aliqua circumscriptione, quam facere debet Curatus, ut simpliciores & hebetes ingenio facilius assequantur quod illis dicitur. *Exemplis utimur in dicendo, ut facilius intelligatur, quod dicitur,* aiebat Aristoteles. Et oratorum Princeps Cicero: *Duo illa nos maxime movent, similitudo, & exemplum.* Experientiam quotidianam testor, qua videmus ad aptè propositum exemplum historicum Auditores ingemiscere, & domi identidem illud repetere ac enarrare. Quin & viros doctos ac eruditos cernere est, qui magis afficiuntur simplici exemplorum narrationi, quam ingeniosis conceptibus: præsertim si accedat (ut debet) pathetica repræsentatio rerum, nativa eloquentia, & correspondens rebus conformatio gestuum. *Qualiter quis loqui potuerit; taliter rem de qua fuerit locutus, attollit;* ut inquit Ennodius. Scriptur sermo est corpus sine anima quod animare debet qui dicit, & facile movet Auditorem qui se ipsum prius movit. Hæc de scire scio; unū quod te scire velle suspicor, paucis expedio. Cur inquires singulis discursibus novi tituli, ijque exotici, inusitati, paradoxis & quasi pompis quibusdam superfluit tumidi? Vino vendibili non opus est hedera: si proba est compositio, non eget splenditis propylæis. Sentirem tecum, nisi ætas nostra negligeret, quidquid ornatu aliquo in fronte destituitur. Strictim uno alterove designare verbulo totius orationis contextum, est lenocinari & orexim excitare Lectoribus, ut avidius percurrant quod scribitur, & fortè quod non sperabant inveniant. Hoc quasi quodam incantamenti genus invenit recens ætas, quo multos allicit ad legendum, omissuros nisi in fronte sermo polliceretur aliquid insolens. Neque tamen nego, sæpè accidere id, quod canebat Poëta: *Parturiunt montes.* Sed parturiant sane in hoc genere, dummodo vel musculum è caverna eliciant. Orpheos & Amphiones non omnes possunt agere. Hæc te scire volui in antecessum: si bene, agnosce: si male, ignosce.

*Arist. lib.
1. Poët.*

*Cic. 3. de
Orat.*

*Ennod.
lib. 1. E-
pist. 6.*



APPROBATIO.

Reverendissimi Metropolitanici Consistorij Salisburgensis,

HAs Horas: Doct: JOANNIS LUDOVICI
SCHÖNLEBEN, &c. Subsecivas Do-
minicales Secundæ Partis nil repugnan-
tes fidei Orthodoxæ aut bonis moribus,
quin potiùs benè successuras bono pub-
lico, publicâ luce dignas esse censeo.

DIONYSIUS WIDMAN, J. U. L.
Celsissimi & Reverendissimi Principis &
Archiep. Salisburgensis. &c. &c. Consi-
liarius Consistorialis, Colleg. B. M. V. ad
Nives Canonicus, & ejusdem Celsissimi &
Reverendissimi Principis. &c. &c. Ephe-
borum Præfectus.

JOANNIS LUDOVICI
SCHÖNLEBEN

Carnioli Labacensis, SS. Theol. Do-
ctoris, Protonotarij Apostolici, Archi-Diaconi
Carnioliae Inferioris.

HORÆ SUBSECIVÆ
DOMINICALES.

PARS II.

S I V E

Discursus sacri de Tempore post
Pentecosten usq; ad Adventum.

DISCURSUS I.
DOMINICA PENTECOSTES.

Osculum Pacis.

T H E M A.

Pacem meam do vobis. *Joan. 14.*

SYNOPSIS.

- | | |
|--|--|
| <p>I. Ignis & tonitru signa sunt i-
vati Dei: hodie tamen per
hæc non insinuatür nisi amo-
ris vehementia, qua Deus se
Dom. Pars II.</p> | <p>inclinans mundo Pacem of-
fert.
II. Et quidem per OSCULUM
quo Judas abusus fuit in si-
gnum</p> |
|--|--|

gnum belli & odij, cum sit alias signum Pacis & amoris.

vinculo pacis adhareamus capiti Christo.

III. Nam verum OSCULUM PACIS est Spiritus Sanctus, qui nos & cum Deo pacem habere docet, & cum proximis,

VIII. Quia nisi omnia membra invicem cohereant non possunt dici Ecclesie membra sub uno capite: non enim animantur à spiritu vivificante que non coherent.

IV. Unde sponsa desiderans dona Spiritus Sancti, petijt osculari seu osculum recipere ab osculo, quod est participare de plenitudine qua Pater in divinis filium osculatur. Cum enim Pater sit Osculans, Filius osculatus, recte Spiritus Sanctus, OSCULUM dicitur.

IX. Sicut in visione Ezechielis insinuat, ubi ossa arida non sunt animata, nisi postquam accessit unumquodq; ad juncturam suam.

V. De cælo venit & datur in terra, ut nos Deo reconciliet in cælo, & in terra cum hominibus jungat: propterea non contenta Sponsa uno OSCULO, plura petit.

X. Et licet singula membra habeant speciales operationes, omnia tamen animantur ab eodem spiritu, unde alius excellit in Sapientia, alius in scientia, alius in gratia sanitatum &c. Proinde qui ab hac unione cum membris divijus est, non vivit spiritu.

VI. Dat verò Deus hoc osculum hanc pacem, non quomodo mundus dat, qui osculatur ut Joab, ut Absolon sic & fraudulenter.

XI. Et cum studiosi Pacis sint filij Dei, qui ab hac Pace separantur sunt filij Sathane. Tales ne essent Christiani in primitiva Ecclesia in Missa invicem osculabantur. Et nos si unanimes cum Deo & proximo vivimus, signum est quod hodie receperimus OSCULUM Pacis, Spiritum Sanctum.

VII. Sed dat Deus Pater in Osculo Filij uniendo naturam divinam nature humane per operationem Spiritus Sancti: ex quo debemus colligere quod sumus invicem membra, & in

Pacem meam do vobis. *Joan. 14.*

I.

ECœlo quid expectari possit nisi divinæ bonitatis effusa liberalitas, nisi amor & beneficentia? Hodie tamen, sonus Spiritus vehementis quasi tonitru, ignis dispertitus, quasi flammæus imber, quæ terroris potius argumenta sunt quàm amoris, è cœlo descendunt. *Intonuuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis.* canebat Psalteres cum iratum Deum describeret: &: *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo:* Nunquid & hodie sonus Spiritus vehementis, & dispertitæ linguæ tanquam ignis iratum mundo Deum ostendunt? Sanè cum ingratiſſimus mundus non ita pridem unigenitum Filium suum per inauditæ crudelitatis tormenta extinxerit, immensâ eius beneficia malefactoris compensaverit, expectare aliud pro meritis suis non poterat, quam grandinem, ignem, fulmina, exterminium, nisi Deus se Deum meminisset, qui pro injurijs gratias, pro ingratitude beneficia, pro malo bonum reddere consuevit. Unde Spiritus hodierni vehementia non est nisi amoris impatientia, qua inimicos sibi reconciliare accelerat; ignis dispertitus non est nisi ardor inexhausti amoris, quo omnes & singulos in gratiam & amicitiam vult recipere. *Ideo inclinavit cœlos & descendit, & contra naturam ignis cuius est in altum ferri, se demisit mundo Pacem offerens: Pacem meam do vobis: sed notate: non quomodo mundus dat, ego do vobis:*

Pf. 17.

Ibid.

bis: Quàm diversa igitur sit Pax Dei à pace mundi, quæ hodie nobis offertur, præfenti sermone paucis complectar.

II. Atq; ut ordiar ab ingratitude nostra, ut tanto clariùs elucescat divina beneficentia, quâ ingratos complectitur, reflectite oculos vestros ad pacem illam, quam impiissimus Judas, quasi personam sustinens totius mundi Christo obtulit in horto Gethsemani. Cum enim venisset hora, qua per passionem suam Dei Filius consummaret opus Redemptionis humanæ. *Venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs, & lignis* (ut ait Marcus) In quem finem cum gladijs & lignis, & fustibus, & armis? Ita ad bella proceditur. *Et accedens ad eum ait: Ave Rabbi, & osculatus est eum*: Pacem daturus venit, & bellica instrumenta cum turbis apportat. Sic nempe mundus Pacem offert. *Ab OSCULO incipitur bellum, & per pacis signum, pacis rumpitur sacramentum*: ita loquitur Augustinus. Ergo OSCULUM PACIS SIGNUM, exordium est funestissimi belli, quod totus mundus cum suo gessit Salvatore. Hactenus auditum est, *Belli finis PAX*: nunc viceversa *Belli initium Pax est*: nisi fortè alia sit Pax quam offert mundus, alia quam offert Deus; alia quam simulat Judas quasi antesignanus humani generis, alia quam daturus mundo Dei filius in mundum venit. Et ita sanè est: Simulata pietas, maxima impietas: fraudulentum *osculum* non est amoris aut Pacis signum, sed odij velamen. Qui sic osculatur, mordet; qui sic amat odit. Divinæ verò pietatis illa est œconomia, ut cum disponat omnia suaviter, etiam arma odij vertat in amoris instrumenta, & quæ mundus excogitat

Marci. 14

S. Aug.
serm. 121.

tat in dolos & fraudes, ea Deus adhibeat sincere amicitiae stabiliendae.

III. Etenim: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur & simus*: Ingratos Deicidas, Filij Dei per osculi signum proditores, hodie recipit in OSCULO PACIS sancto, per quod nos sibi & Filio vult unire, *ut Filij Dei nominemur & simus*: Voluit ut postrema responderent primis. Initium Redemptionis nostrae cepit ab OSCULO, completa sunt Redemptionis mysteria per OSCULUM cum *complerentur dies Pentecostes*: dum Apostoli, & cum ijs congregata fidelium turba *repleti sunt Spiritu Sancto*: Miramini quod missionem Spiritus Sancti appellem OSCULUM? at ego efficiam ut agnoscatis in ea verum OSCULUM PACIS, & quidem non pacis tantum cum Deo, sed & pacis cum proximo, quo monemur & Deum qui prior dilexit nos rediligere, & proximum nostrum eiusdem participem OSCULI, vera fraternam charitatem amplecti. Neq; enim alia de causa existimo & promissum & datum credentibus Spiritum Sanctum.

IV. Doctor Angelicus agens de Spiritu Sancto inter cetera sic inquit: *Spiritus Sanctus ex modo suae processione est nexus & unio, & vinculum Patris & Filij*. Sanctus vero Augustinus: *Spiritus Sanctus est Patris & Filij amor & connexio*. quo scilicet Pater Filium, Filius patrem amat. Quid vetat dicere est OSCULUM quo Pater & Filius invicem *Osculantur*. Sanè si OSCULUM Cypriano est *Concordia PACIS lex unanimitalis*: si Augustino & Bernardo est *PACIS indicium PACIS signum*: si Ambrosio est: *Sacra PACIS insigne & fidei sanctae signaculum*: si Chrysostomo est: *Charitatis igniculus & fomes*:

1. Joan. 3.

D. Tho. in
1. dist.
103.Cyprian.
M. lib. de
unit. Eccl.
Aug. ser.
121.
Bern. ser.
1. in Cant.
Ambr. in

*Pfal. 39.
Chrysof.
hom. 30.
in Ep. 2.
ad Cor.*

*S. Bern.
ser. 8. in
Caut.*

Cant. 1.

*Idem
Bern. ser.
cit.*

si Hailgrinò Cardinali est *dulcis & delectabilis duorum conjunctio, signum dilectionis, & PACIS*: rectè senserit, qui Spiritum Sanctum quo Pater & Filius mutuo amore inardescunt, appellaverit *OSCULUM Pacis*. Ea fuit melliflui Bernardi intentio cum diceret: *Illamutua gignentis genitiq; cognitio pariter, & dilectio, quid nisi osculum est suavissimum?* Unde acutè infert sponsam dilecti anhelasse ad percipienda dona Spiritus Sancti, cum amore faucia exclamavit: *Osculetur me osculo oris sui*: Ab osculo petit osculum non ab ipso ore, quia ore ad os se Pater & Filius osculantur, & hoc illis solis convenit; cæteri de *OSCULO* participant id est de donis & charismatibus Spiritus Sancti. *Qui plenitudinem capit*, inquit S. Doctor, *OSCULUM de ore sumit*: qui *verò de plenitudine OSCULUM de OSCULO recipit*: unde concludit: *Nempè si rectè Pater OSCULANS, Filius OSCULATUS accipitur*; non erit *abs re OSCULUM Spiritum Sanctum intelligi*, utpote qui *Patris Filijq; imperturabilis PAX sit, gluten firmum, individuus amor, indivisibilis unitas*: Ac proinde sponsa quæ *OSCULUM* petit ab *OSCULO*, petit participare de Spiritu Sancto: quatenus *PACEM* imperturbabilem cum Deo pariter, & cum proximo sèrvare possit.

V. Id fanè videtur attigisse D. Gregorius dum causam inquit cur detur Spiritus Sanctus in terra, cum de cælo detur: nempè ut quia cæleste donum est *PACEM* cum Deo habeamus, quia in terris datur *PACI* mutux & concordix studeamus. *In terra datur Spiritus ut diligatur proximus, è cælo datur Spiritus, ut diligatur Deus: sicut ergo una est charitas, & duo præcepta: ita unus Spiritus & duo dona:*

*S. Greg.
hom. 26.*

Duo

Duò inquit dona & unus Spiritus, & tamen unum tantum petit OSCULUM, quia uno Spiritu una charitate amare vult Deum & proximum. Quamquam & pluralitatem donorum in iisdem verbis expressam observant septuaginta Interpretes, Ambrosius, Aponius & alij qui legunt: *Osculetur me ab osculis oris sui*: Nam ut loquitur Ambrosius: *Que diligit non est unius osculi parcitate contenta, sed plura exigit, plura vindicat, & ita se amplius dilecto commendare consuevit*: Jam ergo intelligimus quam PACEM nobis hodie largiatur in Evangelio Christus benedictus: *PACEM meam do vobis*: Pax eius est eius mutuus amor cum Patre, dum operatur ad intra; Pax eius est amor proximi & totius humani generis cuius amore factus homo sustinuit mortem dum operatur ad extra. *Pacem meam do vobis*: quasi diceret Spiritum Sanctum qui me cum Patre conglutinat & unum facit, qui est OSCULUM quo me Pater ego Patrem de osculor *do vobis*, ut eius dono vos quoq; de osculor, & pacem inter vos & Patrem meum, imò & mutuam inter vos sanciam.

VI. *Pacem meam do vobis*, Spiritum Sanctum meum do vobis qua ratione? *non quomodo mundus dat*, quia mundus dat pacem verbis & exterioribus signis, in corde iras & rancorem fovet: Respicite Absolonem ut paterno sceptro inhians subdola inventione advenientes amplectitur, manus eorum deosculatur, & affectum sibi demereri vult, non quod illis sed sibi tantum bene velit. Respicite Joab qui occurrens Amasæ eumq; compellans *Salve mi frater*, nihil minus cogitat, quam de fraterno amore. Nam dum se fingit osculum figere, sicam occultè vibrat, & incautum perimit. O quot hodie in mun-

S. Ambr.
lib. de I-
saac c. 3.
Apon. in
Cant.
Pagni. va-
tab. Gene-
br. ap.
Scherl.
Vol. 2.

2. Reg. 25.

ibid c. 20.

Barcl.
Arg.

mundo Absolones, quot Joab repereris, ut nōn-
mo dicat : *Pervicacissima ars aularum amorem fingere* :
sub amici pallio latent jurati hostes, sub risu liven-
tia corda, sub salutatione diræ imprecationes, sub
laudum elegantiiis virulentæ ironiæ. Præsenti de-
fertur, absenti detrahitur : coram appellatur ami-
cissimus, à tergo capitalissimus hostis. Hoc non
est sectari pacem, sed dissensionem. Neq; enim e-
iusmodi personata benevolentia diu potest latere.
Tenuè mendacium est, pellucet cum diligenter in-
spicitur : & quid inde sperari potest, quàm amaritu-
do cordis, quàm sævissimæ inimicitia.

Hailgr.
Card. in
Cant.

VII. *Pacem meam do vobis* : quomodo ? in *Os-
culo* paterno, sicut Pater me amat ut filium, sic ego
vobis offero paternum affectum, desiderans vos a-
doptare in cohæredes, volens efficere meos fratres,
ut & vos Filij Dei nominemini & sitis. *Videte qua-
lem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nomine-
mur & simus* : quod ponderans Hailgrinus Cardina-
lis aiebat : *DEUS Pater in OSCULO Filij sui
OSCULATUS humanam naturam, in quo OSCU-
LO habetur dulcis unio & delectabilis conjunctio duarum
naturarum in Christo* : Nostra itaq; natura in OSCU-
LO PACIS per operationem Spiritus Sancti unita
est naturæ divinæ, siquidem Beatissima Virgo quæ
has duas naturas coniunxit *Concepit de Spiritu San-
cto* : quid inde aliud possumus vel debemus elicere ?
quàm quod hodie nobis mittatur idem OSCULUM
PACIS quo sancita inter Deum & hominem Pax
stabilietur, & omnes unum corpus effecti cum
Christo ceu capite adhæreamus invicem ut mem-
bra, concordēs, unanimes, idem sapientes in uno
Spiritu in OSCULO PACIS, amantes Dei & pro-
ximi.

ximi. Eo tendit illa exegesis S. Fulgentij: *Necessarium nobis est, ut sicut de Spiritu Sancto natus est Christus, quando Deus unigenitus in utero Virginis unitus homini tanquam sponsus processit de thalamo suo, sic Ecclesia dono Spiritus Sancti adhaereat Christo tanquam mulier viro suo, & tanquam corpus capiti suo.*

S. Fulg.
lib. 2. ad
Mon. c.
10.

VIII. Notate postrema verba *tanquam corpus capiti suo*: quia corpus multa continet membra, & nisi hæc membra adinvicem cohæreant ac uniantur, nequaquam dici possunt unum corpus, multo minus possunt eodem Spiritu animari. Ita prorsus se habet in mystico Ecclesiæ corpore, quod ex multis constat individuis, & nisi omnia inter se per charitatem uniantur non possunt dici membra Ecclesiæ, sub eodem capite Christo: non possunt ab eodem Spiritu animari. Unde aiebat Paulus: *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*: In uno inquit Spiritu, ut scilicet idem Spiritus sit, qui caput coniungit corpori, & corporis membra ad invicem. Hoc sensu orabat Servator noster ad Patrem: *Pater sancte ser-va eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos*: quæ verba premens Clemens Alexandrinus: *Charitatis (inquit) pacis, & concordie vinculum petit, quod ad tantam spirituales credentes unionem perducatur, ut naturalis consubstantialisq; in Patre, Filio atq; Spiritu Sancto unionis similitudinem imitetur*: Et hoc vinculum, hanc unionem, hoc PACIS OSCULUM hodie nobis offert, idq; in specie ignis, & Spiritus flantis. Ignis innuit mutuam concordiam, & unanimi-
tatem. Ignis virtutem habet copulativam, quia per ignem metalla copulantur, ait Berchorius. Spiritus verò coniuncta membra animat & vivificat, quia corpus Ec-

1. Cor. 12.

Joan. 17.

Cyriil. A.
lexand.

Berchor.

clesiæ debet esse vivum non mortuum, non cadaver.

IX. Hanc mutuam unitatem in OSCULO PACIS, indicare voluisse videtur Deus illa visione Prophetæ Ezechielis, qui deductus in spatiosum campum plenum ossibus, iussit Prophetare, & ossa illa arida alloqui: *Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus ossibus istis: Ecce ego intromittam in vos Spiritum, & vivetis.* Fecit Propheta quod imperatum erat: *Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio.* Videor hic mihi audire illud: *Factus est repente de cælo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis.* Pergit Propheta: *Et accesserunt ossa ad ossa, unumquodq; ad juncturam suam.* Cumq; iustus advocasset Spiritum: *Ingressus est in ea Spiritus & vixerunt.* Quis hic Spiritus fuerit, ex sequentibus collige ubi dicit Deus: *Et dederò Spiritum meum in vobis,* Spiritus Dei est Spiritus Sanctus OSCULUM PACIS, qui vivificat corpus Ecclesiæ quando membra invicem uniuntur, nec vivificat nisi uniantur asserente S. Augustino: *Spiritus enim humanus, sicut nunquam vivificabit membra nisi fuerint unita, sic Spiritus S. nunquam nos vivificabit, nisi PACE uniti fuerimus:* Hinc supra memorata verba Prophetæ *accesserunt ossa ad ossa* Pagninus legit *accesserunt ossa, os ad os suum,* quasi unumquodq; os etiam ex alio proximo sibi osse componatur, quod insinuat mutuam unionem, quam etiam Paulus alludens ad hanc ossium juncturam expressit inquiens: *Veritatem autem facientes crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusq; membri,*

Ezech. 37.

S. Aug.
serm. 2.
ad frat. in
Erem.

ad Ephes.
4.

augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

X. Pensanda hic sunt illa potissimum verba, *secundum operationem in mensuram uniuscuiusq; membri &c. in charitate*: quibus innuit Apostolus in uno corpore mystico Ecclesiæ multa esse membra, non tamen omnia in eadem mensura nec omnia eiusdem operationis, propterea alibi dicit, quod alij datus sit *sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, &c.* *Hæc autem omnia operatur unus atq; idem Spiritus*: Quasi argueret ex similitudine humani corporis, in quo aliam operationem habet pes, aliam manus, aliam oculus, aliam auris &c. & tamen hæc membra omnia ab una eademq; anima animantur. Et quidem ita animantur, ut si præcidatur unus pes, vel una manus, hæc exanimatur, reliquo corpore animam conservante. Ex quo tacitam insinuat doctrinam, quod ij qui per discordiam à proximis dissociantur perdant charitatem, perdant Spiritum Sanctum, ut cenferi debeant mortui Deo, membra exanimata. Quam veritatem eleganter expressit Augustinus; ubi ita fatur: *Sicut humani corporis membrum præcisum formam quidem, qua membrum esse cognoscitur, retinet, sed nequam Spiritus sequitur, quo præter unitatem corporis vivat; sic quicumq; à prædicta PACIS unitate divisus est, sacramentum quidem tanquam formam retinet, sed Spiritu præter unitatem non vivit. Frustra ergo foris de forma gloriantur, nisi intus Spiritu vegetentur*: Hæc Augustinus, quæ in primis perpendere deberent omnes hæretici, qui ab Ecclesia vera se abscindunt, & recogitare Spiritum extra corporis unitatem præcisâ membra non animare, se proinde Spiritu

1. Cor. 12.

S. Aug.
lib. de
grat.

Sancto destitutos esse : illi deinde qui in Ecclesia quidem perseverant, sed per discordias, & inimicitias, per odia & vindictæ cupiditatem se ab unitate corporis separant, ut sint potius membra cadaveris, quàm corporis animati. Non enim informat separata membra Spiritus, sed unita.

XI. Gravius est quod de his dicit S. Gregorius contraponens eos PACIS & unitatis sectatoribus, dum hos Filios Dei appellat, illos verò filios Sathanæ. Eius verba sunt : *Si Dei vocantur filij, qui PACEM faciunt, procul dubio sathanæ sunt Filij, qui PACEM confundunt. Sicut nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, ita nihil est desiderabilius Diabolo extinctione charitatis.* Respexit haud dubiè Gregorius ad illud Christi dictum : *Beati PACIFICI, quoniam Filij Dei vocabuntur* : & rursus ad illud : *Diligite inimicos vestros ut sitis Filij Patris vestri.* Qui Filij Dei sunt, cohæredes sunt Christi, & participant de OSCULO oris eius. Propterea in primitiva Ecclesia fideles ut contestarentur mutuam concordiam & PACEM, OSCULA invicem imprimebant, qua de re Clemens Romanus in Constitutionibus Apostolicis : *Ut viri viros, & scemina sceminas, cum ad Eucharistiam accedunt osculentur.* Sed & extra mysteria consueta fuerunt huiusmodi *Oscula* ut innuit Paulus ; scribens ad Romanos, ad Corinthios, ad Thessalonicenses, & Petrus quoq; in sua Epistola : *Salutate vos invicem in OSCULO SANCTO.* Meminerunt huius OSCULI SANCTI veterum plures, ut origenes qui ait : *Cuius rei imago est illud OSCULUM quod in Ecclesia, sub tempore mysteriorum nobis invicem damus.* Ignatius Martyr, Dionysius Areopagita, Tertullianus, Chrysostomus,

S. Greg in
Pastoralì

Clem.
Rom Con-
stit A-
post. cap.
57.

Rom. 16.
1. Cor. 16
2. Cor. 13
1. Pet. 5.

Orig. in
Epist. ad
Rom. S.
Ignat. M.

Augustinus & alij. A quo more fluxit & illa hodie in Ecclesijs usurpata cæremonia, ut Sacerdos in Missa ante Communionem OSCULETUR Pacificale, & per Diaconum alijs fidelibus transmittat OSCULUM PACIS. Felices nos quibus hodie è cælo transmittitur OSCULUM PACIS; si Deum & proximum diligimus, si in unitate corporis Ecclesiæ indivisi perseveramus, signum est, quod OSCULETUR nos Deus *osculo oris sui*, quod receperimus Spiritum Sanctum, & possumus dicere cum Paulo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Si quis verò, quod absit, rancorem aut odium fovet cum proximo, si quis in peccato perseverat, det operam ut his diebus quantocius Deo & proximo se reconciliet ne sit Filius Diaboli, sed potius filius Dei, & recipiat OSCULUM PACIS, Spiritum San-

ctum, quo nos omnes felicitet Princeps PACIS.

Dionys.
Tertull.
Chrysostr.
Aug. ap.
Scherl.
vol. 2.
vestig. 1.



DISCURSUS II.

Dominica SS. Trinitatis.

Sydus Beneficum.

THEMA ·

Data est mihi omnis potestas. Euntes ergo docete. *Matth, 28.*

SYNOPSIS.

- | | |
|---|---|
| <p><i>I. Mysterium SS. Trinitatis multoties in scriptura expressum est, & ab antiquis Ethnicis etiam adumbratum.</i></p> <p><i>II. Imò & in rebus naturalibus elucet, quibus id Patres conantur intelligibile reddere. Optime exprimitur per solem sidus beneficium.</i></p> <p><i>III. Tres subinde soles visi Triadem designant cum tres unum sint. Et una omnium beneficentia per lucem, calorem, influxum.</i></p> <p><i>IV. Hanc imitari debent qui alij præsunt, ut curent potius bonum publicum quam privatum.</i></p> <p><i>V. Præsertim Principes, Magnates, & Magistratus, ut</i></p> | <p><i>non uni tantum vel paucis se addicant, sed æquè omnibus.</i></p> <p><i>VI. Cuiusmodi exemplar seipsum præbuit Christus in cruce, talem Pompeius M. Otto Imperator, Traianus & alij.</i></p> <p><i>VII. Qui tales non sunt & præsumunt demerentur nomen Principum, similes arboribus illis quæ recusabant imperium propter commodum privatum.</i></p> <p><i>VIII. Vti Principes ita & Iudices, & Patresfamilias, & Curati animarum se debent genere, ut publicum bonum anteponanant privato. Imò quisq; etiam privatam agens vitam</i></p> |
|---|---|

vitam obligatur ad procurandum commune bonum quoad potest, saltem orando, quia totus populus unum sumus.

Data est mihi omnis potestas. Euntes ergo docete. *Matth. 28.*

I.



Ullum mysterium Christianæ fidei tam sæpè nobis & in sacris literis, & in antiquis sapientiam effatis, & in ipsis naturalibus rebus proponitur, quàm mysterium SS. Trinitatis: nulum tamen est tam obscurum & arduum, tam refugiens ab intellectu humano, ut D.

Thomas Theologorum Princeps pronuntiet: *Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire.* In sacris literis dum orbem conderet Deus inquit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: quomodo ad similitudinem nisi esset unitas substantiæ, & quomodo faciamus nisi plures insinuarentur personæ? Abraham in convalle Mambre tres vidit viros, & unum adoravit, alloquens in singulari: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis.* Moyli nomen suum manifestaturus Deus, aiebat: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob: hoc nomen mihi est.* Nomen singulariter positum unam naturam, & ter repetitum tres personas designat. Apud Isaiam *Deus appendit tribus digitis molem terre.* Apud Psaltem: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Nulpiam verò expressius quàm apud Aquilam Evangelicam Joannem: *Tres sunt*

*D. Tho. 1.
p. 4. 32.
4. 1.*

Gen. 1.

Gen. 18.

*Exodi 3.
v. 15.*

Isai. 40.

Psal. 32.

1. Joan. 5.

sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Innumera è sacro textu prætereo. Veterum etiam sapientum effata hoc mysterium enuntiant, tametsi eorum intellectus id assecutus non sit, ut docet S. Thomas. Mercurius Trismegistus in Pimandro: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Aristoteles verò: *Tria sunt omnia, & ipsum ter in omnem partem se diffundit.* In libris Platoniorum fateatur D. Augustinus se legisse ea quæ Joannes initio sui Evangelij promit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* alijs quidem verbis sed eodem sensu. Plotinus, ut idem S. Augustinus meminit librum scripsit de tribus substantijs. Jamblicus in libro de mysterijs, & Proclus in libris de anima, tres in Deo substantias (melius personas dixeris) asserverunt. Orpheus tribus docuit mundum gubernari. Luce Consilio, & vita, quæ mirè tribus personis conveniunt. Nam Pater est luminum, ut eum vocat D. Jacobus. Filius est *magni consilij Angelus*, ut eum vocat Isaias: Spiritus S. vita est, quem Ecclesia nominat *Dominum & vivificantem.* Deniq; & apud Poëtas:

Numero Deus impare gaudet.

II. In naturalibus tam multa sunt quæ representat hoc mysterium, ut Tomi integri conscribi possint. O palus gemma unico momento tres distinctos uno intuitu colores exhibet, igneum instar carbunculi, purpureum, & viridem, ut est apud Plinium. Triophtalinos pariter gemma *tres simul hominis oculos esprimens*: teste eodem Plinio. Tricolor violatri folium passim proveniens vulgaris sunt SSS. Triados Symbola. Imò in omni pene re

creata

D. Tho. 1.
p. 4. 32.

Arist. lib.
1. de cælo
& mund.

S. Aug. lib.
7. Confess.
c. 9.
D. Tho.
sup. cit.
S. Aug. lib.
de civ.
Dei.

Plin. lib.
37. cap. 6.

creata aliquid Trinitatis est. In sole natura, lux & calor : in tempore præteritum, præsens, & futurum : in motu principium, medium, & finis : in homine intellectus, voluntas, memoria : in scientijs naturale, rationale, morale. Ex quibus SS. Patres conati sunt arcanissimum hoc mysterium aliquatenus adumbrare. *Anima nostra*, inquit D. Guitmundus Episcopus Averfanus, *habet in se & de se tria, intellectum, memoriam, voluntatem : horum singula in omnibus, & omnia in singulis sunt : quia intellectus intelligit seipsum, intelligit memoriam suam, intelligit voluntatem suam. Memoria recolat seipsam, & intellectum suum, & voluntatem suam. Voluntas vult id est diligit seipsam, & intellectum suum, & memoriam suam. Ita sunt in omnibus. &c. Dicamus igitur similiter de Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Pater vita est, filius sapientia, Spiritus sanctus charitas. Vita itaq; vivit, & sapientia vivit, & charitas vivit : Sapientia sapit, & vita sapit, & charitas sapit : Charitas diligit, & vita diligit, & sapientia diligit. Et hæc tria non nisi una substantia, quod est Deus. Ita ille, At S. Anselmus similitudine aquæ utitur quæ à fonte in fluvium, & demum in lacum diffunditur : per continuationem fluxus una existens, locorum tamen diversitate, fontis fluvij & lacus distinguitur. Idem placuit Nicæno Concilio, cui Fons est pater, de quo scriptum est : apud te est fons vite : fluvius à fonte derivatus filius est : ipse enim de se dixit : Ego quasi fluvius exivi de Paradiso. Lacus figura est Spiritus Sancti ; nam quemadmodum in aqua omnis aquæ vis & copia quiescit, & permanet, ita divinæ naturæ communicationes in Spiritu Sancto terminantur. S. Antoninus Episcopus Constantinienſis monet : *Citharam re-**

Dom. Pars II. C spice :

D. Guitmund.
Tr. de
Trin. Bibl.
PP. To. 4.

S. Anselm.
de Incarn.
verb. &
S. Cyprian.
in
Symb. A.
post.
Conc. Ni.
cæn.

Eccli. 24.

S. Anton.
Episc. E-
pistol. ad

Arcad.
To. 1.
Bibl. PP.

S. Agnell.
Epist. ad
Armin. de
rat. fid.
To. 1. Bibl.
PP.
Anasl.
Theopol.
& Cyrill.
Alex. in
explic. or-
thod. fid.
To. 5.
Bibl. PP.

spice : tria pariter adesse videntur ; ars, manus, & chorde. Ars dicitur, manus tangit, resonat chorda. Tria operantur, sed sola chorda resonat quod auditur, sic nec Pater, nec Spiritus sanctus suscipiunt carnem, sed tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola corda excipit : carnem solus Christus accepit. Atverò S. Agnellus Episcopus Ravennas. Vox egressa sermonem promit, & sermo egressus cum voce efficaciam gignit. Ita ex Patre filius, ex Patre & Filio procedit Spiritus sanctus. Anastasius Theopolitanus & Cyrillus Alexandrinus speculantur in sole, ipsum solem, radium, & calorem. Sol est Pater, radius Filius, splendor ignitus est Spiritus sanctus. Et sol quidem nunquam caelos deseruit : Filium autem ut radios, splendorem videlicet ab ipso refulgentem in terram emisit : & Spiritum sanctum ut calorem, quo superiorem & inferiorem mundum, undequaque foveret, & bonis cumularet. In qua allegoria ut plurimas prætermittam, hodie nobis acquiescendum est, non ut altissimum hoc scrutemur mysterium, quod potius fide amplecti debemus, sed cum tota Trinitas non sit nisi bonitas, cuius opera ad extra sunt indivisa, contemplabimur in hoc Typo beneficentiam solis emittentis lucem & calorem in bonum universi, quemadmodum Pater misit Filium, & Spiritum sanctum, ad redimendum & sanctificandum humanum genus, omni suo seposito commo procurans bonum commune.

Plin. lib.
2. cap. 31
Suav. de
myster.
Abb. Ferro
ap. Picinell.
Mund.
Symb. l. r.

III. Tres aliquando soles in cælo visos memorant Historici. *Tres soles*, inquit Plinius, *antiqui sapius videre. Et nostra ætas vidit Divo Claudio Principe, Consulatu eius, Cornelio Orfito collega.* In Hispanijs postmodum visos testatur Suarez, & nostro seculo Anno 1601. Abbas Ferro à se visos Patavij, quibus

bus meritò lemma adscripseris, *unum sumus*, ut designes SSS. Trinitatem, cuius ea est in genus humanum propensio, ut opera *ad extra* non sibi sed orbi impendit; nobis lucet, nobis calefacit, & docet omnem potestatem non privatis commodis sed bono publico debere servire, quod luculenter expressit in hodierno Evangelio Servator noster cum dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete.* Optima profectò consequentia, quia potestatem omnem habeo, primum eius exercitium esto benefacere, non mihi sed mundo, quemadmodum sol non sibi lucet, sed mundo. Unde qui velit in typo exprimere beneficentiam divinam iuxta & humanam, solis omnia illuminantis picturæ illud lemma adijciat: *Non mihi sed alijs*: Etenim solis ea conditio est, ut mundum universum illuminet, percurrat sublimia pariter & demissa, æquè palatia ac tuguria, montes ac valles, terras & maria, fontes & lacunas, animalia & plantas, suoq; singula calore foveat, influxu foecundet; quæ fortè consideratio movit S. Dionysium ut solem alloquens diceret: *Inter omnes creaturas in te Deus magis elucet, & ostenditur*: quia scilicet inter omnes creaturas nulla mundo magis necessaria & utilis; inter omnia sydera maximè *Beneficum sydus Sol* est: de quo Plato in Thæteteto. *Dum sol mundum suo cursu ambit, & illustrat, omnia salva sunt, & conservantur.* sed magis appositè ad nostrum propositum S. Gregorius Nazianzenus: *Neq; motui unquam suo, nec beneficijs finem faciens.* Quod de beneficentia divina longè verius dici potest: Nam & de Chrïsto ait Apostolus: *Pertransijt benefaciendo, & sanando omnes*, ubi eleganter Cornelius: *Proprium ergo Chri-*

S. Dionys.
lib. 3. de
cæl. Hie-
rar.

Plato in
Thæct.

S. Greg.
Naz. o-
rat. 34

Arto. 10,
v. 38,

Corn. à
Lap. in
Ad. Ap.

sti, eiusq; asseclarum est nemini malè, sed cuilibet benefacere, ut ubicunq; degit spargat radios suæ beneficentiæ instar solis qui jugiter currit, & pertransit, ut lucem, calorem, & influxum communicet hominibus &c.

IV. Notate illa verba: *Christi eiusq; asseclarum est, & redeat in memoriam, quod ante nonvi cum Theologis: Trinitatis opera ad extra sunt indivisa.* Unde & beneficentiæ Filij communis est toti Trinitati. Assèclas verò Christi & SSS. Triadus omnes illos intelligite tam Ecclesiasticos, quam seculares, qsti alijs quacunq; ratione præsumt, eos regunt, iudicant, monent. Horum quippe munus primum est instar solis subiectis lucem, calorem & influxum communicare, & seposito commodo proprio curare alienum, curare bonum publicum: imò id cuius privato incumbit, ut bonum publicum privato anteponat: quod innuisse videtur Servator noster cum voluit suos assèclas Christianos baptizare *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: commonens nos officij nostri ut ageremus instar SS. Triados solem *Beneficum sydus*: imitantes Patrem qui est *Pater misericordiarum* tractâdo, subiectos ut filios: imitantes Filium qui *pertransijt benefaciendo* proximis sine discrimine succurrendo: imitantes Spiritum Sanctum qui est *charitas*, cuius proprium est in commune effundi, & publicæ utilitati servire. Opportunè hic Gillebertus Abbas: *Charitas non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, & ut sic dicam, super inæqualitate: congaudet autem veritati, privatam non cogitat; medio quodam & communi letatur, quæ sua sunt non querit.*

Gilleb. in
Cant.
serm. 19.
cap. 6.

V. Atq; hoc inprimis dictum est omnibus Principibus, Magnatibus, Præsulibus, Magistratibus,

bus, quibus commissa est cura populorum, Urbium, communitatum : horum quippe primarium munus est utilitatem publicam plus quam privatam curare. Id quod vel ipsi Ethnici solo rationis ductu agnoverunt. *Quale elegantissimum in cœlo simulacrum sui Deus solem atq; lunam infixit, tale in civitatibus aius exemplum est, atq; lumen Princeps.* inquit Plutarchus. Ciceronis Oratorum Principis egregium dictum est : *Omnino qui Reipublicæ præsumt, duo Platonis præcepta teneant. Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliiti commodorum suorum; alterum ut totum corpus Reipub. curent, ne dum partem aliquam tueantur reliquas deserant.* quasi diceret ea ratione se gerant, qua sol orbem illustrando, non sibi sed alijs lucens, & mundi quem illustrat nullam partem omittens. Duo hic expressit munia, unum ut alijs profit, alterum ut omnibus : quod de sole divino pronuntiavit Johannes : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et de humano Agapitus Papa. *Solis profectò partes sunt illustrare radijs orbem : Principis verò virtus est egenorum misereri.* De Deo canit Virgilius
- - - Deum ire per omnes.

Terras tractusq; maris, cœlumq; profundum. Nempe solis instar, quod & Principibus & omnibus qui præsumunt imitandum est : ut videlicet non uni tantum vel paucis particulari affectu se addicant : sed in omnes charitatem diffundant : quod in S. Gregorio Mysseno laudavit Nazianzenus : *Tuus circuitus Deo gratus & acceptus, fixumq; tibi ac stabile est multis prodesse, quamvis loco minimè fixus sis : nisi verò quis solem accuset, quia in orbem currit radios fundens. atq; omnibus rebus quas obit vitam asserens.* Et multò

Plut.
Comm. ad
princ. ind.
Parte II.
Moral.

Cic. I. de
offic.

JOH. I.

Agap. E-
pist. Pa-
ren. n. 51.
Virgil.
lib. 4.
Georg.

Greg. Na-
zianz. E-
pist. 34.

Chrysof.
hom. 45.
in Matth.

magis id in Christo notavit Chrysoftomus: *Salvator non divitem, non pauperem, non ingeniosum, aut rudem, aut fortem aut ignavum, aut diligentem aut desidem discernit, sed omnibus, quamvis non ignoret futurum exitum, pietatis doctrinam commendat.* Quia scilicet vult omnes homines salvos fieri, tametsi multi suâ culpâ salutem negligent, & beneficentiæ eius radios non admittant.

Matth. 27

VI. Verum primarium Principis & Magistratus officium in sole expressum, ut luceant *non sibi sed alijs* penitiùs consideremus. Illustre huius exemplum vobis exhibet ipse Salvator in Cruce appensus, quasi in throno regio collocatas. Clamant Judæi: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* O cæcitatem! agnoscunt quòd alios salvos fecerit, recordantur quòd cæcis visum, & surdis auditum, mutis loquelam, mortuis vitam restituerit, & dubitant an possit sua membra à Cruce solvere: cum hoc longè facilius sit, quàm mortuos revocare ad vitam! Erratis insani Hebræi: ignoratis quòd sit officium salvatoris mundi. Non venit ut se salvum faciat sed alios, imò ut alios salvos faciat, non debet seipsum nunc salvum facere descendendo de Cruce. Sol non lucet sibi sed alijs, Christus non quærit suum commodum sed alienum: quòd expensum S. Athanasius venustè in rem nostram ratiocinatur: *Dominus revera servator, quia non sua sed nostra quæreret, non in se salvando, sed in crectura redimenda salvatorem innotescere volebat. Neq; enim sol suum jubar in se contrahens pro lumine agnoscetur, nisi etiam orbi terrarum suos radios exporrigat. Ita quoq; Dominus non seipsum salvavit, quia nulla salute indigebat, sed ex suis in alios beneficijs voluit salvatos declarari.*

S. Athanas.
de
Pass. Dom.

rari. O infigne exemplar Principum, & Magistratum, quos decet sua commoda publicis posthabere. Talem optabat esse Theodoricum Regem Casiodorus cum eius nomine scribens tacite informabat & muneris admonebat: *Optamus cunctum diem beneficijs nostris excurrere. Optamus ubiq; prestita nostra radicare.* Talem se exhibuit licet Ethnicus, & fidei lumine destitutus Magnus Pompeius cui potior fuit incolumitas Romanæ urbis quam propria. Cum enim Nauclerus dissuaderet navigationem propter imminentem tempestatem, dixisse fertur: *Ut navigemus urget necessitas: ut vivamus non urget.* Talem se exhibuit Salvius Otho Imperator, qui ut parceret exercitui, ipse potius mori voluit, & apud Xiphilinam dixisse fertur: *Faciam ut omnes intelligant, quem Imperatorem elegeritis: qui non vos pro se, sed pro vobis dedit.* Quid amplius à Christiano expectares, nisi Otto ipse sibi sua manu mortem conficivisset? Laudat ab hac virtute Salvianus Massiliensis etiam priscæ virtutis viros Fabios, Fabricios Concinnatos, qui, ut ait, *divites esse volebant, cum omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos ad communia emolumenta conferrent, & crescentes Reipub. vires privata paupertate ditarent.* Laudat etiam ab hac verè Principali, & divina virtute Traianum suum Plinius, cuius cum enumerasset in commune bonum studia, sic eum alloquitur: *Quæ singula quantum tibi gratiæ, dispensata adiecissent? at tu scilicet omnia profudisti: ut sol & dies, non parte aliqua sed statim totus, nec uni aut alteri, sed statim omnibus profertur.* Ut sol inquit non uni solum Provinciæ vel homini, sed omnibus suæ beneficentiæ radios diffundens, non unius particularis commodo, sed totius bono com-

Cassiod.
lib. 3.
Var. Ep.
11.

Velasq. in
Ep. ad
Philip.

Xiphil. in
Otho.

Salvian.
lib. 1 de
provid.

Plin. Jun.
in Paneg.
ap. veg.

muni sedulo incumbens; imò non per partes, sed simul se effundens.

VII. Et hoc quidem ita convenit omnibus Principatum, vel quemcunq; Magistratum gerentibus, ut absq; cura boni publici demereantur nomen & honorem officij, ut sapientissimus Seneca innuit de Cæsare loquens: *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium olium illius labor, omnium deitias illius industria, omnium vocationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit: & syderum modo quæ irrequieta semper cursus suos explicant; nunquam illi licet nec subsistere nec quidquam suum facere.* Quam benè constitutæ forent Respublicæ, urbes & communitates, quin & Regna & Provinciæ, si in ijs dominarentur & præessent eiusmodi semper, qui pro omnibus vigilarent, pro omnibus laborarent, & occuparentur, & quod potissimum est nollent *quidquam suum facere.* At quotusquisq; est hodie Fabius aut Fabricius? *omnes quæ sua sunt querunt,* & malunt in conquirendis commodis esse *soli* quàm *soles*: similes planè arboribus illis, quæ recusabant imperium ne privatis commodis destituerentur: imò peiores; quia arbores non admiserunt principatum; hi verò Magistratus & publica officia ambiunt, non ut profint sed ut præfint, non ut promoveant utilitatem publicam, sed suam: cum minùs malè agerent privatim quærendo privata, quàm sub prætextu communis boni studendo suas augere facultates. Eò tendebat S. Nilus in-
quens: Quemaamodum enim oliva ficus & vitis lignorum recusarunt imperium, quod magis fructibus suis letarentur, quam ejusmodi dignitate, ita qui fructum aliquem in se virtutis aspiciunt, utilitatemq; sentiunt, licet

Sen. Conf.
 sol. ad
 Polyb. c.
 26.

Judic. 9.
 v. 9.

S Nilus
 in Ascetic.

vocentur ad imperium, illi commoda sua semper antepo-
nent. Arcendi tales essent à publicis munijs, qui
præesse volunt, ut sibi tantum profint, & ut aie-
bat Plutarchus : *Pacis & belli nominibus, tanquam
nummis utuntur, non ad justitiam, sed ad commoditatem.*

Plut. in
Pyrrho.

VIII. Dicta de Magistratibus sibi etiam Judi-
ces dicta putent, sibi Patresfamilias, sibi Ecclesiasti-
ci & animarum Pastores: omnes quippe istos so-
lem imitari conveniens est. Pingo itaq; illis solem
illustrantem promiscuè alta & demissa munda &
immunda, animata & inanimata cum lemmate.

Omnibus unus. vel ut alteri cuidam placuit repræ-
sentanti Justitiam distributivam. *Cuiq; suum.* Nam
ut in suis similitudinibus ait Erasmus : *Ut sol non a-
lius est pauperi, quam diviti, sed omnibus communis: ita
Judex personam spectare non debet, sed rem.* Paterfami-
lias imitetur Evangelicum illum qui vocavit ope-
rarios in vineam suam, & solvit *cuiq; suum*, quia for-
tè qui tardius advenerant industria sua compensa-
verant tarditatem accessus ad vineam. Curatus a-
nimarum, necessitatem respiciat periclitantis ani-
mæ, non suam utilitatem: tam promptus accur-
rat ad pauperem à quo nihil recipiat, quàm ad divi-
tem à quo sperat. Verbo quisq; det *Cuiq; suum*: e-
tiam quilibet in privato vitam exigens, ea quæ pub-
licum bonum respiciunt præ suis curet. Malus ci-
vis qui periclitanti patriæ etiam cum suo dispendio
non succurrit. Talem ab hominum planè confor-
tio ablegat aurei oris orator dum ait : *Qui namq; sibi
vivit soli, & omnes negligit, superfluus est, & nec homo
nec generis nostri.* Qui hoc præstare non possumus o-
pere, suppleamus affectu, desiderio, voto, & oratio-
ne. Christus orare nos docens, sic inquit orabi-

Erasm. in
Similitud.

S. Chry-
sost. hom.
34. ad pop.

S. Cypri-
an. ser.
de orat.
dom.

tis: *Pater noster qui es in cœlis. & Panem nostrum quotidianum da nobis. & dimitte nobis debita nostra.* In plurali nos orare docuit, ut disceremus commune bonum anteferre privato, & tam esse solliciti pro alijs, quam pro nobis ipsis, id observavit S. Cyprianus ubi inquit: *Non dicimus Pater meus, nec panem meum da mihi: nec dimitti sibi tantum unusquisque delicta postulat. Publica est nobis, & communis oratio, & quando oramus, non pro uno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus unum sumus.* Attentè hæc ruminent studiosi privatæ utilitatis, *totus populus unum sumus*; secedit ab hac unitate, quia sua tantum sectatur commoda, negligit communia. Baptizamus *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, ut cum pluralitate personarum nos etiam SSS. Triados imitatione unam quoddammodo efficiamus substantiam; certè unum corpus esse jubemur, ut non singuli pro singulis, sed singuli pro omnibus solliciti simus. Imitemur ergo Patrem *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos*: imitemur Filium, qui potestatem acceptam impendit in bonum publicum: imitemur Spiritum sanctum amando omnes & omnium potiùs commoda quàm privata: non

simus *Soli, sed soles Benefica*

Sydera.



DIS-

DISCURSUS III.

*Dominica I. post Pentecosten
sive SSS. Trinitatis.*

Apotheosis.

THEMA.

Estote misericordes, sicut & Pater vester
misericors est. *Lucæ 6.*

SYNOPSIS.

- I. Similem Deo fieri (nisi ex malo sine uti Lucifer voluit) malum non est sed laudabile, presertim per misericordiam que maxime in homine Dei similitudinem exprimit.
- II. Proponendus igitur nobis Deus ut imitabilis, cuius attributa penè omnia imbibunt misericordiam, & hec videtur omnia alia transcendere.
- III. Ac proinde imitabilis à nobis est quatenus bonus, unde Moysi volenti eum videre promisit se ostensurum omne bonum, cum tamen visionis objectum sit verum, sed in huius notitiam venit per cognitionem boni.
- IV. Per hoc attributum cognoscitur esse Deus, & hec est ejus velut prima proprietas.
- V. Cessaret esse Deus si cessaret benefacere: hoc ejus stemma est quo potest cognosci.
- VI. Et ideo voluit Baptizari fideles in nomine Patris & Filii & Spiritus, non autem in nomine Dei simpliciter, quia Paternitas misericordiam sonat.
- VII. In hanc tam propensum est, ut misericordibus suas vices delegat, sic Abrahamo qui hospitalis erat commisit Lazarum in sinu recipere.
- VIII. Qui proinde misericors est Deum imitatur, filius Dei est, imo Deus efficitur.

- IX. Hæc consideratio movit Paulum ut nos ad misericordie opera excitaret, ut essemus Vicarij Dei, ejus nomine distribuendo quæ accepimus.
- X. Misericors dictus à misero corde inter homines, sed Deus à miseri corde, quia misericordi subvenit: & vult ut & nos miseris subveniamus eius loco.
- XI. Imò seipsum sepè substituit pro miseris, ut cum miseremur miserorum, quasi ipsius miseremur. Aded Patri misericordiarum prima cura est de misericordia, & eam exercentibus.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. *Luca 6.*

I.

Isai. 14.



Ascendam super altitudinem nubium: similis ero altissimo: aiebat quondam ille ex Angelo factus princeps Dæmonum superbissima à mundo condito creatura: sed mox audiit fatalem sententiam: Veruntamen ad infernum detraberis? Et quæ hæc tanta fuit prævaricatio, velle fieri similem altissimo? Annon ipsi pariter & homini in prima conditione impressa fuit altissimi similitudo? Annon de illo dictum: Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore, sicut de homine: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et S. Joannes gloriatur: Cum apparuerit similes ei erimus. Quid ergo tantoperè Deo displicuit in Angelorum Principe, ut volentem fieri similem altissimo in infernum detrahi & præcipitari juberet? Optimum profectò Deo assimilari (inquit nonnemo) & illius imaginem in se perfectius referre: sed dum Lucifer maiorem ambit similitudinem, non ad virtutis meritum, sed ad singularitatis plausum, miserè prolabitur,

Ezech. 28.

*Gen. 1.
1. Joan. 3.*

*Naxera in
c. 5. Josue.
n. 68.*

Et ipse ascensus est casus auspiciū. Nempe ut aiebat S. Augustinus : *Altus est Deus erigis te ? Et fugit à te : humilias te ? Et descendit ad te.* Non ergo malum est velle assimilari Deo per virtutem, sed affectare eius honorem per superbiam & ambitionem id malum est ; id detraxit Luciferum ad infernum, unde cum ipse hodie Salvator noster in Evangelio Domini nos hortetur ad similitudinem Dei ambiendam virtute, inquit : *Estote misericordes, sicut Et Pater vester misericors est* : ostendam in misericordia vel maximè relucere imaginem Dei, & qui hanc magis exercent, etiam propiùs ad Deum accedere.

S. Aug.
ser. 2. de
Ascens.

II. Pictorum id esse ingenium nemo ignorat, quod ubi genuinam cujuscumque effigiem penicillo suo volunt exprimere, ipsum sibi ante omnia proponant, & contemplantur prototypon. Idem hodie nos agamus, Deum nobis statuamus ob oculos, non qualis est in sua essentia, non qualis est in personarum Triade, quia sic cum Augustino *melius est scire Deum nesciendo* : sed qualis potissimum à nobis imitabilis & imitandus est. *Deum nemo vidit unquam.* inquit Apostolus, sed nihilominus : *invisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* & ab effectibus attributorum ipsa attributa investigamus. Est omnipotens, & per hanc omnipotentiam condidit mundum, facit mirabilia magna. Est sapiens, & per sapientiam gubernat, & disponit omnia suaviter. Est providens, & per providentiam conservat omnia in suo esse, *equaliter est illi cura de omnibus* : Est justus, & per justitiam retribuit unicuique prout gessit sive bonum, sive malum. Est misericors, & misericordiae eius non est numerus. Est bonus & bonitatis eius infi-

S. Aug.

1. Ioan. 4.

Rom. 1. 20.

nitus est thesaurus: Est æternus, & æternitatis eius non est finis. Omnia hæc & alia attributa transcendit infinitas & in ijs imbibitur, quia est infinitè omnipotens, infinitè sapiens, infinitè providus, infinitè justus, infinitè misericors. Ausim dicere etiam misericordia eius transcendit omnia reliqua attributa, adeóq; ipsam etiam infinitatem, ut quodammodo infinitati & cæteris attributis misericordia primatum extorqueat. Etenim si per omnipotentiam operatur, jungit misericordiam: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Si per sapientiam gubernat, utitur misericordia. Tu autem *Deus noster in misericordia disponens omnia.* Si per providentiam necessitatibus subvenit: adsciscit misericordiam: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit Spiritum meum.* Si per justitiam punit, advocat sociam misericordiam ut puniat citra condignum. *Cantinebit in ira sua misericordias suas.* &c. *Cum iratus fueris misericordie recordaberis.* Si bonitate utitur, adhibet misericordiam: *Consitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Si consideratur ut verax, jungitur illi misericordia: *Misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.* Si consideratur ut Dives: *Dives est in misericordia.* Si ut indulgens peccatoribus: est simul *Longanimis & multum misericors*: si ut magnificus & gloriosus, ostenditur cum misericordia *Magnificasti gloriam & misericordiam tuam.* Deniq; misericordia eius commensuratur æternitati: *Misericordia autem Domini ab æterno & usq; in æternum.* Imò ipsi divinæ essentiae, cum dicat David: *Deus meus misericordia mea.* ut proinde verissimè pronuntiare liceat, in Deo inter omnia attributa primatum tenere misericordiam,

Psal. 144.

Sap. 15.
v. 1.

Iob. 10.

Psal. 76.

Iob. 3.
Psal. 135.Psal. 39.
Sap. 15.Ephef. 7.
Dan. 1.
v. 9.

Psal. 102.

Ps. 58.

præfertim si consideretur Deus cum respectu ad creaturam rationalem. Neq; enim nunc cum Theologis investigamus intrinsicum eius esse, verum quatenus à nobis est imitabilis. Ad probationem.

III. Desiderabat Moyſes Deum cognoscere, & ex hoc desiderio inquiebat: *Ostende mihi faciem tuam ut sciam te*: & rursus: *Ostende mihi gloriam tuam*. Quid respondit Deus: *Ego ostendam omne bonum tibi*. Adeste Philosophi, edicite quod est obiectum intellectus & scientiæ, verum an bonum? dicetis haud dubiè verum esse obiectum intellectus, bonum verò obiectum voluntatis. Nequaquam: contradicit enim vobis Deus, qui Moyſi petenti se videre & intelligere, vult ostendere *Omne bonum*. Melius respondebitis cum distinctione: si quæstio sit de rebus sublunaribus, omninò intellectus obiectum est *verum*: atverò si quærat de cœlestibus, de supernaturalibus, de Deo, necesse est ut in consortium veri admittatur bonum, alioqui non potest intelligi: hinc est quod Moyſi volenti videre & cognoscere Deum, monstratur pro obiecto bonum simul & verum, ut per cognitionem *boni* penetret in cognitionem *veri*, cum Deus aliter non possit intelligi. *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabor in nomine Domini*. Ex hoc me cognosces, quod beneficium me & misericordem videbis, ex bonitate mea me intelliges: propterea subdit: *& miserebor cui voluero*. quali misericordia & Dominium ac Deitas Synonyma essent, quod innuit Hugo Cardinalis ad hunc textum: *Vocabor in nomine Domini, ist est vocari me faciam Deum, & Ducem vestrum ex miraculis,*

Exod. 31.

Hugo
Card. in
Exod.

que

quæ faciam, & non ob aliud, nisi quia volo, & quia miserebor.

Luc. 7.

Laurentij
var. hom.
de pœnit.

IV. Proprium quarto modo dicunt Philosophi esse id quod immediatè profluit ab essentia, cum qua identificatur. Misericordia & beneficentia in Deo est proprium quarto modo, adeò ut si cessaret benefacere, videretur quasi non esse Deus. Id apertè colligitur ex reprehensione Pharisei murmurantis contra Magdalenam, quæ affèrens alabastrum unguenti cœpit lavare pedes Christi arrogantem Phariseum impulit ut diceret intra se: *Hic si esset Propheta, sciret quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Vidit Christus cogitationes hominis, & tacitè eum arguit ceu incredulum, cum mulieri peccata dimittit, quasi diceret: non vis ut peccatricem pœnitentem respiciam misericordie oculis? non vis ut exerceam munus propter quod è cœlo descendi? veni enim salvum facere quod perierat: vis ut non sim Deus, quia non vis ut miserear. Cogitatio est Laurentij Novariensis, qui sub persona Christi sic Phariseum alloquitur: *Indignum judicas & Pharisea me suscipere mulierem fornicariam lacrymarum sonibus inundantem, sed facis hoc quasi incredulus Phariseus, dum non vis me esse aut credere Deum.* quasi divinitatis nota sit misericordia, & per hanc cognosci à nobis debeat Deus.

Gen. 2.

Clem. Alex.
lib. 6.
Strom. c. 8.

V. Perfecto opere sextæ diei, inquit Sacer historicus: *Et requievit Deus die septimo,* alij legunt *cessavit:* Quid hoc quod Deus cessare dicatur, de quo tamen Christus, Pater meus usq; modo operatur? non cadit in Deum iners otium. Solvit hunc nodum Clemens Alexandrinus cum ait: *Non sicut quidam Dei quietem existimant cessavit Deus facere;*

nam

nam cum sit bonus, si cessaret unquam benefacere, Deus quoque esse cessaret, quod nefas quidem est dicere. Ita est cum proprietates Dei sit benefacere & misericordiam exercere, non exercendo cessaret etiam esse Deus. Hinc à Paulo nominatur *Pater misericordiarum* & *Deus totius consolationis*, & Ecclesia de eo canit: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere*. Hic character divinitatis est, hoc stemma quo potest agnosci Deus; id quod ipse nobis expressit in sacris literis, ubi non semel per beneficentiæ & misericordiæ opera se manifestavit. Notate quod dixi Deum ab Apostolo nominari *Patrem misericordiarum*, quasi non sufficeret nomenclatura Patris, quæ beneficentiam & amorem, & misericordiam sonat, ad exprimendam omnimodam misericordiæ cum Patris nomine identitatem.

VI. Quærant Interpretes sacrarum literarum quare Christus mittens Apostolos ad evangelizandum jussit credituros baptizari *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: & non potius in nomine Dei simpliciter, vel in nomine Trinitatis, aut saltem cur non addiderit nomen Dei. Ut rescemus ambages, existimo per nomen Patris non solum sufficienter sed etiam eminenter exprimi nomen Dei, & illud isto quodammodo excellentius esse ad commendandam magnam misericordiam Dei, quâ nos voluit per baptismum regenerari. Ne absque fideiussore hoc asserere videar, do S. Cyrillum Alexandrinum, qui hanc quæstionem fortè primus movit: *Si Patris nomen, inquit, non esset dignius in Deo, quàm ipsum nomen Dei, cur cum Discipulos Salvator ad prædicandum mittit, non jussit ut in nomine Dei baptizarentur? sed quasi maiorem divinæ naturæ ostendens dignitatem: In*
Dom. Pars II. E no-

Cyriil. A-
polog ad
Theodos.

nomine, inquit Patris & Filij, & Spiritus sancti. Absq; dubio maius illicitum ad fidem est Paternitas, quam Dominatio, illa quippe merum amorem & affectum, & misericordiam spirat, hæc majestatem, terrorem, servitutum importat: merito igitur censet D. Cyrillus Patris nomen in Deo esse dignius quam ipsum nomen Dei, utpote cuius correlativum est Filius, cum econtra Domini correlativum sit servus: quis non magis amet esse filius quam servus? præsertim talis Patris Filius, qui gloriatur magis Patris nomine quam Dei. Et hæc dubio procul causa fuit, cur Philippus à Christo petierit: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* quia sciebat in Paternitatis vocabulo non simpliciter exprimi Deum, sed Deum beneficum & misericordem, imò misericordiam ipsam: observante id præfato Cyrillo: *Cum divinam curiosè scrutari naturam vellet: ostende nobis Patrem dicebat: non ostende nobis Deum,* quia scilicet in Patris nomine & Dei nomen, & benefici, & pij, & misericordis comprehenditur. Acute Chrysologus loquens de filio prodigo reverso ad Patrem: *Ibo ad Patrem meum. Quæ spe? illa qua pater est. Ego perdidici quod erat filij, ille quod Patris est non amisit.* Ad quæ eleganter etiam non-nemo adiecit: *Indelebilis est in Deo proprietates Patris: nunquam non Pater Deus.* quia semper misericors & quidem pronior ad misericordiam quam justitiam.

S. Chry-
sol. ser. 2.

Did. Baſz
To. 1. in
Evang.
lib. 5. c. 9.

Luc. 16.

VII. Hoc usq; adeò verum est, ut Deus vices suas alteri non soleat delegare, quam benefico, & misericordi. Inspiciamus Evangelium. Lucæ 16. narrat sacer historicus mortuum esse Lazarum & de portatum per Angelos in sinum Abrahæ, mortuum etiam divitem epulonem & sepultum in infer-

ferno. *Factum est autem, ut moreretur mendiculus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahe. Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno.* Disquirunt Interpretes, ubi tunc Abraham fuerit, & qui per sinum eius significetur: nondum fuisse in cœlo, quia Christus nondum ascenderat communis sententia est, licet S. Ambrosius & Beda id videantur sensisse: locum verò aliquem quietis fuisse, sed an sub terra, vel super terram noluit determinare S. Augustinus. Limbum hodie plerumq; vocant Theologi subterraneum, in quo etiam infantes qui sine baptismo decedunt, recipiuntur. Ubi cunq; fuerit locus ille, fuit certè locus quietis, ex quo cum ascendente Christo erant animæ in cœlum transituræ: Quod verò Lazarus ab Angelis deportatus dicatur *in sinum Abrahe*, non vacat mysterio. Prætereo conjecturas aliorum apud Maldonatum, & dico hanc metaphoricam locutionem esse ad similem illi qua dicitur: *Erat unus ex discipulis eius recumbens in sinu Jesu*, & alibi: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Et quia Iusti & Sancti sunt adoptivi Filij Dei, cum ad cœlos assumuntur, dici possunt quasi recipi in sinum Dei. Quia verò antequam Christus ascenderet, nulli patebat hic sinus Dei, constituit Deus in terra seu in limbo Abrahamum suum Vicarium & quasi Vice-Deum, ut in sinu suo reciperet animam iusti Lazari. Sed cur ad hoc munus assumitur Abrahamus potiùs, quàm alius ex Patriarchis? cur non Adamus protoparens omnium hominum? cur non Noë restaurator generis humani? loquatur Theophylactus: *Propterea non apud alium quendam iustum, sed in sinu Abrahe vidit Lazarum, quoniam hospitalis fuerat Abraham.* & contra ponens Abrahamum E-

S. Amb.
orat. de
obit. Va-
lent. Beda
in Luc. S.
Aug. Lib.
4. de ani.
& in Epist.
ad Dar-
dan.

Maldon.
in cap. 16.
Luc.

Joan. 13.

Theophyl.
in Luc.

puloni, ait : *Ille etiam eos, qui præteribant in domum suam traherat ; hic autem etiam intra domum suam jacentem despiciebat.* Igitur hospitalitas & misericordia constituit Abrahamum Vice-Deum, unde & Epulo clamans Patrem nominat : *Pater Abraham misere mei.* Ubi Hugo Cardinalis : *modo vocat Patrem, quem nolit imitari.* Et quæ eius impudentia vocare Patrem cuius filius esse recusabat ? *Si pius, si hospitalis in pauperes fuisset, filius Abrahæ esset ;* ait Chrysologus.

Hugo
Card. in
Luc.

Chrysol.
ser. 23.

Cic. orat.
pro Q. Li-
gar.

VIII. Jam intelligitis quo meum thema collimet. *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est.* Frustra nos inter Dei Filios numeramus, si misericordiæ opera neglexerimus : *Nulla de virtutibus plurimis admirabilior nec gratior misericordia : homines enim ad Deos nulla re propius accedunt.* inquit Oratorum Princeps : homo Ethnicus in misericordia divinum quiddam animadvertit. Quid nos Christiani ? metuo ne mihi succenscat S. Jo Chrysostomus, summus misericordiæ humanæ Patronus & Advocatus, qui plurimos suos sermones eius laudibus exornavit, quod eius authoritate non utar. Perorans ille ad populum Antiochenum aiebat. *Magnum enim homo & pretiosum vir misericors. Itaque nisi hoc habeat, esse desijt homo. Et quid admiraris si hoc est Deus, & hoc homo ?* Ait enim *Estote misericordes, sicut & Pater vester.* Quasi diceret, nec homo verè homo est, nec Deus videretur esse Deus, nisi esset misericors. Ibidem cum nominasset Eleemosynam artem omnium artium quæstuosissimam, addit : *Hec namque te docet quomodo possis Deo similis fieri.* Ecce Christianam APOTHEOSIM, Deo similes facit misericordia, & homines facit quasi Deos. Rursum a libi : *Clementem esse & misericordem, pecunias contem-*

S. Chry-
sost. hom.
33. ad
pop.

S. Chry-
sost. hom.
32. in Ep.
ad Hebr.

nere à cupiditate discedere, hoc Deo similes facit. & alibi: Eleemosyna Regina est, verè Regina similes faciens homines Deo. Unde sequitur eos, qui plura opera misericordiæ exercent, qui plus erogant in pauperes meliorem in se Dei imaginem efformare: Dei imago est homo benefaciens, inquit Clemens Alexandrinus: imò ex veteri proverbio: Homo homini Deus. & Plinius eodem sensu: Deus est mortali iuvare mortalem: & hæc ad æternam gloriam via. Quod & D. Thomas observans inquebat: Tantò aliqua virtus est melior, quantò facit hominem Deo similiorem, quia per hoc melior est homo quod Deo est similior: at hoc maxime facit misericordia.

IX. Hæc cogitatio movit Apostolum ut scribens ad Colossenses hortaretur: *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ.* Cur viscera misericordiæ? quia Deus misereri dicitur per viscera misericordiæ, ad denotandum, quod opera misericordiæ procedant ab intrinseco, aliorum attributorum ab extrinseco. Nam omnipotens dicitur ab ijs quæ creat, justus ab eo quod nos deliquimus: atverò misericors, quia ex intrinseca sua miseratione nobis benefacit. Et ideò dicitur *Pater misericordiarum*, non Pater iudiciorum, id observante Bernardo: *Rectè non Pater iudiciorum, vel ultionum dicitur, sed Pater misericordiarum, eò quod miserendi causam & originem sumat ex proprio, iudicandi vel ulciscendi magis ex nostro.* Qui ergo induit viscera misericordiæ, Deum induit, Deum representat, fit quidam in terris Vice-Deus; cum enim *Dei proprium sit miseri semper & parcere, & benefacere*, quisquis in hac virtute se exercet eius agit Vicarium, an potius dispensatorem, quia quidquid erogamus

Idem. hom. 6. in Epist. ad Titum.

Clem. Alex. lib. 2. Strom.

c. 9. Plin. nat. hist. l. 2. c. 7. D. Tho. 2. 2. q. 30. a. 4.

Coloss. 3.

Luc. 2.

S. Bern. ser. 5 in Nat. Dom.

in alios, id à Deo accipimus, neq; possumus aliter distribuere quàm dona Dei, in hoc solum felices, quod bona ipsius loco & nomine ipsius distribuamus.

X. Misericors dicitur à misericorde, quasi habens *miseri cor*. quod dudum advertit S. Gregorius. *Misericordia inquit à misero corde vocata est, eo quod unusquisq; qui intuetur quempiam miserum, & ei compatiens, de dolore animus tangitur; ipse cor miserum facit, ut eum à miseria liberet.* Eodem sensu aiebat Seneca: *Misericordia vicina est miseriæ: habet enim aliquid trahitq; ex ea.* Hoc in humanis verum est: at verò in Deo, in quem nulla cadit mutatio, nullus dolor, nulla miseria, dicam potius *Misericordiam* appellari ex eo, quod *Misericordi* subveniat, *miserum cor* refocillet. Et quia hoc illi non satis erat, ut posset etiam *miseri cor* in se suscipere, non tantum miserorum corda, sed & naturam suscepit, factus homo, ut homo fieret Deus. O ineffabilem misericordiam! O bonitatem infinitam, ad cuius exemplar se componant omnes Christiani! Cum esset dives propter nos egenus factus est, ut nos divites efficeret. Ubi estis avari loculorum infessores? ubi estis opulenti thesaurorum custodes? ubi estis immisericordes, qui pauperi negatis frustillum panis, petentem repellitis; nudum cooperire recusatis? Itane creditis, vos opum & divitiarum esse Dominos, ut nulli quidquam ex illis debeatis? Fallimini. Accepistis à Deo ut Deo reddatis in pauperibus, constituti Vice-Dei, & dispensatores divitiarum: Deo cura est de omnibus: hanc curam partitur vobiscum, ut per vos egentibus prospiciatur. Audite Chryostomum. *Tuarum es ó homo pecuniarum dispensator.*

S. Greg.
in Moral.

Sen. de
Clement.
cap. 6.
lib. 6.

S. Chry-
sost. hom.
34. ad pop.

sator. Hæc enim (Deus propterea tibi concessit, ut daves illis escam in tempore opportuno, egenis, esurientibus. Et subnectit post nonnulla : Hanc itaq; viam teneamus : hæc enim est quæ maximè reducit ad Deum, quæ Christi facit imitatores, & quoad fieri potest Deo similes reddit. Quæ, facilior ars quàm fieri Deum, dando Deo quod accepimus à Deo? præsertim cum id facere obligemur, & alia ratione salutem consequi non possimus? attestante Augustino, quod divites sine elemosynis salvari non possunt : quia scilicet negant Deo quod acceperunt à Deo.

*S. Aug.
lib. 21. de
Civi. Dei.*

XI. Accedit pauper, rogat, supplicat, ingemiscit, & surdis auribus eum transis in quo deberes respicere Deum, aut propter quem cogitare deberes te esse constitutum Vice-Deum? Videns mendicum S. Jnannes Patriarcha Alexandrinus : non sinebat abire vacuum, sibi ingeminans : *Ne fortè sit Dominus meus.* Nunquam audisti Christum sub pauperis specie à S. Martino donatum veste? nunquam audisti Christum in forma pauperis à S. Catharina senensi crucem argenteam, & tunicam accepisse, & easdem postea gemmis ornatas ostentasse? nunquam audisti inter pauperes confedisse Christum cum eis pedes abluerent sancti? Ego verò hæc me legisse memini : nusquam autem, quod formam assumpserit magnatis, divitis, Principis, aut Regis. Quid si ergo, qui stipem à te petit mendicus, ipse esset Christus? Et est omninò Christus, nisi nos fallat Evangelium : *Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.* Intuere igitur in persona pauperis personam Christi, personam Dei, & exerce misericordiam, ut accedas ad similitudinem Dei. *O quid agit amor pauperis : exclamat B. Petrus Chryso-*

*Simeon
Metaph.
in vita.*

*S. Anton.
3. p. bist.
tit. 23.*

Matt. 25

*S. Chrysol.
serm. 14.*

logus, gloriatur in cœlo Deus, unde pauper erubescit in terra. Et Paulo ante præmiserat : sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem, fuderit, dicat ipse nobis. Esurivi, inquit, & dedistis mihi manducare. Vides quod in persona pauperis Deus lateat, quem si ut talem respexeris, impius fueris nisi largè tuas opes profuderis. Quod Abel passus sit (pergit idem sanctus) quod servavit mundum Noë, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit Deus tacet, & hoc clamat solum quod comedit pauper : erogatio pauperis prima divinè scribitur in diurnis. Nempe patri misericordiarum prima cura est de misericordiæ suæ imitatoribus. Finem dicendi facio, ut quæ me nunc ad silentium compellit prolixitas, eadem sit causa aliàs de misericordia prolixius differendi. Id solum inclamo : *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*

Idem S.
Chrysol.



DISCURSUS IV.

Dominica II. post Pentecosten.

Eleusinia Christiana.

THEMA.

Parata sunt omnia. *Luca 14.*

SYNOPSIS.

- I. Neminem malè consciùm sibi de furto in conspectum admittebat Alexander Severus: neminem facinorosum Eleusinia sacra: neminem etiam sacra Christiana SS. Eucharistie, quam puros accedere decet.*
- II. Quia in his sacris proponitur Magnus in pusillo, quod non intellexit Seneca, & dantur nobis Omnia omnibus.*
- III. Vocatur botrus Cypri, quod alij vertunt vir omnia pariens, omnia propitians, omnia satisfaciens.*
- IV. In hoc ferculo parata sunt omnia, ad quod non admittuntur qui se excusant temporalium cupiditate.*
- V. Sed admittuntur soli Principes, id est domini suarum Dom. Pars II.*
- passionum, qui pacatis omnibus innocentie in se iura disponunt.*
- VI. Procul hinc villarum possessores id est ambitiosi; probantes iuga bonum mancipia vitiorum; nupturientes, voluptatum sectatores, quia mortem malis affert hoc convivium.*
- VII. Christus ambit convivas, qui sunt pingues id est divites cælo, pauperes mundo, cum excludat divites mundo, pauperes cælo.*
- VIII. Unde pauperes vocati ad cœnam magnam à Psalte vocantur divites, quia dives dicitur à Deo, & ideò sancta sanctis; & hi nullo indigent sicut Deus, cum illis hic parata sint omnia.*

IX. Cum ergo cena hec nonni-
 si innocentes, pauperes &
 sanctos admittat, emendum
 ut tales simus, & frequen-
 tius eam accedamus cum ma-
 gna reverentia & prepara-
 tione exemplo plurimum san-
 ctorum.

Parata sunt omnia. Luca 14.

I.



Sq; adeò Alexander Severus Impera-
 tor fures exosos habuit, ut ne qui-
 dem occultos, & sola reos conscien-
 tia in conspectum suum admitti pa-
 teretur. Unde fertur initio imperij
 sui per præconem edici curasse: *Ut*
nemo salutaret Principem, qui se furem esse nosset; ne ali-
quando detectus capitali supplicio subderetur. Non ablu-
 dit ab hoc publico decreto vox illa præconis apud
 Græcos in sacris Eleusinae Cereris, quæ obscura lu-
 ce peragebantur, & velut sanctissima & impolluta
 impios & criminis alicuius vel noxæ conscios ar-
 cebant; ut nulli templum ceu omni Religione san-
 ctum liceret accedere, nisi puro & innocenti. *Ne-*
mo ingrediatur, nisi qui se innocentem noverit. clamabat
 Præco. Unde loci reverentia territus Nero absti-
 nuit ab ingressu: Antoninus verò Philosophus sua
 fretus vitæ integritate, sine discrimine adivit. Vi-
 deor mihi in hisce sacris tametli prophanis & su-
 perstitiosis adumbrari sacra Christiana, non Cere-
 ris Elusinae, sed divinæ, ubi sub Cereris speciebus
 seipsum nobis in cibum proponit Dei Filius. Cau-
 tum erat in Eleusinijs, ut ante noctem epularetur
 nemo, utq; à vino inprimis & Venere abstinere-
 nt, ut sacris initiati calida abluerentur; ut certis tem-

Lamprid.
 in Seve-
 ro. c. 28.

Lamprid.
 cit. Alex.
 ab Alex.
 lib. 6.
 Genial.

pōribus jejunium fieret. Quæ quantum æmulentur sacra nostratia neminem fugit. Hodiernus Evangelicus homo quidam, qui paravit cœnam magnam, quis alius fuerit, quàm idem ipse quem nominat Ecclesia *Cibus & convivia*? quid aliud præcipit accedentibus ad hanc cœnam, quam *Nemo ingrediatur nisi qui se innocentem novit*? Procul fures, procul criminosi & impij. Unde in veteri Ecclesia cum sacrum Missæ officium perageretur, inclamabat Diaconus: *Sancta sanctis*. Addebat deinde: *Quotquot estis in poenitentia omnes orate*. Ac deniq;: *Abite, qui non potestis orare*. Cum quanta igitur puritate & innocentia tractanda & accedenda nobis sint hæc sacra mysteria, et qui ab ijs excludantur erit præsentis discursus materia.

S. Chry-
sost. hom.
61. ad po-
pul. S.
Cyrill. A-
lex. lib.
12. c. 50.
in Joan.

II. Miratur Cordubensis Philosophus Alexandrum Macedonum Regem, quod Geometriam discere voluerit, & mensurare pusillum mundum, ad consequendum Magni cognomen: Discere, inquit, *Geometriam infelix coeperat, sciturus quam pusilla terra esset, ex qua nimium occupaverat. Ita dico, infelix ob hoc quod intelligere debebat, falsum se gerere cognomen. Quis enim MAGNUS IN PUSILLO esse potest*? Si nosset Seneca Christianæ religionis mysteria, profecto Christum in Eucharistiæ speciebus fateretur esse MAGNUM IN PUSILLO, & in modico ferculo omnes mundi delicias. Ecce in hoc *Parata sunt omnia*: quidquid humana mens prudenter concupiscere potest, in Eucharistia consequitur: unde Paschasius: *Quia Deus Pater cum Christo omnia nobis donavit; sit tantum ille nobis cibus quotidianus, & OMNIA IN EO simul nostra erunt*. Et Richardus à S. Laurentio: *Ipse etiam in præsentibus est*

Sen. Epist.
91.

Paschas. in
cap. 6.
Attth.

Rich. à S.
Laur. de
Laud. B.
V. lib. 12.

OMNIA OMNIBUS, id est sufficientia omnium, ægrotas? salus tibi est: egestate premeris? divitiæ tibi est: fame affligeris? satiat te: persecutionem pateris? clypeus tibi est. Deniq; **OMNIA** est in **OMNIBUS**.

III. In Canticis Canticorum anima Deo devota appellat dilectum suum *Botrum Cypri*. Quis iste botrus Cypri, nisi botrus terræ promissionis in qua omnia bona promittebantur Israëlitis, & ut de ijs securi redderentur ex botro ingentis magnitudinis assecurati sunt de eius ubertate. *Botrus Cypri dilectus meus* in Eucharistia, cum quo omnia bona nobis promissa sunt. Veteres Rabbini, Rabbi Barachias, Rabbi Bensirem, & Rabbi Ananias, variè hunc textum legunt. *Vir omnia pariens dilectus meus, vir omnia propitiatus, vir omnia satisfaciens*. Ecce si agricolam, si œconomum agis, & alimenta vitæ inquiris, hic tibi est *Omnia pariens*, qui agros & segetes parturire facit. Si reum te agnoscis & metuis divinam iram, hic propitiatur peccatis tuis: si debitis alienis obæratu es, hic pro te satisfacit. *Vir omnia satisfaciens*, & si adhuc dubitas quid sit *Vir omnia satisfaciens*, docebit te Petrus Galatinus ad mentem Rabbi Barachiaë, & dicet: *Est vir in quo sunt omnia*. Proinde liceat te alloqui verbis B. Laurentij Justiniani: *Cur non delectet Christus, cum in ipso univèrsa delectabilia sint? si te pulchritudo delectat, utiq; præ filijs hominum speciosus est forma. Si potestas placet, potestas eius potestas æterna, si tuum divitiæ mulcent affectum, gloria & divitiæ in domo eius: Et ut cuncta paucis explicem, omnium plenitudo donorum, que in eo diffusa est, delectabilem, & valde cbarum illum reddunt hominibus*. Ita sanè est si puro mentis oculo ve-

Cant. 1.

Rabbini
ap. Bærz.
To 1. in
Evang.
lib. 3. c. 8.

Galat. de
arc. lib. 6.
c. 3.

B. Laur.
Justin.
fasc. a-
mor. cap.
6.

ritatem intueamur : & tamen reperiuntur in mundo quibus charus non est. Nam

IV. Hodierni convivæ Evangelici, cum audissent : *Parata sunt OMNIA. cœperunt simul omnes excusare.* Quid ita ? unus villam emit, alter quinq; juga boum, tertius uxorem duxerat, nullus horum dignus fuit, qui Dominicam cœnam gustaret, quia terrena quærentibus, divina non sapiunt. & qui cœnum cœlo anteponunt, hac cœna digni non sunt. Tria genera excusantium adducit in parabola fervator, per quæ Hugo Cardinalis ad mentem S. Ambrosij intelligit gentiles, Judæos, & hæreticos : hi sine dubio ad cœnam hanc in qua *parata sunt omnia*, admitti non debent. In alio sensu ad mentem S. Augustini idem Cardinalis : hos excusatores ad tria genera vitiosorum revocat : Nam cum juxta S. Joannem omne quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. nullus eorum, qui hæc sectatur, Dominicæ cœnæ delicias gustare meretur. *Multi inquit, ad cœnam Dominicam invitati eius epulas fastidiunt, alij detenti superbia vitæ, alij curiositate, alij carnis voluptate. In emptione villæ notatur acquisitio dominiij &c. Quinq; autem sensus per quinq; juga boum bene intelliguntur, quia ad terrena nos trahunt. &c. Et quia multi non propter sæcunditatem, sed propter desideria carnis uxores ducunt, ideò propter rem justam, id est per conjugium justum carnalis voluptas designatur.* Hæc Hugo, qui licet per cœnam magnam regnum cœlorum intelligat, pari tamen ratione ad cœnam corporis & sanguinis Domini aptari possunt. Non enim dicam huic epulo sumendo idoneum cuius animus fastu & ambitione tumescit, cuius sensus per

Hugo
Card. in
Luc.

exteriora, & terrena vagantur, cuius cor impuris ardet amoribus. *Huc nemo ingrediatur nisi qui se innocentem novit.* Inidò nemo huc ingrediatur, nisi sanctus, quia *Sancta sanctis.*

V. Inter benedictiones quas dedit Jacob filiis suis, etiam illa est: *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.* quæ S. Chrysostomus legit: *Ipse dabit cibum Principibus.* Aser ex Hebraico sonat Beatitudinem & felicitatem: Beati profectò quibus panis Eucharisticus apponitur, sed si accedant Reges & Principes. Id insinuat Isaias: *Pone mensam, & contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite Principes.* Hæc verba ad fideles prolata vult Hieronymus, cum ait: *Dicitur per Prophetam ad omnes credentes, ut comedentes & bibentes corpus & sanguinem Domini, vertantur in Principes.* Non capio hoc quomodo solis Principibus hæc delitiæ paratæ sint: an fortè pauperes & egeni excluduntur ab hac mensa? Audite Gregorium: *Per Reges eos intelligas, qui animorum suorum motus secundum Dei voluntatem dirigunt, eisq; Regum more dominantur: dum in rationis eminentia, quasi in regali solio præsidentes, pacatis omnibus innocentie in se iura disponunt.* Observa hæc ultima. *Innocentie in se iura disponunt,* quia ad hanc mensam, nemo admittitur cum fructu nisi qui se innocentem novit. Animus noster à natura fortitus est regnum quoddam & Principatum in corpore, iustæq; illi obtemperare potentie, & sensus tam interni, quàm externi, quibus nisi ita præsit ut Principis mereatur titulum, non meretur etiam Regales epulas in Eucharistia propositas delibare. Si penitius inspicias, pectus humanum vivarium quoddam ferarum est, quas frænare, coërcere, pacare & in officio

Gen. 49.

S. Chry-
sost. hom.
67. in
Gen.

Isai. 21.
Hieron. in
Isai.

S. Greg.
in Psal.
penit.
Ps. 5. v.
24.

ficio continere non minus requirit prudentiæ & industriæ, quàm integro præesse regno ; Neq; enim diversi populit sub unius Principis imperio tantos tam frequentes, tam subitos, tam periculosos concitant motus, quàm in homine varij affectus, quorum singuli dominari appetunt, & rationi extorquere sceptrum. Unde eleganter nonnemo: *Delectatio Siren, dolor hyæna, uno eodemq; stabulo clauduntur. Mugit amor Europam portans cum Tauris: rugit ita cum leonibus: audacia tigrides ante-volat: Philomela spes bona dulce canit, sed desperatio latrat instar Molossi: in rabiem acti ululant mœsti timores.* Hæc feras qui non refrænât sollicitè, qui earum motus non comprimit, demeretur Principis nomen, demeretur Principis cibum, & epulas. *Per Reges eos intelligas, qui pacatis omnibus innocentie in se jura disponunt.* Nam ad mensam Regiam nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit.

Balde Ba-
troch.

VI. Mirari proinde desino exclusos ab hodierna Evangelica cœna villarum possessores id est ambitiosos, quorum omnis sollicitudo in honorum & dominiorum augmento impenditur, qui alta sapiunt, & sapiendo desipiunt. Humillimus JESUS non admittit propè superbos, *sed alta à longè cognoscit: Procul este profani.* Sed neq; admittit eos qui *juga bouum* probant, habenas suis sensibus laxant, nihil negant delectabile oculis, nihil auribus, nihil gustui, nihil odoratui, nihil tactui, servi passionum non Domini, mancipia vitiorum, de quibus dicere liceat: *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Nam Salvator noster hanc *escam dedit timentibus se.* Procul etiam nupturientes, voluptatum sectatores, impuri, libidinosi, ubi propinatur *Vinum germinans Virgines,*

Pf. 13.
Pf. 110.

nes, è botro Cypri, qui est *vir omnia pariens, omnia propitians, omnia satisfaciens*. Procul Judæ, qui si præsumant sumere buccellam, iudicium sibi manducant: quia cibus iste *mors est malis, vita bonis*. Idq; in veteri typo adumbratum est. Nam *Manna* nemo non novit typum fuisse SS. Eucharistiæ, & fuit cibus vitæ; nihilominus dicit Christus: *Manducaverunt Patres vestri manna & mortui sunt*. Latet igitur in cœlesti & vitali ferculo mortis telum, & quod datum est in vitæ alimentum transire potest in vitæ exterminium. Nunquid Core Dathan & Abiron manducabant manna cum cœteris? & absorbit eos terra & ignis complices eorum, qui Dei mandatis resistebant? Huc videtur respexisse S. Gaudentius. *Ipse pluit manna cibum suis cultoribus in eremo, qui ignem pluerat nefando sacrilegio criminosis; ipse pluit manna placidus, qui flammam pluerat indignatus.*

S. Gaudent. Fr.
10. de
manduc.
agni.

Pf. 21.

VII. Regius Psalter agens de sumptione & adoratione sacratissimi corporis Christi contraponit benè sumentes malè sumentibus, inquiens: *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ: ecce bonos: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.* ecce malos: illi manducaverunt & adoraverunt, ritè functi officio piorum, isti licet manducaverint, cadunt & descendunt in terram, & ideò cadunt quia descendunt in terram, quia terrenis cupiditatibus affixi sunt. Sed obsecro cur probi hoc loco vocantur pingues terræ? videtur id alienum esse ab hodierni Evangelij parabola, ubi exclusi sunt à cœna pingues terræ, mercatores, nundinatores, nupturientes, & admissi pauperes, debiles, cæci, claudi. Psalterium Romanum cum septuaginta Interpretibus legit: *Manducaverunt & adoraverunt*

runt

runt omnes divites terræ. Et hoc magis directam oppositionem habet cum textu hodierni Evangelij, quia divitiæ opponuntur paupertati, & pauperes ad cœnam loco divitum sunt admissi. Imò paulò antè idem Psalmista præmisit. *Edent pauperes & saturabuntur : laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Quomodo ergo subjungit *Manducaverunt omnes divites terræ.* Paucis rem expedit Bruno Astensis, cum ait: *Egregiè modo divites dicit, quos paulò ante pauperes vocaverat, quoniam etsi caducis, & transitorijs divitijs pauperes sint, æternis tamen & spiritualibus bonis divites sunt.* Et eiusmodi convivas in hodierna cœna ambit Christus : sint mundo pauperes, dummodo virtutibus opulenti; sint mundo debiles, & in eò se jactari sinant instar arundinis, dummodo in tentationibus fortes; sint mundo cæci & eius abominations intueri refugiant, dummodo mentis oculos ad Deum dirigant : sint mundo claudi & curvi, modò ambulent per semitas rectas mandatorum Dei. Hos quippe elegit Dominus; his *Parata sunt omnia.*

S. Bruno
Astens. in
Ps. 21.

VIII. Sed mihi in allegato Psalmi versiculo adhuc occurrit alia cogitatio, cur pauperes vocati ad cœnam appellentur divites : neq; enim reipsa divites & opulenti, qua tales, excluduntur à cœna magna, alioqui etiam excluderentur à cœlo. Proinde inquiri unde vox hæc *divites* suam habeat derivationem. Secundum Varronem *divites dicitur à Divo, quod qui dives est quasi Deus nullo indigere videatur.* Ecce quales convivas desideret cœna magna, divites quasi Deos, quasi Divos; propterea olim inclamabatur : *Sancta sanctis.* Et hi nullo indigent, quia in hoc Eucharistico epulo inveniunt omnia, quia in eo *parata sunt*

Dom. Pars II. G sunt

sunt *OMNIA*, & ipsam etiam Deitatem quodammodo in se transfundunt: fideiubente ipso Christo: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*; quasi diceret (ut ait Rupertus Abbas in hunc locum) *Quid enim ego nisi Deus, nisi Dei sapientia, nisi vera & summa, & sempiterna Deitas? ergo is in quo maneo ego, divinitatem in se transfusam habens Deus factus est. Aequè igitur diviti secundum terrenam substantiam ac pauperi, aequè nobili ac ignobili; aequè docto ac indocto, magno ac parvo patet aditus ad hanc cœnam, si modo sanctus sit, Sancta sanctis. alienus à vitijs, plenus virtutibus, & dum accedit amoroso affectu & reverentia, dives animæ ornamentis.*

IX. Intellexistis AA. quanta requiratur puritas & innocentia in accedentibus hanc cœnam magnam, quales requirantur convivæ, quales excludantur. Illud reliquum est, ut cum hæc cœna semper nobis parata sit, frequëntius illam, expurgatis prius animabus nostris, summa cum reverentia & devotione accedamus, non semel tantum in anno, non consuetudine quadam & temerè, quod aliquando in suis Auditoribus reprehendit Chrysostomus: *Multos video inquebat ille, Dominici corporis participationem temerè sumentes, ut à casu & consuetudine potius, & lege, quàm cogitatu & mente. Si superveniet inquit sanctæ tempus Quadragesimæ, si supervenerit Epiphaniarum dies: licet tempus Adventus vel Epiphaniarum, & Quadragesima dignos accedere non faciat, sed animæ sinceritas & puritas. Cum hac igitur semper accedes, sine hac nunquam. O si revivisceret ille in nobis Ecclesiæ primitivæ fervor, quo fideles universi, & sæculari aequè & Deo dicati quotidie pri-*

Rup. Abb.
in Joan.

S. Chry-
sost. hom.
61.

mum, mox frequentius ad hanc sacram cœnam
 summa cum animi puritate accedebant ! Osi imita-
 remur vel B. Margaritam Ungaram in diuturna
 præparatione, & largo lacrymarum præ animi te-
 neritudine erumpentium imbre ; vel S. Gertru-
 dem in desiderio laudis, honoris, & gloriæ Dei, in
 gratiarum actione pro tanto beneficio quod summa
 illa maiestas tam indignis homunculis se commu-
 nicare & in corporare non dedignetur : vel S. Luit-
 gardem in frequenti ac amoroso accessu ad hanc sa-
 cram mensam : vel B. Elzearium Comitem in di-
 sponenda familia ad usurpationem huius sacri my-
 sterij pluries per annum : sentiremus profectò &
 magnam vitæ emendationem, & vitiorum extir-
 pationem, & progressum felicem in virtutibus.
 Quare hortor AA. meos præsentis inprimis cum
 Augustino : *Quotidie Eucharistiæ communionem perci-
 pere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen Dominicis
 diebus (intellige sollemnioribus) communicandum suadeo
 & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Hortor
 deinde cum S. Abbate Euthymio. iisdem verbis qui-
 bus ipse ad fratres suos usus est : *Quandoquidem ego
 sum homo, æquè ac vos patibilis, ignorans quemadmodum
 unusquisq; vixerit : propterea hoc ante apertè testificor,
 & hanc communem probationem vestræ suggero consci-
 entie, si quis captus fuit ab odio, & injuriæ acceptæ re-
 cordatione : si quis ab invidia, aut ira, aut superbia : si
 quis à maledicto aut à turpi sermone, aut ab improba cupi-
 ditate, aut ab aliquo alio vitio fuit comprehensus, ne prius
 accedat quàm per pœnitentiam à scelere fuerit expiatus.*

*Hæc enim SANCTA non profanis, sed SAN-
 CTIS exhibentur.*

*S. Aug. de
 Eccl.
 dogm. cap.
 35. dist. 2.
 de conse-
 crat. c.
 Quotidie.*

*Sur. in vi-
 ta ad 20.
 Jan.*



DISCURSUS V.

Dominica III. post Pentecosten
Sepulchrum Ambulans

THEMA.

Erant appropinquantes ad JESUM publicani, & peccatores. *Luc. 15.*

SYNOPSIS.

- | | |
|--|--|
| <p>I. Peccatum plurimis nominibus appellatur, sed quia est mors animæ, potest corpus peccatoris dici sepulchrum animæ, & peccator sepulchrum ambulans.</p> <p>II. Nam appellatur ipse homo à Trisnegisto sepulchrum circumvertibile: peccator verò à SS. Patribus similibus nomenclaturis.</p> <p>III. Quid Epulo Evangelicus nisi tale sepulchrum? & quidem immobile, absq; ullo pietatis sensu?</p> <p>IV. Otiosus homo quid aliud est nisi sepulchrum animæ, qualis Vaccia apud Senecam.</p> <p>V. Detractores etiam sepulchrum sunt, cadavera ex-</p> | <p>spectantes, & mortuos devorantes.</p> <p>VI. Impoenitentes etiam sunt sepulchra, qui Deum exasperant, ut miserendo illis irascantur.</p> <p>VII. Sunt item hypocrite sepulchra dealbata, qui etiam ambulando produnt se esse sepulchra: & horum maximus ubiq; numerus.</p> <p>VIII. His adnumeres eos, qui felices in mundo vocantur, & eorum felicitas extrinsecata tantum est: foris splendent intus fetent.</p> <p>IX. Deniq; omnes peccatores sunt sepulchra ambulantia & semipulchri, quia sepe in pulchro corpore turpis anima.</p> |
|--|--|

X. His omnibus suadetur, ut
 appropinquent ad JESUM,
 & ab eo vitam recipiant ani-
 me, quia JESUS peccatores re-
 cipit, ut justos efficiat, & mor-
 tuos revocet ad vitam.

Erant appropinquantes ad JESUM pub-
 licani, & peccatores. *Luce 15.*

I.



Antea est peccati scditas & malitia, ut
 nullis satis coloribus depingi, nulla
 eloquentia exprimi, nullo calamo
 describi possit. Est vinculum, funicu-
 lus, funis, laqueus, catena, servitus,
 captivitas, pondus, onus, labor, ju-
 gum, mola, febris, devoratorium salutis, fera bel-
 lica. *Vinculum: sicut vinculum plaustrum peccatum. Fu-
 niculus: vae qui trahitis iniquitatem in funiculis. Funis:
 Funibus peccatorum suorum constringitur. Laqueus:
 Pravis operibus quasi proprijs laqueis miserè capitur ait
 Basilus: catena: Velle meum tenebat inimicus, & inde
 mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. ait S. Augu-
 stinus. Servitus: Qui facit peccatum servus est pecca-
 ti. Captivitas: Peccatum te ante mentiebatur liberum,
 quem tenebat miserandum captivum, ait S. Chrysologus.
 Pondus: Peccati pondera deprimunt, & ad inferna de-
 ducunt, ait S. Paulinus. Onus: Iniquitates meae sicut
 onus grave gravatae sunt super me. Labor: Iniquitas &
 labor in medio eius, Jugum: Expergiscere o homo, ex-
 cute jugum peccatorum tuorum deprimens te. ait S. Lau-
 rentius Justinianus. Mola: Peccator in semetipso pi-
 strini ergastulum portat, farinam hostibus suis de corrupta
 animae suae fruge conficiens, ait S. Paulinus, Febris:
 Febris nostra avaritia est: febris nostra luxuria est. &c.*

*Ijai. 5. v.
 18 ibid.
 Prov. 5.
 Basil. in
 Cate.
 Graec.
 S. Aug.
 lib. 6.
 Confess.
 c. 5.
 S. Pet.
 Chrysol.
 serm. 114.
 Paulin.
 Ep. 20.
 Psal. 37.
 v. 5.
 Psal. 54.
 S. Laur.
 Just. lib. de
 obed. c. 5.
 S. Paulin.
 Ep. 4.
 S. Am-
 brof. lib. 4.
 in Luc.*

Tertull.
lib. de Ido-
lo. c. 1.
Pet. Chry-
sol. serm.
111.
S Chry-
sost. in
Ep. ad
Heb. hom.
10. Ibid.
hom. 12.
S hom. 42.
ad pop. S
hom. 3. in
Ep. ad
Tit. Et in
Ep. ad
Heb. hom.
15. Et in
Ep. 1. ad
Tim. hom.
2. Et
hom. 30.
ad popu-
lum, S
42. ad
pop. S 23.
ad pop. Et
in Ep. ad
Heb. hom.
12. hom.
23. ad pop.
Et hom. 5.
ad pop.

Trifineg.
ap. Clem.
Alex.

ait S. Ambrosius. *De voratorum salutis*, ita peccatum uominat Tertullianus. *Fera : Peccatum o crudelis fera!* ait S. Pet. Chrysologus. Ut multa eiusmodi præteream : solus S. Chrysostomus peccatum indigetat spinam, lutum, cœnum, rubiginem, lepram, morbum, putredinem, Dæmonem. Et peccatorem nominat modò peiorem bestia. *Feris omnibus est huiusmodi peior.* Modò porcum & suem : *sicut sues deorsum proni sunt, ad ventrem inclinati.* modo Chymæram & scyllam. *Animæ nostræ non tantum deformitatem non aspicimus, verum neq; bestialem indutam speciem, S Scyllam aut Chymæram quandam.* Deniq; quod maxime hodiernis videtur convenire Evangelicis peccatoribus, vivos mortuos appellat : *Qui in peccatis sunt, etsi vivunt mortui sunt :* In hodierno Evangelio dicuntur Peccatores appropinquare Christo. *Erant appropinquantes ad JESUM publicani S peccatores.* Ergo mortui ambulant ? Imò quia mors hæc non est mors corporis sed animæ, & corpus est quidam sarcophagus ac sepulchrum animæ mortuæ, possumus dicere, quod peccator sit quoddam *Sepulchrum Ambulans.* Et quorsum ambulans ? ad JESUM, ut reviviscant animæ mortuæ, ut fiat in cœlo gaudium super peccatore pœnitentiam agente. Et hoc erit thema hodierni mei discursus.

II. Ne sine fideiussore asservisse videar peccatorem esse SEPULCHRUM AMBULANS, jubet ter maximus sapientum Trifinegistus pro fundamento discursus assumi suum effatum de homine : *Homo, inquit, est corruptionis vinculum, VIVA MORS, sensitivum cada-ver, SEPULCHRUM CIRCUMVERTIBILE.* Fallimur, qui mortem reputamus solum illum extremum vitæ halitum,

tum, quo anima separatur à corpore, ipsa vita est mors inchoata. Vix in lucem edimur ad mortem incipimus properare, & quo diutius vivimus, eo magis morti appropinquamus: atq; ita dum simul vivimus, & morimur, reipsa sumus VIVA MORS, sumus secundum aliquid *cadaver* si contemplerur miserias, & secundum aliud sumus *sensitivum*; quia sensu præditi. Quodsi verò etiam inspiciamus animam vitijs infectam, honesti vigore destitutam, & quodammodo ex quotidianis defectibus putrescentem, quam sensu superstite circumvertimus in corpore, iam corpus nostrum aliud non est, quàm *Sepulchrum circumvertibile*. SEPULCHRUM AMBULANS. Quod tam verum est, ut certatim SS. Patrum dicta suffragentur, Unde S. Ambrosius loquens de peccatoribus: *Etiam si videantur vivere, miseres tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut TUMULUM circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam*. Ecce tumulum portatilem hominem peccatorem & animatum cadaver. Eodem respexit S. Clemens Alexandrinus allegatis superioribus Trismegisti verbis: *Nonnulli corpus dicunt esse MONUMENTUM animæ*. Rursum S. Ambrosius: *Quid sunt peccatorum corpora, nisi quedam defunctorum SEPULCHRA?* Et S. Cyprianus universim de omni peccatore pronuntiat: *Animam tuam perdidisti spiritualiter mortuam, FUNUS tuum portare cœpisti*. Aptissimè ad rem nostram Chrysostomus: *Si quis cadaver putridum circumferens per civitatem vagaretur, nonne omnes eum fugerent? Hoc de te cogita, qui animam peccatis obrutam atq; mortuam circumducis*. Ecce tibi manifestis effigiatum lineamentis, SEPULCHRUM AMBULANS, & ut cum Trisme-

S. Ambros.

S. Clem.
Alex lib.
3. Strom.S. Cyprian.
lib de lapsis.
S. Chrysost.
hom. 74 in
Matth.

gisto dicam CIRCUMVERTIBILE : funus ante funus ; tumulum extra tumulum ; mortuum ante mortem ; cadaver nondum consumptum, sed adhuc spirans, eo ipso tamen foetidum. Quis non abhorreat si internis id oculis aspiciat ? quanto magis credendum id esse abominabile Deo qui cordis intima rimatur & penetrat !

III. Descendamus ad particularia. Contemplor in Evangelico textu Epulonem divitem, gastrimargum, abdominis & gulæ mancipium, sibi soli natum, toti mundo inutilem, pro explendo palmarum stomacho, aërem, aquas, terras, fatigantem ; nunquam saturum nisi ex fastidio ; quotidie somno *vinoque sepultum* : & inter hæc ad miselli homuncionis quiritus & lamenta, surdum juxta & cæcum. In humano corpore (ut norunt Physici) postremi omnium oculi animantur, & primi moriuntur ; proximè ab his auditus deficit. Quid igitur differt à mortuo, qui nec audit humanas voces, nec videt obiecta proxima ? an fortè vivere censendus quia obambulat ? Minimè : cum neq; moveatur, ad genialem mensam confidens velut **IMMOBILE SEPULCHRUM**. Audite super hoc differentem Chrysologum : *Isle dives, imò divitiarum captivus, servus opum, & ipsis censibus compeditus, tantum pompæ IMMOBILE SEPULCHRUM, in quo pietatis totus utiq; & visus defecerat, & auditus. Jacet antè fores pauper Lazarus : videt Epulo : imò non videt, qui non miseretur : petit ille vel micis de mensa cadentibus satiari : audit Epulo, imò non audit, quia non exaudit : mortuus est Deo, destitutus sensu, tantum pompæ IMMOBILE SEPULCHRUM.* aut si immobile, mortuam tamen habens

S. Pet.
Chryf.
serm. 121.

animam. Unde Theophylactus : *Professio etiam cum viveret sepulta erat eius anima, carnem quasi SEPULCHRUM circumferens.* Theophyl.
in Lucam.

IV. Vis hominem otiosum ante mortem mortuum, vivum in SEPULCHRO? Cordubensis Philosophus talem graphicè delineat. Ethnicum quidem, sed quo deterior sit Christianus otio deditus. Vaccia is erat homo prætura functus, negotiorum & curarum omnium pertæsus, otio velut sanie diffluens, & velut IMMOBILE SEPULCHRUM in villa sua ab hominum consortio remota delitescens : *In hac (villa) ille prætorius dives, nulla alia re quam otio notus consenuit, & ob hoc unum felix habebatur. Nunquam aliter Vaccia vivo præteribam, quàm ut dicerem. Vaccia hic situs est. Annon iste fuit SEPULCHRUM vivi hominis, & si præterea inquinatus sceleribus, quæ plerunq; inter Ethnicos virtutum speciem induebant, etiam scetens? Quàm verè idem Seneca alibi scripsit : Otium mors est, & vivi hominis SEPULTURA.* Qui nihil agunt, hoc agunt, ut malè agant, nec ullum scelus est, quod non edoceat otium. Demetrius Philosophus otium appellare solebat mare mortuum, quia scilicet otiosum sedere non est malacia, sed inaltia.

V. Jam verò & Psaltes Regius nobis digito monstrat SEPULCHRUM AMBULANS, cum detractores describit, idem repetens Psalmo 7. & 13. *SEPULCHRUM patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.* Lingua in corpore humano membrum optimum & pessimum, prodesse potest, & nocere. *Mors & vita in manu lingue.* Circumspecta est dentibus & labijs quasi gemino inclusa sepulchro, sed cum exeritur in famam proximi, in de-

Sen. Ep.
55.

Sen. Ep.
82.

Idem. Ep.
67.]

Psal. 7.
v. 13.

S. Bern.
Tr. de
tripl. eu-
stod.

Orig. in
Psal.

D. Tho. in
Psal.

tractionem, venenum eructat, quot res simul occidit, & quasi devorat: *Lethaliter* (ait S. Bernardus) *tres inficit flatu uno, eum qui detrahit, & de quo detrahit, & eum qui libenter audit.* Verè Sepulchrum quod cadavera exspectat, & mortuos vorat: *Sepulchrum patens est guttur eorum:* In quem locum Origenes: *Verbum Diaboli de sepulchro exit, dum ex ore detractoris egreditur.* Et divus Thomas: *Os eius, qui semper est paratus ad mortificandum per detractionem, est sepulchrum patens.* quia scilicet si clausum esset neminem inficeret: si mala quæ sciunt de proximo intra se contineret & intra labia, nec sibi nocerent nec proximo, sed dum illa malitiosè eructant, se pariter occidunt & proximum, ut meritò non tantum guttur eorum sed corpus dici possit **SEPULCHRUM AMBULANS**, mortuam animam circumferens.

Psal. 67.

S. Bruno
Astens. in
Psal. 67.

VI. Alibi porrò idem Psalter rursus exhibet aliud **SEPULCHRUM AMBULANS**, dum canit: *similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Bruno Astensis legit: *eos qui in ira provocant, qui habitant in sepulchris.* & addit: *SEPULCHRA dicuntur peccatores, foris dealbata intus foetore & putredine plena. Sed qui sunt illi qui in ira provocant, nisi illi qui quotidie peccant, & ad pœnitentiam redire contemnunt?* Sine dubio peccator impœnitens, habens conscientiam peccatis infectam sepulchrum dici potest; sed non dum satis capio, curialis dicatur in ira provocare, & exasperare Deum, quæsertim si Deus punire, differat, si peccantem quotidie & non pœnitentem longanimiter exspectet, tunc enim non provocatur in ira sed in misericordia, & patientia. Verum, tunc, maximè censendus est Deus irasci peccatoribus, quando indulget: *Magna*, inquit S. Hierony-

S. Hier.
SeleB. E.
pist. 38.

mus

mus, *ira est quando peccantibus non irascitur Deus.* Alio tendit in expositione huius Psalmi Hugo Cardinalis. *qui exasperant inquit: blasphemando & persecuendo, qui habitant in sepulchris id est qui cupiunt mortem aliorum.* quasi innueret illos habitare in sepulchris, qui proximo mala desiderant, fodiunt illi foveas, ut mortuo succedant in hæreditatibus, in possessione facultatum, in adeptione officiorum, in consecutione aliorum bonorum temporalium, hi habitant in sepulchris, quia cogitatio eorum est de sepulchris aliorum; cum interim non recordantur suimet sepulchri, & immemores sunt se posse incidere in foveam, quam alijs fodiunt.

Hugo
Card. in
Psalm.

VII. Quod S. Bruno Astenfis peccatores impenitentes nominet *SEPULCHRA foris dealbata*, revocat mihi in memoriã aliud *SEPULCHRUM AMBULANS*, de quo Salvator ipse apud Evangelistam locutus est: *Similes estis, inquit ad Phariseos, sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omnia spurcicia, sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrasi, & iniquitate.* Nulli profectò melius convenit nomenclatura hæc *SEPULCHRUM AMBULANS* quàm hypocritæ: ipsa ambulatio alium foris ostendit, alium intus celat. Splendet hypocrita, pietatem vultu simulat, amorem in oculis venalem habet, mella loquitur & ambrosiam; detrahe larvam, nihil illo foedius: cortinam remove; premit altum corde dolorem: tolle nubem, odium fovet ac ranco rem: dele cerussam, livorem deprehendes: abluè faccharum, venenum est quidquid loquitur & cogitat. Verè *SEPULCHRUM DEALBATUM AMBULANS!* de quo in hæc verba Chry-

Matth 23.

S. Chry-
sost. hom.
45. in
Matth.

solitudo differit: *Sicut SEPULCHRUM quam-
diu clausum est, pulchrum videtur foris; si verò fuerit a-
pertum horribile est: sic & simulatores bonorum quamdiu
non cognoscuntur laudabiles sunt, cum verò cogniti fue-
rint, inveniuntur abominaciles. O si multis detrahe-
rentur larvæ, quas sibi affingunt; quàm horrida vi-
deremus cadavera ambulare per compita! Dubita-
remus profectò an potius versemur inter mortuos
quàm vivos, & cogeremur fateri infelicitatem no-
stri temporis cum Lipsio, qui ad mores huius æta-
tis respiciens aiebat: *Irritamus quotidie magnum illud
Numen, & quasi puniendi justæ causæ non sint, damus
novas. Quando luxus, fastus, libido maior, impunitior?
& religio passim nunc in ore, improbitas in corde. Verba
pietatem sonant, facta ambitionem, avaritiam: nec in uno
alteròve, sed apud plerumq; ordinem, ætatem, sexum.
Omnia itaq; plena sepulchris ambulantis; plu-
res mortui quàm vivi discurrunt per plateas.**

Lips. Cent.
2. Epist. 6.

VIII. Quibus si & eos adiunxeris, quorum sa-
piens Seneca meminuit; næ tu, si sapias, mundum i-
stum odio habueris. *Isti, inquit Seneca, quos pro feli-
cibus aspicias, si non qua occurrunt, sed qua latent, vide-
ritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parie-
tum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera
felicitas, crusta est, & quidem tenuis. Itaq; dum illis
licet stare & ad arbitrium suum ostendi, nitent & impo-
nunt: cum aliquid incidit quod disturbet ac detegat, tunc
apparet quantum altæ ac veræ scditatis alienus splendor
obsconderit. Dealbantur sepulchra, dealbantur pa-
rietes tenui crusta calcis, cum hæc decidit, apparet
quid latuerit. Tales sunt quos mundus felices exi-
stimat sed *Non est ista solida & sincera felicitas.* Illum
qui tumidus equo fertur per urbem, aut carrucæ*

Senec. de
prov. cap.
6.

inauratæ insidet, magnâ famulorum stipatus cater-
vâ nemo non obvius felicem credit. Erramus! mi-
ser est, ac sordidus: larvam detrahe, crustam abra-
de; pectus & animam inspice: hæc sæpè foetidum
olet hircum, & mortua est in corpore ornato velut
SEPULCHRO dealbato. Quin etiam sæpè corpus
ipsum ulceribus occultis plenum, scabie rigens, li-
cèt aurata veste ac serica cultum splendeat, SE-
PULCHRO fœdus est, ut cum sit corpus SEPUL-
CHRUM animæ, vestes quoq; meritò appelles SE-
PULCHRUM SEPULCHRI. Vides alium inter
choreas & tripudia exultantem, ore ad omnem hi-
laritatem composito, risui & cachinnis indulgere;
nec crede felicem, coactus est sæpè risus: *Hilaritas
ficta est*, ait iterum Seneca, *aut gravis & suppurata
toisititia, & quidem gravior, quia interdum non licet pa-
lam esse miseros: sed inter ærumnas cor ipsum exedentes,
necesse est agere felicem. Sæpius hoc exemplo mihi uten-
dum est; nec enim ullo efficacius exprimitur hic humane
vitæ mimus.* &c. *Quos supra capita hominum, supra
turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum per-
sonata felicitas est. Contemnes illos si despoliarveris.* Quid
hoc aliud est dicere, quàm sub diversâ allegoria;
tolle sepulchralem lapidem dealbatum, & invenies
cadaver tabo & sanie putrescens, olidum, hor-
ridum.

IX. Deniq; considera quemcunq; vitiosum,
quemcunq; peccatorem; quamdiu in peccato est,
mortuum affirma, & corpus eius quantumvis mo-
veatur SEPULCHRUM AMBULANS est. De e-
brijs Augustinus: *Ebrietas est quædam vivi hominis
SEPULTURA.* De avaris Ambrosius: *Nihil in-
terest inter funus & scænus: nihil inter mortem distat &*

Sen. Epist.
80.

Aug. ap.
Cornel. à
Lap. in
Prov. S.

Ambros.
lib. de
Tob. c. 10.
S. Leo.
serm. 6. de
ieiun.

Luc. 15.

Apoc. 3.

Nazer. in
Josue. c. 10
§. 28.
Rup. in
Apoc.

S. Chry-
sost. hom.
3. ad pop.

sortem. Et S. Leo: *Fœnus pecunia, funus est anima.*
De superbis Hieronymus: *Quanti indies diu vivendo
portant funera sua, & quasi SEPULCHRA dealbata
plena sunt ossibus mortuorum.* De carnis mancipijs i-
psa scriptura testatur. Prodigus ille qui substantiam
suam prodegerat luxuriosè, redux ad patrem quasi
mortuus resuscitatur ad vitam: *Frater tuus hic mor-
tuus fuerat, & revixit.* Et in Apocalypsi Angelo
Ecclesiæ Sardis scribit Joannes: *Non habes quod, vi-
vas, & mortuus es.* Quomodo vivit & tamen mor-
tuus asseritur? nempe ut ait nonnemo: *Introrsum
erat mors, & extrorsum vita.* Rupertus de hoc agens:
*Datur (inquit) conijci quod mortui huius mors fuerit
peccatum carnis.* Communi proinde tam scripturæ,
quàm Patrum consensu peccator mortuus censi
debet, & si videatur vivere, anima tamen eius mor-
tua est, ut miretur Chrysostomus posse aliquem de
hoc dubitare: *Non nosti, quod qui in peccatis sunt e-
tiamsi vivunt mortui sunt, qui verò in justitia sunt, e-
tiamsi mortui sunt vivunt.* Audite ergo peccatores,
& mentem recolligite: putatis vos esse Illustrissi-
mos, Illustres, Generosos, Nobiles, honoratos &c.
admitto & confirmo si justis estis: nego autem si
peccato inquinatas habetis conscientias: ita enim
nomen habetis quod iniquè usurpatis, cum sitis
obscurissimi, ignobiles, inhonori, verbo SEPUL-
CHRA dealbata, SEPULCHRA AMBULANTIA:
cadavera mobilia. Est qui dicat cadaver sine anima
posse appellari semihominem: melius appellabitur
SEPULCHRUM, quasi *Semipulchrum*: ubi inpul-
chro corpore latet sceleribus foetens & emortua a-
nima.

X. Quare liceat mihi hodie iisdem verbis
com-

compellare peccatores, quibus usus est Paulus scribens ad Ephesios. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Dicite cum prodigo mortuo & rursus aspirante ad vitam: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Imitemini hodiernos Evangelicos mortuos. *Erant appropinquantes ad JESUM publicani & peccatores.* Si fuistis hactenus SEPULCHRA AMBULANTIA, cadavera mobilia, ad JESUM qui vita est ambulate, illi per pœnitentiam appropinquate. & reviviscetis. Prima bonitas est velle fieri bonum prima reviviscentia velle reviviscere. Fidem habete Chryfologo: *Ipse dixit ego sum vita. Quod est anima corpori, hoc est anima Christus, sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo.* Multi quidem ambulant, sed quia non ambulant vel appropinquant ad Christum, prope rant ad mortem, sunt SEPULCHRA AMBULANTIA ad interitum; de quibus Apostolus ingemiscens aiebat: *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & stens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* &c. ad quæ verba respexisse videtur Augustinus cum ambulantes ad peccata mortuos pronuntjavit: *Ambulant (inquit) pedes, intelligo corpus vivere, sed quo ambulant? ad adulterium: ergo mortua est anima.* Et rursus: *Loquentem audio, corpus loquitur, corpus vivit; sed interrogo, utrum & anima vivat? ecce loquitur corpus; vivit. Quid loquitur? mendacium loquitur, ergo mortua est anima.* Hoc non est ambulare, non est appropinquare ad Christum, sed elongare ab eo. Qui ad Christum appropinquat, ad vitam accedit. Ipse enim peccatores recipit, quos venit quærere, quia perdidit ipforum culpa. Nesciunt hodie quid ca-

Ephes. 5.

S. Chry.
sol. serm.
19.ad Philip.
3.S. Aug.
serm. 13.
de Mart.

lumnientur Pharifæi murmurantes : quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Cur non dicunt fufcipit, fed potius recipit ? quia ifti funt ovis perdita, drachma perdita ; appropinquantes per pœnitentiam recipit. *Donat culpas, iram vertit in gaudium, dolorem mutat in gratiam quicumq; invenit quod amifit.* ait S. Petrus Chryfologus. Rectè igitur recipit, fed non quales ante ambulabant, extrahit mortuos è fepulchro, & vitam illis reftituit. *Recipit peccatores Deus* (pergit Chryfologus) *fed Deus peccatores efle non finit, quos recipit : peccator Deum non violat appropinquans ; Deus peccatorem fanctificat cum appropinquat.* Ambulemus itaq; chariffimi in novitatem vitæ, appropinquemus Chrifto per emendationem, & emundationem confcientiæ ; ut per ipfum revifitati, dicere poffimus cum Apoftolo : *Vita noftra abfcondita eft cum Chrifto in Deo. & tunc maius gaudium erit in cælo fuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm fuper nonaginta novem iuftis, qui non indigent pœnitentia.*

S. Pet.
Chryfol.
ferm. 168.

Coloff. 3.



DISCURSUS VI.

Dominica IV. post Pentecosten.

Labor Asininus.

THEMA.

Tota nocte laborantes nihil cœpimus.

Lucæ 5.

SYNOPSIS.

- I. Vix editi in lucem laborare incipimus, sed plerumque sunt vani & frustranei nostri labores, quos si in bonum impenderemus possemus eternitatem mercari.
- II. Philemon Poëta daturus fabulam mortuus est inventus & egit veram fabulam, talis est vita nostra, in qua dormimus somnum, & nihil inde reportamus præter vana somnia.
- III. Ita vivendo laboramus ut Oenus, qui sparteum finem torquebat inutili labore, quia asina stans à tergo qui liquid ipse elaboraverat, absuñebat, unde natum de labore inutili proverbium.
- IV. Dives Evangelicus, qui congregabat in horrea, vano labore detinebatur, quia edificabat & destruebat.
- V. Tales vescuntur spinis ut Asini, & laborant Asinè tota nocte ac nihil capiunt.
- VI. Experti hanc laboris vanitatem Sapiens Salomon, & frater eius Absolon.
- VII. Unde meritò Chrysostomus suadet illam sententiam Vanitas vanitatum & omnia vanitas, ubique scribendam esse & oculis obijciendam; ut cogitationes transferamus à perituris ad permansura.
- VIII. Multi quidem exercent etiam quedam bona opera, sed hæc iterum perdunt per mala

opera, quod texere & retexere telam Penelopes labore inutili. Alitè igitur anima

infigamus illud effatum: Vanitas vanitatum!

Tota nocte laborantes nihil cepimus.

Luca 5.

I.



Ominem ad laborem natum esse tam verum est, ut si id non testarentur sacrae paginae, quotidiana singulorum evinceret experientia. Vix in lucem edimur laborare incipimus, & non est finis laboris nostri, nisi cum nobis concinitur. *Requiem eternam*: imò plurimis tunc primum incipit Labor & dolor longè gravissimus, qui malè laborarunt in vita. Putat nihilominus mundus se in laboribus suis felicem esse, & in perpetua inquietudine, quietem habere, cum sit infelicissimus. *Sapientiam & disciplinam qui abiicit infelix est; & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum*: oraculum est sapientiae. Videor mihi hodie audire in Apostolis noctu piscantibus amatores mundi clamentes: *Tota nocte laborantes nihil cepimus*. Alius piscatus est honores, & pro honoribus consecutus est fumos, imò *Nihil*: alius piscatus est divitias, & pro divitijs invenit *Nihil* in manibus suis: alius piscatus est voluptates, & pro voluptatibus obtinuit dolores, ex voluptatibus *Nihil*, ut cum Thoma Moro Angliæ regni Cancellario illos alloqui libeat: O stulti, & stupidi amatores mundi, tales & tanti sunt vestri labores, quos toleratis, ut piscemini *Nihil*, imò pœnas inferni, ut

fi

Sap. 3.
v. 11.

Tho. Mor.
ap. Prot.
disc. 2.
Staplet. in
vita. c. 12.

si medietatem eorum impenderitis ad piscandam
 cœlestem gloriam, felicissimi essetis. Sapientissimè
 dictum: quibus non absimilia dicebat olim Salustius
 homo Ethnicus: *Si hominibus bonarum rerum tanta*
cura esset; quanto studio aliena, ac NIHIL PRO-
FUTURA, multumq; etiam periculosa petunt: neq; re-
gerentur magis casibus, quam regerent casus, eo magni-
tudinis procederent, ut pro mortalibus gloriâ æterni fie-
rent. Sed ego nolo vos hodie terrere pœnis infer-
 ni: vel allicere spe æternitatis, tamatli & hæc ante
 oculos habere deberitis. Mitius agam vobiscum;
 solum ostendam vos laborare & frustra laborare, fel-
 licitatem piscari LABORES vestros inanes, frivo-
 los, infructuosos, inutiles, cassos, frustraneos & A-
 SININOS esse, quibus transactis nolentes volentes
 fateri cogimini: *Tota nocte laborantes Nihil cepimus.*

Salust. in
 Jugurb.

II. Philæmon Poëta fabulam daturus populo,
 cum propter repentinam pluviam differre cogere-
 tur, postridie diu expectatus non comparuit. Missi
 qui eum accirent, sed mortuum reperere, & (verba
 sunt Apuleij) *retulerunt Philemonem Poëtam qui ex-*
spectaretur, quo in theatro fictum argumentum finiret, iam
domi veram Fabulam consummasse. Nempe vita est
 quàm in mundo vivimus ludus quidam scœnicus,
 & fabula. Unde Seneca: *Quomodo fabula sic vita.* Et
 Epictetus monet: *Memento actorem se esse fabule.*
 Omnes personati incedimus, alius agit personam
 Crœsi, alius Iri, alius Thrasonem, alius Davum, a-
 lius Euclionem, alius Prodigum, & cum sublata
 fuerit scena:

Apulei.

Sen. Ep.
 27. Epist.
 Encbirid.
 cap. 22.

Vera redit facies, dissimulata perit

Non contentus Divus Chrysostomus hac nuncu-
 patione vite, addit etiam similem esse somnio: *Fa-*
bu-

Petron.
 Arb. in
 Satyr.

*bula quedam est & somnium vita: sicut enim in scena auleo sublato varietates dissoluuntur, & omnia coruscante luce somnia avolant, ita consummatione veniente tam communi, quam uniuscuiusq; omnia dissoluuntur & evanescent. Mira sæpè nobis imaginamur in somnijs, & velut præsentia esse putamus, sed expergefacti nos videmus delusos, & evenit nobis quod canebat Psaltes: *Velut somnium surgentium domine: imaginem ipsorum ad nihilum rediges: ad quæ verba S. Bruno Asten. in Psal. Citò transeunt omnia quæ in hoc seculo sunt, & sic sunt quasi somnium exurgentis; qui antequam à somno evigilaret, magnas divitias se in somnis habere videbat, exsurgens autem Nihil invenit.* Idem dicit de omnibus mundi amatoribus. *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum* (omnes sectatores voluptatum, omnes ambitiosi, omnes gulosi & vinolenti) *& Nihil invenerunt in manibus suis,* imagines eorum & imaginationes ad *Nihilum* redactæ sunt: serò agnoverunt; se frustra laborasse. *Totâ nocte laborantes nihil cepimus.**

III. Ne recedamus à fabula, ex ipsa fabula mundi *laborantium* frustratum & inanem laborem ostendamus. Mechopanes Pausiæ pictoris discipulus à diligentia, quam soli artifices intelligant commendatus, ut est apud Plinium, pinxisse fertur Ocnus (ita nominatur sive verus homo fuerit, sive fictus) è sparto funem plectentem à cuius tergo asellus quidquid Ocnus plexuit, illicò rodens absument. Alij picturam hanc Polygnoto pictori attribunt. Notat Pierius apud Pausaniam, qui huius inventionis etiam meminit, asellam nominari non asellum, quæ ab Ocnus tergo restem absumat, ideoq; per hoc hieroglyphicum designari vult virum fru-

*Psal. 72.
v. 27.
S. Bruno
Asten. in
Psal.*

*Plin. lib.
35. cap. 21*

*Pierius
Vater.
hierogl.
lib. 72.*

gi, uxorem prodigam, quæ scilicet absumat quidquid maritus suo labore congesserit. Magis placet id referre ad omnes *Laborantes* mundanos, quia quantumcunq; fatigentur & sudent in conquirendis facultatibus, honoribus, delitijs, frustratos tandem spe sua se vident, cum nullum ex illis fructum referant; unde proverbij origo, de ijs qui frustrantur spe sua: dici enim solet *Oeni funiculum torquet*: magno labore & solitudine quærit felicitatem in divitijs, honoribus, voluptatibus, & nihil inde reportat præter laborem. Heraclides Lycius de laudibus laboris lucubrationem conscripserat eo titulo. *Ponou egcomion Laboris laus*, eamq; Ptolomæo Regi obtulit cum sibi obvium habuisset. Rex inspecto titulo, primam abrasit literam, ut remanserit *Onou egcomion*, *Asini laus*, laborem Asino tribuens, qui ei maximè proprius inter omnia animantia, & inter *onos* & *ponos*, unicam literam discrimen facere insinuans. Sub hoc titulo meritò comprehenderis laudes omnium mundi sectatorum, qui suas cogitationes ultra non extendunt, quàm ut habeant, ut æstimentur, ut voluptatibus momentaneis fruantur. Verè enim asininè plerunq; laborant, & nil inde referunt amplius quàm Asini ex suo labore. Quod evenire experientia docet Alchymistis quos per antonomasiam vocamus *Laborantes*, qui dies & noctes insumunt in conficiendo *Lapide Philosophico*, & tamen eliquata omni sua substantia *Nibil* elaborant.

IV. Videamus hanc veritatem in praxi. Evangelicus ille divitiarum gurges *ingratus Deo, sibi nequam, hostis pauperum, divitum nota, carcer naturæ*: uti eum appellat Chrysologus cum illi uberes fru-

Pier. cit.

*S. Chry.
sol. serm.
104*

Luce 12.

Etus ager tulisset, anxiani cœpit & animo laborare, *Quid faciam* (inquit) *quod non habeo. Audistis quomodo non habet dives?* sunt verba Chrysologi: *Verum est, quia non habet semper, qui querit semper. Non habeo quo congregem fructus meos. Non habes horrea, in quæ reponas? ô te verè miserum* (ut cum eodem Chrysologo dicam) *miserum quem ubertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ fecere mendicum.* Et cum S. Ambrosio: *Angustiatur hic ex abundantia, constringitur & coarctatur ex opulencia, & ut video: ager ei tam redditus largiores, quam gemitus attulit graviores.* Ubi quietem deberet sibi augurari, novos meditatatur labores. *Destruam horrea mea, & maiora faciam.* Stulte quid opus tantis laboribus? si horrea angusta sunt, laxæ sunt domus pauperum, ubi fructus multò melius tibi recondentur: quod redundat eroga, & non est opus destruere ac rursus ædificare. *Sed tota nocte laborans nihil capit.* Nocturnis pulsatur cogitationibus, nocturno fatigatur labore, unde & audit: *Stulte hac nocte à te repetent animam tuam.* Benè stultè, ait iterum S. Chrysologus: *quia migraturæ mox animæ condita satis longa præparabat. Convenienter hac nocte, quia fugiens misericordie lucem, avaritiæ tenebris se manciparat.* Animæ recondit quæ non manducat: *Anima mea habes bona multa.* Anima tua corpus tuum est, cui hæc bona conservasti, de anima parum sollicitus, qua tibi erepta, pro corpore frustra laborasti. *Destruam* inquit, *horrea mea.* Ad quæ eleganter Basilius: *Destruam horrea mea, & maiora ædificabo. Si verò etiam hæc impleveris, quid tunc excogitabis? num rursus destrues, & rursus ædificabis? Et quid his stolidius fieri possit? laborare sine fine, ædificare summo studio, & de industria destruere.* Notate illa

S. Basit.
hom. 6. de
div.

illa verba: quia his stolidius; & laborare & destruere. Asinum vocamus stolidum animal; quod alij expriment per excors, stupidus, stultus. Laborat & destruit, an potius labores destruit, sicut Oeni Asellus, funem ab hero plexum devorans.

V. Eiusmodi stolidos laboratores videtur descripsisse patiens Job, cum ait: *Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate & miseria. Et mandebant herbas & arborum cortices, & radix Juniperorum erat cibus eorum.* Ad quæ verba recens scriptor: *Juniperi radices amarissimæ, eiusdem folia aculeis plena, hæc sunt mundalia oblectamenta.* Non fisto hic: sed respicio ad cibum Asinorum, qui est carduus, spina, stramen, herba obvia, & puto à Jobo describi divites qui in maximis facultatibus sunt egestate & fame steriles, in maximis laboribus spinis & carduis pascuntur: neq; hoc solum in morali sensu, sed reipsa divites avari, qui inter medios acervos pecuniarum sedent, sæpè nec sibi quidem boni sunt, vix agresti cibo famelicum ventrem explent. Non sine mysterio Christus apud Evangelistam divitias spinis comparavit: *Quod autem in spinas cecidit hi sunt qui audierunt, & a sollicitudinibus & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur:* quæ ponderans S. Gregorius in rem nostram: *Quis mihi unquam crederet si spinas divitias interpretari voluissem, maximè cum illæ pungant, istæ delectent: & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctioribus mentem lacerant.* His tamen delectantur divites, his quodammodo vescuntur ut Asini stolidi, & demum suffocantur: cumq; finis vitæ supervenerit, ferò agnoscunt. *Tota nocte laborantes nihil cœpimus,* quia sunt ut loco citato aiebat Job: *Qui inter huiuscemodi*

Job. 30. v.
3. & seq.

Christ. Vega. in
Judic. num.
683.

Lucæ 8.

S. Greg.
hom. 15.
in Evang.

Job. 30. v.
7.

letabantur. & esse subsentibus delicias computabant, filij stultorum. Qualia labra talis lactuca. Non credo Medicis asserentibus quod lac *Asinae* medeatur chiragrae & podagrae: lac asininum ex sentibus & tribulis conficitur, lac divitum ex pecunijs, quo quantum turgescunt, tantum diligentius custodiunt, & contrahunt potius chiragram illiberali manu, quam depellant, & ad curam animae sunt *asinis* tardiores quasi spinas haberent in pedibus. *Laborantes tota nocte.*

VI. Expertus frustrationem laborum suorum sapiens Ecclesiastes exclamat. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* Non sine reflexione dixit *sub sole* quia qui laborant supra solem, habent copiosum fructum quo gaudeant: at *sub sole* nihil praeter vanitatem. Id observavit Olympiodorus: *Omnes homines ait sub eodem sole versamur: eorum vero qui laborant, alij quidem vires intendunt suas ob ea quae solem supereminent, ut caeleste regnum in hereditatem accipiant, alij vero ob ea laborant quae sunt sub sole, ut inanem scilicet gloriam, vel pecunias, dignitatemque acquirant.* Omnia haec sunt inania, sunt frustranea, sunt fructu vacua. Nam sapientis effato: *Vacua est spes illorum, & labores eorum sine fructu, & inutilia opera illorum.* Videte Absolonem Regis filium, quanta cura & solitudine, quanta cum animi anxietate suspirat ad Regis fascies, expectat advenas in porta, osculatur ijs manus, blandè alloquitur, militem legit, patri rebellat, & iam iam se credit pulso patre in Israël regnaturum. Sed vacua erat spes illius, omnes conatus irriti: velut somnium, & imaginatio. *Adhaesit caput eius quercui, & illo suspensio inter caelum*

Eccle. 1.

Olympiod.

Sap. 3.

2. Reg. 18

lum

lum & terram, mulus cui infederat pertransiuit. Quid rogo opus erat tam enucleatè omnes circumstantias exprimere in sacro textu, quomodo labores Absolonis pro Regia corona in irritum reciderint, ut etiam de Mulo, cui infederat, mentio fieret? mysterium hic latens aperit Venerabilis Drogo. *Pendet Absolon per comam capitis sui, & Mulas cui infederat transijt, quia mundus transit & concupiscentia eius.* Quid obtinuit hic ambitiosus juvenis de universo labore suo? titulum sepulchri, imò *Nihil.* Porro Absolon (ait sacer textus) *erexerat sibi cum adhuc viveret titulum &c. vocavitq; titulum nomine suo, & appellatur Manus Absolon usq; ad hanc diem.* Nihilne aliud remansit Absoloni? nihil prorsus præter titulum: *Manus Absolon:* omnis operatio Absolon & laborum fructus est titulus sepulchri. Aptè ad hunc sensum Seneca: *Quosdam cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri.* O vanas hominum spes! ô inanes labores! *Tota nocte laborantes nihil cepimus.*

Drogo de
sacram.
Dom. pass.

Sen. de
brev. vit.
c. 19.

VII. Hos frustraneos mundanorum labores averfatus D. Chrysofomus non uno in loco, monet, hortatur, rogat, ut animum ad veritatem non ad vanitatem convertamus. *Sapissimè ista* (nempe vana studia & labores) *reprehendimus, humanam vitam Nihil esse dicentes: Quid tanto studio quod Nihil est quæris? quid labores pro Nihilo sustines?* Atq; ut veritatem persuadeat efficacissimum assumit exemplum Salomonis. *Audi quid dixerit Salomon, qui presentium rerum periculum fecerat. Ædificavi inquit mihi domos, plantavi hortos, atq; pomaria, vineas & piscinas aquarum, argentum & aurum congregavi mihi &c. Nullus*

S. Chry-
sost. hom.
16. in Ep.
1. ad Ti-
moth.

unquam tantis abundavit delitijs, nullus adeò fuit illustris, nullus tam sapiens, nullus maiore principatu, nullus cui tam ad vota cuncta succederent. Quid ergo? **NUL-
LUM EX HIS RETULIT FRUCTUM.** Quid ait post ista omnia? *Vanitas vanitatum, inquit, & omnia vanitas!* Crede experto singula, quæ in mundo concupiscis & cassò labore inquiris, crede decepto in singulis, nisi forte tuipsè iam pridem expertus sis, quid sit *Tota nocte laborare & nihil capere.* Quod si te aliquando à mundo deceptum agnoscis, nonne Asino stolidiores, quod iterum eius frustraneis laboribus humeros supponas? *Vanitas, vanitatum & omnia vanitas* repetit alibi iterum Chryso-
stomus, & adiungit: *Hoc dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in vijs, in fenestris, in januis, sed potissimum in ipsa cuiusq; conscientia continenter inscriptum esse oportet, omniq; tempore cogitatione observari.* Vult nimirum sanctus Pater ut cogitationes nostras à transitorijs ad permansura, à vanis ad solida, à falsis ad vera transferamus, & pro frustraneis laboribus, fructuosos suscipiamus, pro *Nihilo Aliquid* agamus.

VIII. Metuo hodie nonnullorum censuram, quasi velim proscribere omnem curam rerum temporalium. Quid rogo inquirunt, num omnes oportet cucullum induere? omnes sacris adscribi? omnes tantum orationi & lectioni vacare? aut soli fortè Sacerdotes, soli, Religiosi cœlorum hæredes erunt? An divitiæ tantum malum sunt, ut eas comparare sit *Labor Asininus*, qui nihil afferat utilitatis? quomodo sine his mundus sustentaretur? Si omnes Eremiticam vitam ageremus, quis laboraret? quomodo vel ipsi Ascetæ toti in res sacras in-

ten-

tenti vitæ subsidia nanciscerentur? Planè ad votum meum hæc est obiectio, qui non damno omnem laborem, non proscribo divitias, sed rectum earum usum desidero. Neq; mihi persuadeo omnes mundi amatores, omnes divites vel ambitiosos, usq; adeo perversos esse, ut nihil unquam de Deo cogitent, nunquam orationi vacent, nunquam aliquid boni operis exercent. Nam video divites ac opulentos, honoratos & plebeios promiscuè frequentare templa, interessè concionibus, audire Missas, quin etiam sæpè eleemosynas elargiri. Hoc laudo. Sed parcite mihi si verum eloquar. Plurimi ex his videntur mihi texere telam Penelopes, & quantumvis suis vanis curis & laboribus seria intermisceant, nihilominus *Laborantes nihil capere*. Penepole Ulyssis coniunx apud veteres laudatissima, & à fide in conjugem per multos annos absentem commendata, telam texebat de die, & eandem retexebat de nocte. Hoc nisi gratia fallendi procos fecisset, planè fuisset *labor frustraneus*. Ita nonnulli quod subinde in templo, in foro, orando, eleemosynam modicam dando quasi de die texunt, retexunt iterum de nocte per vitia, per avaritiam, per gulam, per superbiam, & ambitionem: de nocte in quam: *Quid enim est peccatoris vita nisi nox* ait S. Gregorius. Divitias non damno quas dat Deus, sed vellem, ut qui habent divitias ijs rectè & ad salutem uterentur. *Divitiæ si affluant nolite cor apponere*: ait Psalter Regius. O quam multi frequentant templa excordes, qui cor apposuerunt divitijs, qui cogitatione sua vagantur in arcibus suorum thesaurorum, solo corpore præsentés in Ecclesia! quam multi ambulando per forum, vel exeundo è templo paucos nummos ex humano re-

Nat. Com.
in An-
thol. lib.
8. c. 24.

S. Greg.
in lib. 1.
Reg. c. 15.

Psal. 61.

spectu, pauperibus eleemosynæ loco projiciunt, interim privatim centenos & millenos per fraudes, per usuras, per dolos exfugunt à miseris! Hi telam texunt de die, & retexunt de nocte, ac tandem dormiunt somnum suum & Nihil inveniunt in manibus suis. Tota nocte laborantes Nihil capiunt. Idem dico de ambitiosis, gulosis &c. quibus omnibus opto, ut conscientiæ & cordi suo inscribant *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, idq; seriò recogitent, nec apponant cor suum divitijs pluris eas facientes quàm bonam conscientiam: non apponant cor ambitioni & honoribus, ut obliviscantur conditionis suæ: non apponant cor illecebris & voluptatibus quæ enervant animos, & in Dei servitio faciunt languescere: sed cum hodiernis piscatoribus in verbo Dei laxent retia sua in capturam meritorum. Jaciant hamum cum esca, volo dicere largas eleemosynas erogent pauperibus, ut comprehendant multitudinem gratiarum divinarum; honores non æstiment nisi quantum per eos proximo prodesse valent; voluptates contemnant, ut tanto aptiores inveniantur in Dei servitio. Verbum Domini est:

Luc. 12.
v. 33.

Date eleemosynam: facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum indeficientem in cælo. Dicat ego Divus: *In verbo tuo laxabo rete.* Verbum Domini est:

Deut. 15.

Non contrahes manum sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Dicat ambitiosus: *In verbo tuo laxabo rete.* Verbum Domini est:

Luc. 14.

Qui se humiliat exaltabitur: Dicat frœnator: *In verbo tuo laxabo rete.* Verbum Domini est:

Matth. 6.

Quærite primum regnum Dei, & justitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Dicant omnes mundi amatores: *In verbo tuo laxabo rete.* Verbum Domini est: *Beati*

Luc. 11.

In verbo tuo laxabo rete. Verbum Domini est: *Beati*

si qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud : Dicant omnes Auditores mei : In verbo tuo laxamus rete, quia verba vite aeternae habes. Amen.



DISCURSUS VII.

Dominica V. post Pentecosten.

Flagellum flagellatum.

T H E M A.

Qui autem dixerit fatue : reus erit gehennae ignis. *Matth. 5.*

S Y N O P S I S.

- I. Lingua universitas iniquitatis, & flagellum quod Christus severe flagellat, & hoc sermone flagellandum est.
- II. Iracunde linguae vitium propriè appellari potest Flagellum, quia & plagam inferi & infamiam.
- III. Unde qui proximum convitiatur vel infamat Draconi similis est, qui habet septem capita.
- IV. Et hic septiceps Draco pelor est flagello famis & belli quia sepe uno morsu plures occidit, quam fames & bellum ! maxime sepe viris ingentia damna intulit : imò omnia mala ab hoc malo.
- V. Ipse lobus qui alijs promittebat immunitatem à flagello linguae, ab eo non fuit immunis, ut ob id in querelas solveretur. Et maluit in sepulchro computrescere, quam ab hoc Flagello flagellari.
- VI. Quid Christus ? omnia tormenta levius tulit, quam convitia, & blasphemias. Acutus est flagellum linguae, quam lancea, qua corpus Christi perforatum est.

- VII. Unde detractores & eiusmodi linguosi Deo sunt odibiles, & eorum lingua maledicta, quia uno icu tres interficit.
- VIII. Qua veritate agnita sancti viri detractores studiose vitabant. Ut S. Augustinus, S. Thomas de Villanova, Franciscus Suarez.
- IX: Frustraverò est flagellare hoc flagellum; nisi Deus flagellet uti detractoris fama S. Ambrosij.
- X. Fugiamus hunc Draconem, hoc flagellum, Deo odibile, quod graviter punitur in æternis penis.

Qui autem dixerit fatue; reus erit gehennæ ignis. *Matth. 5.*

I.



Lij pariter & amoris instrumentum est lingua; idem pessimum & optimum in corpore humano membrum. Vulnerat, & sanat; venenat, & medetur; nocet & prodest; & quidem plus nocet quam profit; citius fauciat, quam cicatricem inducat. Virus eius penè insanabile, ulcera sæpè incurabilia, nocumenta irreparabilia, damna infinita. Unde rectè à Jacobo Apostolo nominatur *Universitas iniquitatis*. Oecumenius legit: *Mundus iniquitatis*: Syriaca habet: *Mundus peccati*, quasi omnis iniquitas originem & radicem haberet à lingua, vel quasi omne peccatum quod in mundo est, linguæ ministerio perficeretur. Certè per hanc invidia ringitur, odium exardescit, iracundia furit, gula ingurgitatur, superbia inflatur, luxuria accenditur: verbo omne flagitium aut inchoatur aut perficitur: ut actum agat, qui omnia mala promanantia à lingua, velit enarrare. In hodierno Evangelio reprehenditur à Christo lin-

lingua Iracunda, quæ in proximum debacchatur si-
ve indignando, siue convitiando, siue (quod & fre-
quentissimum & gravissimum est) detrahendo, &
infamando: vel ex hoc solo capite digna appellari
Universitas iniquitatis, quia penè universum huma-
num genus corrumpit. *Tanta huius mali libido mentes*
hominum invasit, (inquit S. Hieronymus,) *ut etiam*
qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen quasi
in extremum laqueum Diaboli incidant. Est profectò
lingua convitians & detrahens laqueus convitia-
tori & detractori, est verò etiam *Flagellum* proxi-
mo, in quem convitia, & detractiones jactantur.
FLAGELLUM dico, quia livorem & cicatricem, &
sæpè insanabile vulnus post se relinquit: imò effe-
ctum habet graviorem, quàm ullum FLAGEL-
LUM, ut adstruit Ecclesiasticus: *Flagelli plaga livo-*
rem facit: plaga autem lingue comminuet ossa: Quid
mirum igitur quod hodie Christus benedictus in
talem linguam adeò severè pronuntiet? *Qui autem*
dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Lata est senten-
tia, qui calumniatur, qui convitium dicit, qui bo-
nam famam detrahit proximo, reus est gehennæ
ignis. Ut verò nos hanc evadamus sententiam
FLAGELLUM Lingue convitantis & detrahen-
tis FLAGELLEMUS præsentis sermone, & quanta
mala in mundo excitet paulisper recogitemus.

II. Non sum nescius quod scripturæ Inter-
pretes super hodierna doctrina Christi varijs inter-
se disceptent explanationibus, præsertim quid in se-
cundo & tertio gradu irascentium per vocem *Raca*,
& vocem *fatue* voluerit Salvator exprimere. Mihi
placet Hugonis Cardinalis assertio: *Secundum va-*
rietatem culpæ, variatur qualitas pœnæ. Minus est enim

ira

S. Hier.
Ep. 14. ad
Celant.

Eccle. 28.
v. 21.

Hugo
Card. in
Matth.

ira cordis ; plus est Raca, id est affectus iræ in vocem prorumpens : plus etiam est fatue, id est certa expressio convitij, propter quem redditur aliquis infamis. Porrò vox Raca, ut idem Doctor ait ; interiecto est, indignationem significans proferentis : Nec est per se quid significativum, sed denotat omne verbum ex indignatione prolatum sine criminis expressione, uti advertit S. Hieronymus : Hoc verbum propriè Hebræorum est, id est inanis, vacuus, quem nos possumus vulgata iniuria, absq; cerebro nuncupare. Talia sunt hodie passim in usu : homo nauci, flocci, stolo, stipes &c. Vox fatue iam est expressiva criminis, & omnem criminis impositionem complectitur, ut notat Lucas Burgensis : Cuius ira eò prorumpit, ut fratrem suum ad huc sceleris alicuius, aut impietatis notet, eò enim pertinet convitium fatui : nam fatuus verè ac proprie est, qui vitam instituit non secundum legem Dei. Et hoc lingue & racundæ vitium propriè FLAGELLUM potest appellari, siquidem & plagam infert & infamiam, FLAGELLUM est mancipiorum & vilissimorum hominum supplicium, & non tantum livorem, sed & infamiam post se relinquit flagellatio. Sic prorsus contumelia, convitium, detractio proximum non solum lædit gravissimè, verum & infamiæ notam ei inurit.

III. Quantum verò hoc malum sit & quàm multiplex, intelligemus ex visione illa Joannis Apocalypticæ : *Ecce Draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem : & cauda eius trahabat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram. Homo iracundus qui proximo suo convitiatur, qui eius famam obscurat Draconi similis est, cuius lingua instar caudæ Draconis, quidquid in proximo illustre,*

vir-

S. Hieron.
in Cate.

Luc.
Burg.

Apoc. 12.

virtuosum, & velut sydereum videt, palam subinde, sæpius clam & in occulto *flagellat*, & ex alto existimationis cœlo in terram *dehabet*, ut non amplius credatur talis esse, qualis vel erat vel apparebat. Neq; id uno modo molitur, sed vario, uti observat S. Bernardinus : *Detractio est secreta bona occultare, occulta bona denigrare, bona in mala invertere, bonis mala miscere, occulta mala manifestare, audita mala augmentare, atq; crimina falsa imponere, quæ sunt septem Draconis. Id est detractiois capita, de quibus Joannes ait : habens capita septem.* Heu immane monstrum quod tanta mala contra bonum molitur ! Draco solo flatu necat viventia, detractor & convitiator viros aperit, nocet, & sæpè infert mortem animæ proximi, semper suæ ; sæpè etiam mortem corporis tam sui quàm alieni. Unicum *Mentiris* aut *Mendax* es, quoties in duella, in cædes mutuas concitavit antea amicissimos ? Quoties imminuta uno verbo laus viri boni, illum ex alto bonæ famæ detraxit in terram, ut nunquam amplius ad pristinum honorem resurgeret ! Hoc est quod dicebat David : *Posuerunt in cœlum os suum, iniquitatem in excelsis locuti sunt.* Summa petit livor, quem virtus in gloriæ theatro collocat, eum aggreditur invidia & malevolentia, ut quasi stellas à cœlo detrahendo videatur. Invidiæ filiam nominat detractioem Doctor Angelicus, quæ *nititur qualitercunq; minuire gloriam proximi.*

IV. Hominem in alto virtutis collocatum, & de manu Domini correptionem ac adversa forti animo acceptantem consolans Job, promittit immunitatem à septem malis, quasi innueret septem capita Draconis quorum modò meminimus : *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanguet te*

S. Bern.
To. 2. ser.
29. art. 2.
c. 7.

D. Tho. 2.
2. q. 73. d.
3.

malum. Quæ rogo sunt illæ tribulationes? fames, bellum, & tertio loco quasi non inferior tribulatio fame & bello: FLAGELLUM LINGUÆ. In fame eruet te de morte & in bello de manu gladij: A FLAGELLO LINGUÆ absconderis: per quæ videtur comparare FLAGELLUM linguæ cum Flagello famis, & flagello belli. Sanè cum fames & bellum sæviat in vitam humanam, & plures simul mortes causet, non malè potest FLAGELLUM linguæ illis comparari; utpote quod integras communitates, integras urbes demolitur. Unde S. Chrysostomus versans allegatum à nobis textum Qui autem dixerit satue &c. cum sibi obiecisset ex quorundam opinione, illud per exaggerationem siue per hyperbolen dictum esse: Noli inquit, aspice, quod unum hoc verbum sit, sed quantum periculi habeat expende. Hac pericula & homicidia sæpè peperrunt, & urbes sæpè integras subverterunt. Ut hoc probemus non opus est alijs exemplis, quàm experientia quotidiana. Nisi enim essent detractores, susurriones, calumniatores in aulis Principum, rara forent bella, rara urbium & Provinciarum excidia, Lipsius acutè perstringens mala calumniæ, inquit: Breuiter hoc accipite. Quidquid fraudium, scelerum, oppressionum usquam aut unquam in Aulis fuit, id manasse ab hoc capite, ab hoc fonte. Alexandrum illum magnum in tot amicorum neces quid nisi calumnia impulit? Socratem vita, Rutilium civitate, quid nisi calumnia expulit? Et ne vetera tantum cogitemus &c. Doletis hæere in Reipub. visceribus discordiarum tela? calumnia iniicit. Ardere tot iam annos facem hanc civilium bellorum? calumnia accendit. Nec quidquam malorum videmus, aut vidimus, quod non ab hac scaturigine diffusum. Populi in

Re-

S. Chry-
sost. hom.
16. in
Matth.

Lips. O-
rat. de
Calumn.
Cent. 5.
Miscell.
Epist. fin.

Reges, Reges in populos non alia re excitati primò atq; irritati sunt, quàm hoc linguario flagello. O quàm melius dixisset FLAGELLO, quod est juxta Apostolum *Universitas iniquitatis.* Unde sapientiores Principes animadverso periculo, quod ex eiusmodi aulicis *Flabellis* sive *Flagellis* imminet, acerrimo semper odio infectati sunt susurriones, calumniatores, & detractores famæ alienæ. Antoninus Pius capitali sententia in eos animadvertebat, nisi probarent quod effutiverant. Opilius Macrinus studiosè conquisitos, exquisitis pœnis mulctabat. Vespasianus & Titus Imperatores, illos veluti publico destinatos exitio summoperè execrabantur, & FLAGELLIS cæsos in Amphitheatri arena spectandos proponebant, ut ita pœnis publicis coerciti tam ipsi quàm alij à noxa per calumniam inferenda abstinerent. Suetonij verba sunt in Tito : *hos (nempe delatores & calumniatores) assiduè in foro FLAGELLIS ac fustibus cæsos, ac novissimè traductos per Amphitheatri arenam partem subijci in servos ac venire imperavit, partim in asperissimas Insularum arcebi.* Calumniator qui Severum Proconsulem detulerat quasi ambitus reum, ex sententia Præfectorum Prætorio in crucem actus est. Gravissimè quoq; Domitianus Imperator in hæc hominum monstra animadvertere solitus, illud frequens in ore habuit : *Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Atq; ita si ad malorum radicem oculos vertamus, inveniemus esse hoc Flagellum linguæ. Sed nondum dimitto Jobum, qui timenti Deum viro & patienti adversa promittebat immunitatem à FLAGELLO LINGUÆ. Quis ipso inter adversa tolerantior? quis Deo conjunctior? Innumera perpessus infor-

Suet. in
Tito. cap.
8.

Spartian.
in Sever.
c. 4.

Suet. in
Domit. c.
9.

tunia laudabat Deum, nec agrorum vastatio, nec pecoris iactura, nec ruina Domus, nec filiorum oppressio ullum ab eo verbum impatientiæ extorsit: at ubi ventum est ad calumnias, ad convitia, ad improperia, cum ei amici & uxor insultarent; non nihil commotior inquiebat: *Usquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus.* Et post pauca: *Contra me erigimini, & arguitis me opprobrijs meis. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & FLAGELLIS suis me cinxerit.* Quasi diceret; reflectite vos quod Deus quidem me castiget linguis vestris velut. FLAGELLIS, sed nimium est quod facitis: *usquequo affligitis?* Cessate semel mihi exprobrare incitiam, ignorantiam, stultitiam meam, desinite me habere pro fatuo: *Signumavi, mecum erit ignorantia mea.* Per calumnias me quidem affligitis, sed plus nocetis vobis quam mihi: unde ad hunc locum Cardinalis Hugo: *Affligi dicit, quia injustè arguebatur & falsè.* Convitium & improprium sentit justus magis quam gravissima quævis damna corporis & fortunarum. Origenis sententia est: *Sæpenumero, qui corporis cruciamentum toleravit, non passus est verba:* quia homini bonæ conscientiæ & bonæ famæ gravius est ferre flagellum lingue, quam aliud quodvis tormentum: & multi pro conservanda bona fama plus enitentur, quam pro conservanda temporali vita: quia datâ optione eligunt potius vitam perdere quam famam.

V. Videtur hoc ipsum sensisse Jobus, qui levius quid æstimavit jacere in sepulchro, putrescere, & corrodi vermibus, quam impeti linguis importunorum consolatorum, quam audire improperia. Audite quid dicat: *Putredini dixi Pater meus es,*

Job. 19.

Hugo in
Job.Origen.
ibid.

Job. 17.

mater mea, & soror mea vermibus. Suavi Patris & matris nomine appellat putredinem, & charâ sororum nomenclaturâ indigitat vermes. Atvero ad importunos suos consolatores conversus ait: *Carnibus meis Saturamini.* Nunquid vermes saturantur carnibus humanis in sepulchro? cur ergo officium vermium tribuit exprobrantibus & convitia jactantibus, e contra verò paternum, maternum, & sororium nomina quæ sunt consolatoria assignat vermibus? Nempe gravius illi erat audire convitia & opprobria, & imputationes falsas, quàm corrodi in sepulchro à vermibus. Huc videtur respexisse Author Catenæ Græcæ cum ad præfata Jobi verba hæc addit: *De carnibus inquit meis saturamini, præsertim cum probrosi sermones ad depascendos artus satis per se valeant.*

VI. Quod Jobus tantoperè senserit impropria satis quidem ostendit gravitatem linguæ convitiantis & detrahentis: Sed maius adhuc veritatis argumentum habemus in Christo benedicto, qui inter immanissimos cruciatus, inter acerbissima passionis tormenta, sicut agnus coram tondente se obmutuit, spinas, clavos, flagella, sputa, verbera, crucem tulit tacendo: ad falsa tamen testimonia, & contumelias & blasphemias aperuit os suum, & clamavit *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Ut observavit D. Cyprianus Christum alloquens: *Clavis sacros pedes terebrantibus, fossisq; manibus de vulnere anxietate non loqueris; de spinis sacrum caput pungentibus non quæris, sed satagis ut innotescat posteris quare derelictus à Deo videaris, expositus contumelias & ludibrijs Judeorum.* Nimirum atrocius multò feriant contumelia & convitia, quàm spinæ, quàm

D. Cyprian. ap.
Veg. in
Judic.

clavi, quàm flagella, & crudelius est multò **FLAGELLUM** linguæ, quàm aliud quodcunq; flagellum materiale : imò ex mente S. Bernardi lingua calumniatrix & maledica gravius Christum læsit quàm lancea quâ latus eius perforatum est. Effatum illius est. *Nec verò eiusmodi linguam ipso etiam mucrone quo Dominum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hic quoq; Christi corpus, & membrum de membro, nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoq; nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit : Seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consummatio Judaica iniquitatis infixit.* Non loquitur de solo Christo, sed & de eius membris, quæ quotidie crudeli hoc FLAGELLO linguæ flagellantur & sauciantur. Corpus Christi est Ecclesia, membra Christi sunt fideles : Lingua convitians & maledica hoc corpus facit exanime fodiendo.

VII. Hæc fortè nota sunt calumniatoribus & detractoribus, sed cum detractiones & calumniæ trahant originem ab odio, tanto libentius in hoc vitium proruent, quanto magis per illud proximus læditur. Nam maior exosi miseria, est maior odientis consolatio. Verum si sapiunt effectum tanti vitij respicient, & ex ipso sensu eorum quos lædunt, agnoscent quantoperè lædant Deum & suam animam. S. Paulus cum multa scelera & sceleratos enumeraret, etiam nominavit *sufurrones, detractores Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos*. Quid sibi vult rogo quod solos detractores vocet Deo odibiles ? an fortè superbi & elati non sunt Deo odibiles ? Etiam isti, sed maximè, & per antonomasiam sive in supremo gradu detractores, quia superbi, elati

S. Bern.
serm. 17.
de divers.
To. 2.

elati, & similes suam tantum lædunt conscientiam, & fortè proximi in quantum scandalizant; atverò detractores uno ictu tres feriunt, eum cui detrahunt, seipſos, & eos coram quibus detrahunt. *Verba bilinguis*, inquit sapiens, *quasi simplicia*, & ipsa perveniunt usq; ad interiora ventris. Pagninus legit: *Verba susurratoris sunt ut vulnera*. Alia lectio habet: *Lingua triplex maledicta erit*. Illa videlicet qui per susurros & detractiones, se, & proximum, & auditores lædit. De qua S. Bernardus: *Nunquid non vipersa est ista lingua? ferocissima planè: nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno*. Et alibi, *Unus est detractor, qui loquitur, & unum tantum verbum profert, & tamen illud unum verbum, uno in momento multitudinis audientium aures inficit, animas interficit*. Necessarium planè est, ut talis odibilis sit Deo, & ut sapiens addit etiam hominibus: *Abominatio hominum detractor*.

VIII. Et hæc ipsa causa est cur sancti & timorati viri omne consortium detractorum studiosè vitaverint. S. Augustinus excludebat tales à sua mensa proposito ut ab omnibus legi possèt illo disticho:

Quisquis amat dictis absentum rodere famam

Hanc mensam vetitam non verit esse sibi

Notate vocem *rodere*, quæ propriè de canibus dicitur, quasi detractores appellaret canes, sed peiores sunt canibus, quia ut notat Bellovacensis *immunda habent ora admodum canum*. Et canis domesticos suos non allatrat, alios canes non facilè mordet: detractor verò & convitiator nulli parcit: Unde S. Bernardus senensis ait: *Crudelior feris merito comprobatur: leo leoni parcit, lupus lupum non comedit, & quasi omnes feræ crudeles, alijs feris generis sui parciunt, solus de-*

Prov. 18.

S. Bern.
serm de
tripl. cu-
stod. sup.
cit.
Idem
Bern. ser.
24. in
Cant.
Prov. 24.

S. Aug. ad
frat. in
Erem.

Bellovac.
in spec.
mor. T. 3.
lib. 3. dist.
3.
S. Bern.
sen. To. 2.
ser. 29.
art. 1.

detractor sibi similes satagit devorare. Genium S. Augustini imbiberat eius sectator S. Thomas de Villanova, qui aliquando expectans in aula Caroli V. Imp. audientiam circumdatus multis nobilium aulicorum famam alienam lacerantium, *modestè assurgens, vos Principes, inquebat, obsecro ut alia confabulari velitis, aut per vos hinc mihi liceat abire.* Celebrerrimus ille Theologus Franciscus Suarez Societ. Jes. invitatus ad mensam Archiepiscopi Ulyssiponenlis, cum ibi nonnulli convivæ detrahere incepissent absentibus, libero ore in ea verba erupit: *Aut iste precipiendus est sermo, aut bona cum venia hinc ego abeo.* Obstupuere libertatem convivæ, sed Archiepiscopus ea delectatus, virumq; sapientissimum complexus: *maeste, inquit. Francisce, non alium ego amicum per velim quam te, qui absentis amici famam adeo liberè tuearis.* Nempe detractor odibilis Deo juxta & hominibus.

IX. Flagellavimus *flagellum lingue* convitiantis, contumeliosæ, detractoriæ, quæ ab eadem radice oriuntur & modicè differunt, ut advertit S. Thomas: *Verbo dupliciter aliquem lædit, uno modo in manifesto, & hoc fit per contumeliam; alio modo occultè, & hoc fit per detractionem.* Sed huic FLAGELLO non sufficiunt omnia flagella mundi adeo universale & commune est: ut unde pronuntiat de eo Salmeron: *Adeo frequens est hoc vitium, etiam apud pios & religiosos, ut nomen quinti clementi, sine quo vivi non potest, apud quosdam obtinuerit.* Et nisi hoc FLAGELLUM seipsum flagellet, non cessat flagellare: quod accidisse cuidam Episcopo memorat Bellovacensis: Assidebant fortè mensæ S. Augustini plures alij Episcopi & Clerici, cum allatum est nuntium de

Rhb. hist.
var. lib.
4. c. 3.

Rhb. ib.
9. 5.

D Tho. 2.
2. q. 73.
a. 1.

Bellovac.
Spec. mor.
T. 3. lib. 3.
dis. 3.

de morte S. Ambrosij Mediolanensis Antistitis, cuius famæ paulò ante quidam ex præsentibus Episcopis detraxerat: is audiens mortuum sanctum virum simili vulnere percussus, & ad lectum deportatus, ipsa nocte diem clausit extremum. Ecce FLAGELLUM linguæ seipsum flagellavit ad mortem.

X. Fugiamus ergo hanc pestem, hunc Draconem, hanc viperam, hanc caninam rabiem, hoc insatiabile FLAGELLUM, quod monet sapiens. *Time Dominum fili mi, & Regem, & cum detractoribus ne commiscearis: quoniam repente consurget perditio eorum.* Uti accidit modo memorato S. Augustini convivæ, uti accidit illi de quo author fasciculi virt & vitio. *Hic morte preventus est sine confessione, neq; enim merebatur, ut ea lingua peccati venenum evomeret, qua tam frequenter aliorum innocentiam lacerabat.* De alio item narrat quod post mortem aperuit exertam ab ore usq; ad terram dependentem linguam igneam, quam crebris moribus mordebat, & expuebat: & pœnæ causam rogatus respondit: *Quia dum vixi, per maledictum hoc membrum omnes sum persecutus ab hoc tormento in perpetuum non liberabor.* Hæreat nobis altè demissâ in pectus hodierna Christi sententia: *Qui autem dixerit Fatue reus erit gehennæ ignis.* Hanc pœnam caveamus.

Prov. 24.
v. 21.

Amb. fasc.
cic. virt.
& vitior.



DISCURSUS VIII.

Dominica VI. post Pentecosten.

Antithesis Beneficentiæ.

T H E M A.

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. *Marci 8.*

S Y N O P S I S.

- I. Regia & divina virtus est beneficentia, quæ vota prævertit, uti hodie Christus, qui non rogatus misertus est turbæ.
- II. Hanc representat nubes pluvijs gravida Dives in omnes. Sic quippe Deus benefacit etiam ratione carentibus creaturis; quanto magis hominibus.
- III. Ipsa desideria apud Deum obtinent precum locum, & ambit ipse desiderari à nobis ea, quibus indigemus.
- IV. Unde & beneficia accelerat proscripta omni mora, sic Stephano certanti coronam ostendat antequam plene mereatur.
- V. Centurio Evangelicus nondum petierat sanitatem servi, & iam Christus se venturum pollicebatur, satis erat insinasse. Ad pœnas tardus est Deus, ad beneficia volat. Sic & Zachæo benefacit.
- VI. Turba hodierna non petiit alimenta, & eius miseretur Christus, ultro offerens id, quo indigebat; pro tridni sustentia tantum miraculum efficit, sicuti & Ninivitis quadraginta dies convertit in triduum, & veniam dedit penitentibus Deus, quia festinat benefacere.
- VII. Quinimo rogatus plus concedere solet quam petatur, nisi multis exemplis innuitur.

Et

Et tamen nullam ei rependimus gratitudinem.

dem rependimus accepta : & sepe pro beneficijs reddimus iniurias : debitam mercedem miseris non persolvimus.

VIII. Cito obliviscimur beneficiorum, uti pincerna Aegyptius Iosephi a quo fuit assecutus de liberatione à carcere. Nempe antica sunt promissa quae cito oblivioni traduntur.

X. Converso Cisterciensi medius denarius non datus pro navlo obstaculum fuit ad caelum. Beneficos Christus in suprema die ad se evocabit, immisericordes & ingratos repellet.

IX. Ita & nos cum Deo agimus, cum proximis, nec qui-

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. *Marci 8.*

I.

REgiam virtutem esse beneficentiam agnovit quondam Anaxilaus apud Phavorinum, qui rogatus, quid esset in regno beatissimum? respondit: nunquam vinci beneficijs. Magna virtus, si tamen aliquando cuiquam contigit non esse ab ullo victum. Divinam potius appellavero beneficentiam cum Seneca: *Qui dat beneficia Deos imitatur: & tanto operatur divinius, quanto minus recipere sperat, praesertim si & desideria praevenerit, & celeritatem adiungat. Optimum est* (inquit idem Seneca) *antecedere desiderium cuiusque; proximum sequi. Illud melius, occupare antequam rogemur, quia cum homini probo ad rogandum os corruat, & suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit multiplicat munus suum.* Quis ita benefacit praeter unum Deum? qui non tantum modicum laboris sui causa impensum ingentibus donis cumulat, sed occupat

Phavor. ap. Lang.

Sen. de Benef. lib. 3. c. 15

Idem Senec. de Benef. lib. 2. cap. 1.

antequam rogetur, & multiplicat munus suum. Id quod evidenti experientia nobis hodiernum proponit Evangelium. Triduo fortè Evangelizantem, & curantem ægrotos, propriæ magis utilitatis causa, quàm servitij Christo exhibendi, secutæ sunt turbæ Christum benedictum; & ecce sua sponte, rogatus à nemine, eorum misertus abundanti reficit cibo, & dum pascit corpora miraculoso eventu, pascit, & saginat etiam animas: *multiplicat munus suum.* O verè bonum Dnminum, qui tam pronus est ad benefaciendum: *Misereor* inquit *super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me.* Verè sollicitum, ne ab ullo vincatur beneficijs, ne quid servitij admittat sine liberalissima remuneratione. *Triduo sustinent me.* Quis hominum tam accuratè dies & penè horas numerat impensè sibi obsequij, ut illicò properet ad compensandum laborem? Moveor ex consideratione tam promptæ & acceleratæ beneficentiæ, ut præsentis discursu nonnihil de ea disseram, eamq; contraponam humanæ beneficentiæ, quo magis inardescat anima nostra humanæ beneficentiæ, quo magis inardescat anima nostra ad alacriter serviendum tantæ bonitati.

II. Divinam liberalitatem, & beneficentiam repræsentaturus Academicus pinxit nubem pluvijs gravidam incumbentem horto floribus confito, & adiecit epigraphen: *Dives in omnes* alludens ad Paulinum dictum: *Idem Dominus omnium dives in omnes.* Quo quidem Symbolo non solum exprimitur beneficentia divina in omne genus humanum, sed etiam in omnem omnino etiam inanimem creaturam. Nam Deus ultrò non rogatus, non impulsus aliquo sui commodo, spontè produxit omnia

crea-

creata, & illa beneficentissimè conservat in suo esse, ut eleganter Philosophatur Basilus Seleuciensis *Non erat cælum, non terra &c. solus enim Deus erat. Deus ipsius esse fons, vitæ thesaurus, ortus non indigens, bonitate scatens. Hinc ea quæ non sunt vocat, non rogatus, non supplicatione invitatus, non existentibus dat existere.* Et si hoc præstat creaturis irrationalibus, sensu carentibus, ut eas producat & conservet in suo esse, quanto magis præstabit conditis ad imaginem & similitudinem suam? *Dirves in omnes est, & longè ditissimus in eos à quibus vel modicum servitij sibi videt exhiberi, cum gaudeat occasionem sibi dari munera sua non solum dandi sed & multiplicandi, tametsi non rogetur.*

S. Basil.
Seleuc.
Orat. 12.

III. Id ipse nobis per Iaiam Prophetam insinuat illis verbis: *Sitientes venite ad aquas: qui non habetis argentum properate, emite absq; argento &c.* quasi diceret: Scio vos multis indigere, & sufficit si desideretis accipere; ecce nubem gravidam nimbis liberalissimæ beneficentiæ, *venite ad aquas*, nullum pretium peto: volupe mihi est vobis beneficia larga impendere. Hunc sensum attigit S. Gregor. Nazianzenus ad allegatum textum ita disserens: *Hoc bonum nempe Dei favorem, & dona, solo voluntatis pretio emendum ibi proponitur: appetitionem ipsam Deus ingentis pretij loco habet, sitit sitiri, bibere cupientibus potum præbet: cum ab eo beneficium petitur, beneficio ducit: prompta, munifica, atq; proluxa natura est: jucundius dat quàm alij accipiunt.* Hæreant altè infixæ illa potissimum: *cum beneficium ab eo petitur, beneficio ducit: quasi nos beneficium conferremus Deo, si patiamur eum in nos esse beneficium.* Id David agnoscens Prophetico spiritu aiebat de Deo. *Quid retribuam*

Isai. c. 58.

Nazian.
Orat. in
S. baptis.

Psal. 115.

huam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Ergone Deus Davidi retribuit cum donat? Ipse ambit dona sua nominari retributionem, ut ostendat quantum anhelat homini benefacere, & videri vult rependere cum ultro liberalis est.

IV. Amplius adhuc divina hæc beneficentia elucescit quod moram omnem proscibat, & ad subveniendum acceleret, unde ab amoris eam radice pullulare non dubites. Alatus est amor, tarditatem nescit. Sponsa in Canticis sub allegoria hinnuli transilientis colles eam adumbrat; *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles: similis est dilectus meus capræ hinnuloq; cervorum.* Ad quæ Galfridus in Allegorijs: *Magno se gaudet amore præventam, in eo quod venientem cum celeritate conspiceret.* Elegantius Ambrosius super hoc disserens, sub sponsæ nomine inquit: *Ecce hic advenit saliens: adhuc ego eum quero, & ille iam venit; adhuc ego suffragia capto, & ipse iam proximus est: ego suscitari mihi charitatem cupio, & ad me plus charitas ipsa festinat.* Ad experientias vos ducam. Certabat Stephanus pro fide quam prædicabat, fortis athleta inter lapidum grandines, & qui coronam promisit legitimè certantibus, iam coronam illi offerebat ante certaminis & agonis finem. *Ecce video cælos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei.* Unde præproperea hæc laboris merces ac retributio? Alata est Dei beneficentia, amat munerari celeriter nondum exantlato labore. *Vide quantum agat* (sic ratiocinatur in hunc locum Eusebius Emislenus:) *in pectoribus servorum suorum divina charitatis ardor. Necdum explet famulus ministerium suum, & iam Dominus aperit regnum suum.*

Cant. 2.

S. Amb.
ser. 6. in
Psal. 118.

Euseb. E-
miss. ap.
Baëz.

V. Explicabat Centurio servi sui agritudinem

nem, descensurus ad preces nisi præveniretur: Illi-
cò Dominus: *Ego veniam & curabo eum.* Quid pro-
mittis Domine quod nondum disertè petijt Centu-
rio? nempe *plus charitas ipsa festinat.* Quod obser-
vans Basilius Seleucienfis: *Miserabili dictione Do-
minum Centurio allebat.* Quid igitur ad eum summa
benignitas? *Ego inquit veniens curabo eum.* Beneficen-
tia preces antevertit. Latro in Cruce sui tantum
Christo commendat memoriam in futurum, &
Christus anhelans benefacere non expectat futu-
rum tempus sed in præsentì illi pollicetur, imò
plus pollicetur, quàm ille petat. Petebat ille: *Me-
mento mei dum veneris in regnum tuum.* Et audit econ-
tra: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Obstupescit ad
hanc celeritatem Beneficentiæ divinæ S. Ambrosi-
us, & ait: *Tanta fuit celeritate salvatus, ut peccata e-
ius gratia præveniret, antequam pœna: & prius in malis
suis cœpit gloriari, quàm puniri.* O volatum charitatis
ineffabilis! O beneficentiam inexplicabilem! Prius
dat quàm rogetur, & vix rogata accurrit. Ascende-
bat sycomorum Zacchæus volens solum videre Je-
sum, & illico audit: *Festinans descende:* quorsum
hæc festinatio necessaria? *nempe quia hodie in domo
tua oportet me manere:* quia ego festino tibi benefa-
cere, quia ardor charitatis meæ me impellit ut ci-
tò tibi exhibeam gratias, *festinans descende.* Advertit
hanc celeritatem divinæ Beneficentiæ S. Laurent.
Novariensis hunc locum pertractans, & alloquens
Christum inquit: *Domine quid est hoc quod dicis? a-
scendit in arborem, ut videret, necdum ingemuit: nun-
quid confessus est maculam suam? aut flagitia replicavit?
nunquid stetit ante te? & dicis illi: Hodie in domo tua
oportet me manere. Vix adhuc vel videre te meruit, &*

Basil. Se-
leuc. orat.
19.

S. Am-
bros. ser.
de Passio.

S. Laur.
Nov. hom.
de pœn.

iam angulos eius visitas? Verum hoc officij tui est, & indulgentissime curæ. Itanè verò officium Dei est prævenire preces, & desideria? & plus largiri quàm optetur? Zachæus solum videre cupit, & cum videt, hospitem ultroneum habet, salutem consequitur, fit ex publicano Confessor Christi. O verè bonum Dominum! qui & citò postulatis annuit, & quæ servus postulare non præsumeret, ultrò offert. *Occupat antequam rogetur, & multiplicat munus suum.*

VI. An aliquis ex hodierna turba Evangelica quæ triduo Christum secuta est, sive verbo sive nutu à Christo petierit alimenta, non constat ex Evangelio: vero similis est Christum benedictum sua sponte misertum, & ultrò parasse mensam in solitudine; quia *hoc officij eius est, & indulgentissime curæ.* Hinc nec cogitantes de saturitate jussit discumbere, panes qui aderant frangi, *& multiplicavit munus suum*, solum quia triduo sustinuerunt eum, vel ut ait Matthæus, *triduo perseverarunt cum eo.* Revocat mihi hoc triduum in memoriam acceleratam condonationem peccatorum Ninivitis ad quos missus fuerat Jonas, ut prædicaret: *Adbuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Ubi septuaginta legunt *Adbuc tres dies.* Miratur S. Hieronymus quod cum in Hebræo expressè habeatur *quadraginta*, ut nec verbi, nec syllabæ nec accentus ulla sit communitas cum tribus diebus, nihilominus septuaginta Interpretes posuerint *tres dies* pro quadraginta. Eodem modo miratur S. Augustinus. Sed Glossa apud Hugonem Cardinalem videtur utrumq; conciliare, quod scilicet intra triduum conversa ad Dominum civitas spiritualiter eversa sit. Notat præterea Hugo quod cum Ninive fuerit tanta

ta Civitas ut trium dierum circuitum amplecteretur : Jonas ingressus eam dicatur uno die, *Cæpit Jonas introire civitatem itinere diei unius*. Ad quæ Hieronymus : *Memor præcepti & sui naufragij, iter trium dierum festinatione unius diei complevit*. Cur tantopere festinandum erat ? si quadraginta dies ad pœnitentiam dati fuerunt, nonne lento passu melius exequeretur Jonas divinum imperium ? Minimè : quia novit Jonas ingenium divinæ misericordiæ & pietatis. Vix auditus dicere : *Ninive subvertetur* : Vidit Ninivitas currere ad saccos & cilicia, unde sibi aliud persuadere non potuit, quàm illicò adfuturam veniam, & misericordiam Dei. Propterea terminus subversionis moralis seu spiritualis in triduum coarctatus est. Vix cœperunt agere pœnitentiam, & consecuti sunt veniam. *Ut est nuntiatas Ninivitis interitus, credunt, & timent, & quanto sciunt Dominum non esse mendacem, tanto propensius eius de pietate præsumunt*, inquit Zeno Veronensis. Mirum effatum ! si sciunt non esse Dominum mendacem, quomodo præsumunt de pietate, ut eam exercendo se quasi mendacem constituat, abrogando quod decreverat. Sed eo videtur collimare S. Zeno, quòd licet credant Dominum non esse mendacem, qui decreta infringat, tantam tamen in ipso agnoscunt pietatem & misericordiam, ut malit periclitari de nomine vera nuntiantis, quàm de nomine misericordis. Et non fefellit eos pia præsumptio, quia *Misertus est Deus*.

VII. In omni profecto beneficio divino, si advertere volueris & celeritatem deprehendes, & plus quam optetur concedi : ut rectè de Deo dixerit Ambrosius : *Uberior est gratia quàm precatio*.

Hugo
Card. in
c. 3. Jon.
S. Hieron.
in Jon.

S. Zeno.
Veron.
ser. de
Jona.

Ambros.
in Psal.
118.

Petit filium Abrahamus ; obtinet non tantum filium , sed posteritatem numerosam *sicut stellas cœli* , ex qua ipse Dei Filius nasceretur : Optat Jacob reditum sui Beniamini , recipit non tantum Beniaminum , sed & Josephum , quem pridem mortuum existimabat : Petit Ezechias vitam prorogari ad unum annum , & addit ei Deus annos quindecim . Petit Anna unicum filium , & dedit ei Deus præter Samuelem tres filios . Optat Tobias reducem filium , & recipit cum filio uxorem filij , & argentum mutuo datum . Usque adeo *uberior est gratia quam precatio* . Tantæ bonitatis exemplar imitari deberet mundus , & animari ad retribuendas retributiones , sed heu ! quàm ingratum se Deo exhibet ! quàm parum divinam æmulatur beneficentiam ! Eleganter aiebat Thomas Morus ille Angliæ ocellus : *Benè ac laudabiliter facta pro merito compensare mundus hic nec ingratus solet , nec gratus potest* . Tanta siquidem , & tam exaggerata in nos beneficia Deus multiplicat , ut quantumcunque studeamus gratitudini , moriamur tamen ingrati , & multò veriùs ad eum dicere possimus , quàm olim Seneca ad Cæsarem : *Hanc Cæsar habeo injuriam tuam ; effecisti ut viverem & morerer ingratus* . Atque utinam vel aliqualem conaremur exhibere gratitudinis notam , & cum Deo non possimus benefacere , ipsius imitando beneficentiam , proximis nostris , qui sæpius ope nostra indigent , imò qui nobis benefecerunt , vicissim benefaceremus !

VIII. Conjectus erat in carcerem (ut alterius iterum tridui mentionem advocemus) Joseph in Ægypto . Cum eo erat Captivus Pincernarum Magister anxius de somnio futurorum præfago .

Ex-

Tho. Mor.
ap. Cor.
uel.

Senec. 2.
de Benef.
c. 25.

Explicuit somnium Joseph: *Tres propagines tres ad-
huc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij
tui, & restituet te in gradum pristinum.* Addebat som-
nij interpret Joseph: *Tantum memento mei cum bene-
tibi fuerit, & facias mecum misericordiam.* Quæ 70. in-
terp. sic legunt: *Memor esto mei per te ipsum, cum
bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam, & memor
eris mei.* Quid tam sollicitè inculcat sui memoriam
non contentus dixisse semel *memor esto mei*, ut idem
secundò repetat: *memor eris mei.* Itane putat oblivio-
sum, ut post tres dies non possèt meminisse accepti
folatij & beneficij? Audite causam è calamo Am-
brofij. *Ideo secundò repetiuit memor eris mei, quia sci-
ebat non recordaturum, cum potentiam recepisset. &c.
Sed quod pejus est, citò beneficij irrepit oblivio secundis
rebus.* Hæc Ambros. quod etiam ipse facer Histori-
cus innuit historiam concludens: *Succedentibus pro-
speris præpositus Pincernarum oblitus est interpretis sui.*
Sciebat Joseph mundi morem, quod in necessitate
polliceatur mira; in prosperitate nihil cogitet de
gratitudine. Cum aulicò habebat negotium, qui
dum alicujus indigent servitio magnis eum promif-
fis lactant, dum verò consecuti sunt quò optabant,
ne quidem respiciunt benefactorem. Unde sapien-
ter ajebat Æneas Sylvius Aularum artes expertus:
*Verum est tritum sermone proverbium: facies hominis,
facies leonis. Omnes hodie simulati sumus amici: amare
fingimus, non amamus: Atq; idcirco ubi ades subser-
vicio tibi, obsequor, quidquid iubes facio, ut videar te diligere:
ubi absis, nihili te pendo; quia vel non redibis, vel si re-
meaveris, dicam me fecisse omnem diligentiam, & alios in
culpa fuisse, quod res ex tua non sit expedita sententia.*
Hoc noverat Joseph ideo movebat semel & iterum.

S. Am-
brof. lib.
de Joseph.
c. 6.

Æn Sylv.
Epist. 54.

Memor esto mei. Et tamen non fuit memor per totum biennium, donec haberet occasionem se commendandi suo Regi, & suggerendi Interpretem somniorum.

IX. Ita prorsus cum Deo agimus, ut observat Lactantius: *Tunc maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficijs eius fruuntur.* Ita cum proximis nostris agimus, acceptorum immemores; accipiendorum iterum à Deo incuriosi: & dum nobis bene est, cum nobis Deus sua bona multiplicat, nihil cogitamus, ut erga proximum indigentem, quiritantem, afflictim opem postulantem beneficentiam aut misericordiam exerceamus. Ad accipiendum celeres advolamus, ad reddendum vel erogandum testudineo passu, & ne quidem testudineo incedimus. Accurrunt viduæ, pupilli, afflicti, oppressi ad Judices, ad causfidicos; quamdiu aliquid afferunt, audiuntur, verbis saccharo illitis salutantur; cum parum superest, mille excusationibus arcentur à conspectu: iam tempus non habemus quia tempus est prandij, jam caput dolet, iam eundum est ad magnos Dominos, iam scribendæ nescio quo literæ. Deniq; beneficia amplectimur cupidè, alijs vel ulla impendimus, vel parcissimè. O quàm difficilem aliquando rationem illi redditori sumus, qui tam multa in nos bona contulit, & conferre non cessat, ut & nos disceremus alijs benefacere, quos sui loco nobis substituit. Cum enim ipse nostris bonis non egeat, indigentibus suas vices commisit, ut in illis ipsi beneficia saltem aliquatenus rependeremus. Nos tamen eo subinde inhumanitatis procedimus, ut non tantum non benefaciamus quærentibus auxilium, sed insuper per
in-

Lactant.
lib. 2. Just.
div. c. 1.

iniurias opprimamus. Sunt qui per dolos & fraudes mutuo acceptas pecunias tergiversantur restituere, ut longis litibus & expensis repeti eas necesse sit. Sunt qui promeritam operarijs, servis, ancillis & iustè debitam mercedem ex obvia & consulto excogitata causâ persolvere abnuunt: Sunt qui per illicita lucra & sœnora duplum sæpè extorquent à miseris &c. hoc non est benefacere sed malefacere, hoc non est imitari Deum, sed Dæmonem, qui deceptor fuit ab initio.

X. Rem omnibus altè demittendam in pectus narrat Cæsarius Heisterbacensis de quodam Converso Cisterciensis Ordinis, qui transiens flumen Albim in Saxonia, cum naulum nautæ persolvere non possêt, promisit in proximo se missurum dimidium denarij. Reversus domum, velut rem parvi momenti, neglexit. Interim ægrotans, & ad extrema deductus in ecstasi vidit se ad cœlum conscendere, sed obstaculum injici à dimidio denario, quem promissum & iustè debitum non persolverat: visus quippe illi est denarius sensim crescere, ut tandem mundo maior videretur. Sensibus restitutus narravit visum; quare illico Abbas integrum denarium creditori nautæ transmisit, quo persoluto, Conversus ille eadem hora migravit è corpore. Adjungit author: *Quod si pro tantilla re cœlum ingredi non potuit, quid illis eventurum est, qui non obolum, sed vel multos florenos retinent, vel diu solvere morantur?* Quid illis eventurum est qui pauperes, viduas, pupillos, peregrinos, destitutos patrocinijs, juvare consilijs, auxilijs recusant, imò ut ab ijs liberentur, contumeliosè repellunt, injustè opprimunt? Profectò sicut de misericordibus & beneficientibus

Cæsar.
Heisterb.
To. 2. c. 35

Matth. 25.

proximo gloriabitur Christus in illa die suprema, eosq; ad se invitabit *Venite benedicti Patris mei, Esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.* Ita immisericordes à se repellent cum indignatione: *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum, hospes eram & non collegistis me &c.* quia scilicet proximis in necessitate constitutis non succurristis, immemores meorum beneficiorum, quæ idè largè in vos profudi, ut de ijs etiam alios participes faceretis, ut de ijs mihi in persona indigentium latentis gratitudinis aliquid rependeretis. *Quamdiu enim non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Atq; hæc est *Antithesis Beneficentiæ* divinæ & mundanæ, quæ utinam in nobis operetur divinæ beneficentiæ imitationem.





DISCURSUS IX.

Dominica VII. post Pentecosten.

Martyres Diaboli.

T H E M A.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Matth. 7.

S Y N O P S I S.

- I.* Periculosum est versari inter malos socios, inter hypocritas pelle ovina tectos, quia facile fallunt. Ut ergo dignoscantur eorum effigies proponenda est.
- II.* Nullum vitium tam acriter reprehendit Christus quam hypocrisim, & hoc est illud crimen pessimum, de quo Ioseph fratres accusaverat.
- III.* Varijs appellantur nominibus hypocrite, rebus varijs assimilantur, sed
- IV.* Optimè eos nominat S. Athanasius Martyres Diaboli quia ab hypocrisi velut Demonio exagitantur instar e. nergumenorum.
- V.* Nato Christo Angeli Deo gloriam tribuunt pacem hominibus, at hypocrite invadunt Dei gloriam, & turbant pacem suam & alienam, & ingentia patiuntur, ut gloriam aucupentur.
- VI.* Est hypocrisis quasi venenum nocens animæ & corpori. Nam simulatio torquet instar hydropis.
- VII.* Multi sunt in cælo Martyres Christi, qui non sunt passi tanta, quanta hypocrite Martyres Diaboli pro vana gloria. Imò nullus Christi
- Mar-*

Martyr tantum passus est, quia solum in corpore hi patiuntur, at hypocrite in corpore simul & animo.

VIII. Martyres Christi moriuntur inter laudes Christi, at hypocrite sepe inter blasphemias, sicut Antonius Picens.

IX. Merito ergo vocantur Martyres Diaboli, quia ipse est magnus hypocrita, & transfiguratur se in Angelum

lucis, uti fecit in Paradiso, & licet proiectus sit Draco, adhuc idem agit.

X. Et affectus suos ut Draco enecat uti Monachum illum de quo S. Gregorius narrat. Declinemus ab eiusmodi Martyribus, & meminerimus quod Christus octo enumeraverit beatitudines diversarum virtutum, & uni vitio hypocriseos octo Ve!

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.
Matth. 7.

I.



Sic quem fugias, quem declines magnum in via salutis adiumentum est, ne incautus incidas in foveam. Nihil enim malis socijs perniciosius, nihil falsis & subdolis amicis pestilentius. Veniunt (inquit Christus) in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Morem venandi cervos in quibusdam regionibus hunc esse narrant historici: venatores ut incautum animal inopinato conficiant, exuvias cervinas induunt, & velut quadrupedes ad illa accedunt; cumque propius venerint ex arcu sub exuvijs abscondito sagittam emittunt, & præda illico potiuntur. Ad oves lupi si pelle ovina contacti venirent non timerentur; timendum est Christi ovibus etiam ab ovinis pel-

pellibus, propterea monet Christus *Attendite*. Quod verbum Author Imperfecti observans, aiebat: *Non dicit Aspicite, sed attendite; aspicere enim est simpliciter videre; attendere autem est attentè considerare*. Multa opus est indagine & cautela, ut deprehendantur falsi Prophetæ, idest, ut uno ore Patres clamant, Hypocritæ, simulatores, gloriæ inanis aucupes; quia scilicet simulatio eorum (quam alibi Christus vocat fermentum Phariseorum) totam massam, integram communitatem, totas urbes corrumpit. Horum proinde effigiem vobis hodie exhibebo, non tantum ut caveatis illorum commercium, sed multò magis ut vivendi normam quam illi sequuntur, excremini.

II. Nullum vitium tam acriter tam frequenter, tam sollicitè Christus reprehendit in Evangelio, quàm hypocrisim, utpote quod maximè abominandum & detestabile est. Unde Job aiebat: *Non veniet in conspectu ejus omnis Hypocrita*. Et alibi: *Simulatores & callidi provocant iram Dei*. Et crimen illud quod in sacris literis vocatur *peffimum*, de quo fratres suos accusaverat apud Patrem Josephus, fuit hypocrisis ut censet Richardus à S. Victore. *Illud crimen peffimum, & præ cæteris abominandum, quia Deo præ omnibus odiosum, de quo Joseph fratres suos apud Patrem accusat, quod Deus singulariter detestatur, nulum aliud quàm hypocrisis rectius intelligitur*. De quo vitio nuper scriptor cum multa disservisset; tandem in ea erumpit verba: *Concludere cogor contra hos maledictos hypocritas dicto illo S. Cypriani: Quo autem nomine hos homines dicam nescio*. Ego vero non patiar Anonymos esse, qui omnium vitiorum ha-

Auth. Imp.

Job 13.
Job. 36.Rich. à S.
Victo. p. 1.
c. 69.Calam. in
sylv.
S. Cypriani. Ep.
29.

bent nomina: & qui omnes curas suas impendunt pro solo nomine, non debent esse sine nomine.

III. Taceo quod à Christo (ut notum vobis est) appellentur *serpentes & genimina viperarum. Sepulchra dealbata. Lupi in vestimentis ovium &c.*

B. Laurentius Justinianus hoc eos donat Elogio: *Sepulchra deaurata. parietes dealbati, nubes sine aqua, infructuosæ arbores, cæci errantes.* Scribanius appellat eos *Poma Gomorrhæa*, quæ in extima pellicula pulchra sunt & delectant, intus verò sunt mera favilla & pulvis. Hugo Cardinalis nominat *Idolum Bel*, quod extra æneum erat, intrinsecus luteum. Origenes *Cygnis* comparat, & post eum Hugo Cardin. & S. Bonaventura, quia hi plumas candidas sed carnem nigerrimam habent. Cæsarius Arelatensis componit eos cum arbore fici à Christo maledicta, quæ folia habuit sine fructu, quia, ut ipse ait, *simulantium hominum representabat imaginem.* S. Ambrosius Iridi quæ præfert pulcherrimos colores, qui sunt tantum apparentes, & ideo observat in Cantico puerorum ubi omnia ferè cætera in cælo, aëre & terra nominantur, & invitantur ad laudes Dei, exclusa est Iris. *Laudare Deum non meruit arcus ille pulcherrimus, quia fictos habet colores.* S. Augustinus hypocritas nominat *vulpes simulates ad prædam.* S. Gregorius vocat *Struthiones*, quia alas habent ut accipiter, sunt tamen affixi terræ ut ab ea in altum se non possint librare. Hugo Cardinalis eos representat in *Equo pallido* Apocalyptico. Eodem modo S. Antonius de Padua *Equus pallidus significat falsos fratres, simulatores & callidos.* Theodoretus confert cum Pardo Apocalyptico. Bellovacensis vocat *Vespertiliones*, qui cum avibus volant, cum quadrupedibus

B. Lauv.
Just. de hi-
mil. c. 15.

Scrib. in
Politico
Christia.

Hugo
Card. in
c. 23.

Matth.
Orig. in
Levit.

Hugo
Card. ib.
S. Bonav.
sev. 1. de
S. Marco.
Casar A-
relat.

S. Ambros.
in Ep.

S. Aug. de
verb. dom.

S. Gregor.
in cap. 11.

Marci.
Hugo

Card. in
Apoc.

S. Anto.
de Pad.

Theod. ap.
Mansi.

dibus ambulat, utrisque exosi. Tertullianus appellat *adulteros virtutis*. S. Hieronymus comparat monstro & Chymææ, scribens in Grunnum Corocottam inquit: *Monstruosa res est speciem habere columbinam, & mentem caninam, professionem ovianam, & intentionem lupinam; intus esse Neronem, & foris apparere Catonem*. Petrus Bleffensis indigetat venatores muscarum. *Quid est inanis gloria quam venantur nisi musca?* S. Gregorius dicit eos esse membra Antichristi, quia *omnium hypocritarum caput Antichristus*. Et S. Bernardus: *Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo*. Quid multa?

IV. Placet elogium quo hypocritas ornat S. Athanasius, dum appellat MARTYRES DIABOLI. quod ne fortuito vel exaggerativè dictum putetis pluribus comprobo. Nam hoc saltem debemus concedere S. Chrysoftomo, qui eos nominavit *DIABOLOS incarnatos*, Dixit hoc ille per hyperbolen, saltem Diaboli servos, & mancipia, & planè Martyres agnoscere debuit. A cujus mente non abcessit Vincentius Bellovacensis cum diceret: *Hypocritæ extra sunt homines, sed intus sunt dæmonia*. Quid censetis an ejusmodi homo non patitur continuum quoddam Martyrium, & crudelissimis tormentis afficiatur, qui omnia simulatè & fectè agit? Obsessos à Dæmone ingentia perpeti vel ex sacris literis agnoscimus, & in multis historijs legimus, quomodo jactentur, concutiantur, discerpantur, spument, vociferentur, & sæpè toti confracti vix hominibus similes apparant. Tales sunt hypocritæ & simulatores spontaneâ insaniâ delirantes, & ab hypocriti velut dæmonio exagitati.

V. Christo nascente nuntiarunt Angeli Deo

Bellovac.
spec. mor.
p. 3. lib. 3.
dist. 10.
Tertull. de
spe&ac. c.
23.
S. Hier.
Ep. 5. 8.
Pet. Bleff.
Ep. 14.
S. Greg.
lib. 25.
Moral.
c. 14.
S. Bern.
serm. 33.
in Cant.
S. Athan.
lib. de si-
mil.
S. Chrysoft.
in Matth.
ap. Galan.
hom. 43.
ad pop.
Bellow.
spec. mor.
p. 3. lib. 3.
dist. 10.

gloriam, hominibus Pacem. *Gloria in altissimis Deo, & in terra Pax hominibus.* Qui pace contentus vivit & Gloriam cedit Deo pacem habet & suavissima fruitur tranquillitate. Qui non est contentus Pace, sed appetit etiam Gloriam, quæ soli Deo debetur & pacem perdit, & gloriam non consequitur, quia hanc Deus nemini communicat nisi in patria. *Gloriam meam alteri non dabo.* Unde mellifluus Doctor: *Displicet, inquit, mortalibus Angelica illa partitio, qua gloria Deo pax hominibus nuntiatur, & dum gloriam usurpant, turbant pacem. O stulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt & gloriam.* Pacem scilicet in hac vita, quia dum se componunt ad oculum, dum sollicitè student placere alijs, in anxietate vivunt tam solliciti ut aucupentur optatam gloriam inanem, quam ut acquisitam retineant, & non deprehendantur in hypocrisi sua. Sic verò perdunt gloriam in futura vita, pro qua deberent contemnere gloriam inanem, cui omnes labores suos consecrant. *Propter ambitionē* (inquit Bernardus) *paratos eos videas uni-versa pericula subire, suscitare scandala, sustinere odia, dissimulare opprobria, negligere maledicta.* S. Prosper. *Prædicant magna nec faciunt; accusant vitia nec deponunt, publicè sibi displicere simulant quod occultè committunt. Magni student videri non fieri.* Magis congruunt nostro scopo illa B. Petri Damiani: *Hypocritæ mira se abstinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, & quasi carnis vitam funditus in carne viventes extinguunt.* Deniq; S. Augustinus paucis multa: *Hypocrita multa sustinet, multa portat, sed vae hypocritæ.* Præclare dicit vae Hypocritæ, quia ipse Christus non semel eos sic allocutus est: *Vae vobis hypocritæ.* Vae in hac vita, vae in futura.

S. Bern.
Ep. 126.

S. Bern.
de con-
vers. ad
Cler. c. 31.
Prosp. lib.
2. de vita
contempl.
c. 4.
B. Pet.
Damia.
serm. de
S. Barba-
tia.

S. Aug. ser.
13. ad frat.
in Erem.

VI. Obscura nonnihil Tertulliani verba in hanc thesim elucidemus. Hortabatur ille virgines ne in publicum prodirent eo motivo, quod periculosum sit aspici, & quasi tantundem ac fascinari. *Est aliquod metuendum apud Ethnicos: fascinum vocant infeliciorem laudis & gloriæ enormitatem.* Vult dicere. Aspectus hominum & applausus quem captant hypocritæ, est fascinum pietatis, est quasi venenum quo bona virtutis valetudo vitiatur, & depravatur: imò & corpori nocet: periculose tabescit fascinatus, ut macie consumptus intereat. Lucem dicto afferat Ethnicus Philosophus Seneca: *Est & illa sollicitudinum non mediocris materia, si te anxie componas, nec ullis simpliciter ostendas; qualis multorum vita est, ficta & ostentationi parata.* TORQUET enim assidue observatio sui, & deprehendi aliter quàm solet metuit. *Nec unquam cura solvimur, ubi toties nos aestimari putamus, quoties aspici. Nam & multa incidunt, quæ invitos denudent: & ut benè cedat tanta sui diligentia, non tamen jucunda vita aut secunda est, semper sub persona viventium.* &c. Satius est simplicitate contemni, quàm perpetua SIMULATIONE TORQUERI. Ex hujus consideratione torturæ monebat S. Petrus Chrysologus: *Quod corporibus est hydrops, hoc hypocritis animabus.* Et ante præmiserat: *crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: jejunium jejunio perimit, orationem oratione evacuat, misericordiam miseratione prosternit.* Et hæc credamus fieri absque magnis animi perturbationibus, absque tormentis?

VII. Agite componamus verum Martyrem Christi, cum simulatore hypocrita cum MARTYRE DIABOLI. Sanè ego ausim dicere multos esse in cælo Martyres Christi, qui non sunt tanta passi

Tertull. de veland. virg. cap. 15.

Senec. de tranquillit. c. 15.

S. Pet. Chryf. serm. 7.

tôrmenta pro Christo, & æterna gloria, quanta sæpè patitur hypocrita, pro Diabolo, & inani gloria. Quàm multos numerare possemus, qui sola capitæ truncatione vitam pro Christi fide finierunt, vix recens ad fidem conversi, & hi verè sunt Christi Martyrès, cum econtra simulatores sæpè plurimos annos exigant magno labore fingendo virtutem, ingenti sollicitudine & metu perculsi ne prodantur; & si prodantur rubore & iracundia frementes; ut taceam quòd sæpè molestissimas vigiliis, continuata jejunia, vestitum asperum, frigus, æstus, calumnias, opprobria &c. deglutiant: solum ut ab hominibus æstimentur, & sancti habeantur, quod sanè est esse diuturnum MARTYREM DIABOLI. Neque hic sisto. Licet enim conferam Martyres Christi qui crudelissima tormenta sustinuerunt, uti S. Laurentium, qui lento igne affatus est in craticula, S. Bartholomæum qui vivus excoriatus. S. Eustachium, qui æneo tauro inclusus, S. Artemium, qui intra duas petras compressus omnibus membris contractis, elisis oculis, integrum diem, & noctem exegit vivus, & innumeros alios, nihilominus si benè perpendamus, majus tormentum est Hypocritæ, qui vivit fictè & simulatè. Nam hic in corpore pariter & animo patitur: in corpore dum id abstinentijs & jejunijs macerat, in animo dum reportat subinde applausum quem venatur, dum metuit ne detegatur dolus, dum reminiscitur per hoc non tantum se nullam sperare posse remunerationem, sed insuper damnationem. Unde quod Martyres uno alterove die in corpore solum sustinuerunt cum gaudio exspectantes beatam spem & speratam beatitudinem, hoc simulator per multos men-

mensēs & annos extensivè perpetitur sine fructu, sine spe, & cum metu vindictæ divinæ. Quis talem neget esse MARTYREM DIABOLI? *Fugiendum est virus, monet Chryfologus, pestilentia cavenda, quæ de remedijs creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrisin qui sugerit vincit, qui incurrerit cadit.*

S. Pet.
Chryf.
Jerm. 7.

VIII. Martyres Christi eos dicimus qui pro fide Christi in laudibus Christi inter dolores & tormenta moriuntur. At hypocritæ sunt MARTYRES DIABOLI. Quia moriuntur quidem inter torturas, sed cum blasphemijs sæpè ac desperatione, quod illis verbis innuit Jeremias Propheta: *Duplici contritione contere eos.* In quæ verba Bernardus: *Duplici contritione conteruntur hypocritæ, quando & hic pro temporali gloria temporaliter se AFFLIGUNT, & in futura pro interna superbia ad æterna supplicia pertrahuntur.* Horrendum hypocritæ casum narrat Panormitanus de Antonio quodam Eremita tempore Alphonsi sapientis Regis Aragoniæ, Hic Antonius Picens quadraginta dies & noctes perpetuo jejuna- re ferebatur, adeò ut Italiam, Siciliam, Hispanias compleverit nomine sanctitatis & abstinentiæ. Pluribus in locis cella præclusus & à custodibus observatus nihil edens aut bibens, Angelorum insuper ministerium, & consortium habere credebatur, Verum habebat clam in cella candelas crassiores exterius, & superfusoriè ceratas, sed intus fistulæ cannarum includebantur farina infartæ, quæ ex contritis phasianorum & caponum carnibus saccharo & aromatibus immixtis condiebantur. Aiunt & cingulum gestasse fistulatum plenum nectare quod

Jerem. 17.

S. Bern.
in Flor. c.
104.

Panormit.
lib. 2. c. 9.
de reb. Al-
phonsi.
Simon Go-
ulari, in
hoc com-
mun.
Apophteg.
Phil. Ca-
mera.
Cent. 3. bo-
ra succif.
c. 36.

quod Hypocraticum vocant, & erat verè Hypocriticum. His epulis clam pascebatur, habitus interim omnium mortalium abstinentissimus, & quo nemo id temporis sanctior. Is vermibus tandem corrosus, & inter magnos cruciauts cum mors instaret, in Christum, & beatissimam Virginem diras blasphemias & convitia evomens, impiam simul animam evomuit. Quod cum relatum fuisset Alphonso Regi, dixisse fertur: *Propterea Deum in hypocritas tantoperè se vire, quod dum homines decipiunt, interponant Deum ipsum tanquam sceleris mediatorem: ideoque ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine sefellissent; ut intelligant mortales, à tali monstro maximè sibi cavendum esse, quod Deum ipsum, nedum post mortem, sed etiam in vita ipsa haberent indubitatum ultorem.* Atque ita per tormenta temporalia MARTYRES DIABOLI transeunt ad tormenta æterna, quia ut ait Joan. Herold. sub nomine Discipuli *simulantes se esse ex parte Dei, sunt ex parte DIABOLI.* Cum viceversa MARTYRES Christi transeant per tormenta temporalia ad gaudia æterna.

*Discip.
serm. 100.
de temp.*

IX. Et certè quomodo non essent ex parte Diaboli simulatores & hypocritæ; aut quomodo non haberent portionem cum eo, si ipsius premunt vestigia? *Magnus hypocrita est Diabolus, ipse se transfiguratur in Angelum lucis.* Inquit S. Antoninus. Est princeps tenebrarum, & sequuntur eum omnes, qui tenebras amant & opera tenebrarum, ac nihilominus luce vestiri gestiunt, apparere hominibus devoti, continentes, jejuni, cum sint pleni spurcitijs. Diabolus in Paradiso serpens, in visione Apocalyptica Draco apparet; nihilominus Christus Evange-

*S. Antonin. sum.
mæ P. 2.
tit. 4. c. 7.*

lio de ipso ait *Vidi Sathanam sicut fulgur cadentem.* Joannes verò: *Projectus est Draco.* Quid commu-
ne fulguri cum Dracone? non est maior lux, quàm
fulguris, sed nec ulla brevior. Vix creatus in cœ-
lo Angelorum Princeps fulgurabat splendore An-
gelico, sed ad modicum; & quàmprimum glori-
am vanam appetijt *projectus est Draco.* Projectus in-
quam in abyssum ad tormenta æterna, manet sem-
per Draco, & hiante rictu appetit non jam Ange-
los sed homines una secum præcipitare in abyssum,
& ideò *transfiguratur se in Angelum lucis.* Per apparenti-
am fulgur, reipsa Draco: utrumque adlaborans
perverissimè conjungere, & splendorem fulguris
& vafritiem Draconis insidiatoris. Emphaticè dicit
Christus *Vidi Sathanam sicut fulgur cadentem,* non
verò: *vidi Sathanam fulgur cadentem,* quia fulgur re-
apse lux est ex nubium collisione resultans; atverò
Sathanas non est lux, sed lucis simulator, non ha-
bens substantiam lucis sed apparentiam, & fictum
splendorem, quo respexisse videtur Beda apud D.
Thomam: *Quod autem ait: sicut fulgur, vel præcipi-
tem de supernis ad ima lapsus significat; vel quia dejectus
adhuc transfiguratur se in Angelum lucis.* Hunc Draco-
Angelum sequuntur omnes hypocritæ velut Du-
cem & antesignanum; unde sicuti justi veri filij lu-
cis sequendo Christum per tormenta sunt Christi
MARTYRES, & à Christo præmia recipiunt in cœ-
lesti gloria: sic hypocritæ filij tenebrarum, quando
se luce apparente vestiunt sequuntur Diabolum,
& sunt **MARTYRES DIABOLI**; non ab alio
quàm Diabolo remunerandi.

Luc. 10.
Apoc. 12.

Beda ap.
D. Thom.

X. Heu quàm magnum discrimen est inter
MARTYRES CHRISTI, & MARTYRES DIABO-
Dom. Pars II. P LI

LI. Illi Ducem sequuntur Christum, hi Diabolum: illi pauca patiuntur pro æterna gloria, hi multa tolerant pro æternis tormentis: illi semper respiciunt æterna pro quibus parati sunt omnia pati; hi respiciunt momentaneam gloriolam pro qua sciunt se æternum passuros: illi tortores habent ministros Dæmonis, & præmiatorem Christum, hi verò simul tortorem & præmiatorem Dæmonem, qui eos non tantum post hanc vitam æternis, sed etiam in hac vita temporalibus sæpè torturis excruciat, atque adeò infernum suum adhuc viventes aspiciunt. Quod illi sanè accidit, de quo S. Gregorius Magnus in hunc sensum: Monachus quidam magnum sibi nomen sanctitatis comparaverat simulatione virtutum; hic moriturus fratres ad lætæ funebrem convocari petijt. Accurrerunt illi avidè velut insigne pietatis specimen visuri, & documentum consolatorium audituri. Tum ille exorsus (verba sunt S. Gregorij) *Quando me vobiscum credebatis jejunare, occultè comedebam, & ecce nunc ad devorandum DRACONI traditus sum, qui caudâ suâ mea genua pedesque colligavit; caput verò suum intra os meum mittens, spiritum meum ebibens extrahit.* Atque ita infelix anima sine pœnitentia exspiravit. Sic projectus est DRACO, assecla & Martyr Draco-Angeli, MARTYR DIABOLI. Finio discursum, & moneo AA. ut observetis Christum in Evangelio octo beatitudines recensuisse, ac Beatos pronuntiasse suos sequaces, tam pacificos, quam mundos corde, quàm mites &c. & totidem sive octo *Væ* ingeminasse solis hypocritis uti observavit S. Anselmus, ex quo ipso satis apparet, quam abominabile sit hoc vitium. Proinde *Attendite à falsis Prophetis, qui veni-*

S. Greg.
lib. 4. Di-
al. c. 38.

S. Anselm.
ap. Mansi.

veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, quia vae hypocritis. Vae! Vae! Vae!



DISCURSUS X.

Dominica VIII. post Pentecosten.

Lapis Philosophicus.

THEMA.

Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula, *Luc. 16.*

SYNOPSIS.

- | | |
|--|---|
| <p>I. Omnis ferè hominum cura est Aurum, quod facit Avarum. Hinc non contenti illud & montibus effodere etiam tentamus per artem alia metalla in illud mutare. Laboratur verò in adinveniendò Lapide Philosophico, qui tincluram det metallis. Sed verus lapis Philosophicus Eleemosyna est, que omnia potest in aurum convertere.</p> | <p>vel Dæmonem sonat, vel Idolum: verè avaritia est Idolorum servitus.</p> |
| <p>II. Vocatur aurum à Christo Mamona iniquitatis, quod</p> | <p>III. Hoc Idolum projicere in fornacem paupertatis & adhibere Lapidem Philosophicum Eleemosynæ est elaborare purum & obrizum aurum, de terra & luto; quia divitiæ terrena sunt terra & lutum. Da ergo pauperi terram ut accipias cælum.</p> |
| <p>P 3</p> | <p>IV. Difficile est divitem intrare cælum, sunt tamen ingressi qui</p> |

qui bene uti divitijs erogando. Defecimus iam à fervore primitivæ Ecclesie in qua erant (uti à natura) omnia communia.

V. Divitiæ ideò à Deo dantur, ut communicentur. Unde justitiam exercet qui exercet misericordiam, dat quod dandum alijs acceperit.

VI. Si credimus Christi verbo, cur non facimus nobis amicos de Mammona iniquitatis? Amici hi sunt pauperes cœli janitores, qui possunt nos recipere in æterna tabernacula. Sed avaritia infidelitatis mater nobis etiam fidem tollit.

VII. Aurum siquidem est aurea statua Nabuchodonosoris quam adorat mundus. Prestat ingredi fornacem cum tribus pueris, quia hanc ingressi ab igne

sunt intacti, qui foris manent exuruntur: illis ros cœni Lapis Philosophicus dat tincturam veri auri.

VIII. Est misericordia non tantum ostiaria cœli, sed & ostiaria inferni ad quem non permittit intrare ullum misericordem.

IX. Quod expertus Petrus Telonarius, uno pane per indignationem projecto in pauperem, liberatus à damnatione.

X. Quare amplectamur hunc Lapidem Philosophicum eoque nostram substantiã convertamus in aurum, emamus cœlum, & iudicis amicam invitationem Venite benedicti, qui gloriatur de eo quod datur pauperi, & in iudicio solius meminit misericordie.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc. 16.*

I.



Oelum à natura suspicere iussi, cœnum amplectimur, quasi ideò in aurum editi, ut aurum captaremus. Enavigamus maria contemptis periculis; evisceramus montes, rimamur abdita immenso labore, & tota ferè nostra cura est Aurum, quod facit Avarum. Unde exclamat Poëta.

quod

quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra fames!

Neque eo contenti, quod inter Manium habitacula, in montium abstrusis cavernis natura recondit; alia insuper metalla in fornacibus igne, arsenico, aquis fortibus diuturna cruciamus tortura, ut fulva eliquemus ramenta, quasi inculpantes naturam, quod non omnibus mineralibus fulvum colorem induxerit. Hinc tam multi passim *Laborantes*, & plerumque post magnas impensas vanè laborantes, qui cum omnia tentaverint, & Mercurium fixerint, in eo tamen deficiunt, quod tincturam & pulveres quos LAPIDEM PHILOSOPHICUM vocant extremæ artis perfectioni necessarium invenire ac præparare non possint. Laboratur iam multis seculis. Ex ipsa Turri Babel nonnulli repetunt hujus LAPIDIS PHILOSOPHICI mysteria. Heriodum Aicræum, Hermetem Trismegistum, Pythagoram, Belesim Babylonicum, Platonem & alios, artis Professores comminiscuntur, & tamen an inventa sit *ad huc sub judice lis est*. Sophisticam esse, & inutilem artem probant multi. Et licet experientia nonnullæ adducantur, suspectæ tamen sunt de dolo. Raymundum Lullum ferunt diuturna investigatione eam tandem assècutum, & beneficio LAPIDIS PHILOSOPHICI longævitatem consecutum. Ut ut hoc se habeat, si quæ ars ejusmodi hæctenus comperta est, finem habet accumulationem thesaurorum, quos qui congefferit, aliquando tandem dimittere cogitur, & quidem ut eo fruatur capitalissimi hostes, quod sæpè accidit. Ego verò longè certiore Alchymiam, & probatissimum LAPIDEM PHILOSOPHICUM, vobis ho-

Beyrl. in
Theat.

Matth. 6.

die ostendam, cujus beneficio ingentes thesauros nunquam perituros, nulli casui obnoxios, nulli furi, nulli hosti expositos congregare possitis. Christi doctrina est: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo: ubi neque erugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Et in hodierno Evangelio: *Facite vobis amicos de mamonna iniquitatis; ut cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula.* Intelligitis tincturam auri, & *Lapidem Philosophicum*? Eleemosyna est, qua potestis omnes vestras facultates in aurum convertere, thesaurizare in caelo, & ex puro auro vobis parare mansiones aeternas. De hujus ergo LAPIDIS utilitate & necessitate hodie nobis sermo erit.

II. Investigant interpretes occasione hodiernae parabolae, non solum quid vox illa peregrina mamonna significet, verum etiam cur per eam Christus Benedictus exprimere voluerit divitias. S. Augustinus ait esse Punicam vocem, & denotare divitias, Lyranus & Dionysius Carthusianus, aiunt: *Mammon est nomen Dæmonis tentantis de divitijs male acquirendis.* Cur non simpliciter usurpavit nomen divitiarum? quid opus uti circumscriptio vel tropo? Beda apud Hugonem Cardinalem ait, Mamonna non significare Dæmonem, sed lucrum; ac proinde monere Christum ut de iniquo lucro fiant eleemosynae. Plerique tamen hoc nomine intelligunt universim divitias, & ideo appellari à Christo *Mamonnâ iniquitatis*, quia ferè solent ad iniquitatem pertrahere (quod est Dæmonis officium) vel ex iniquitate colligi. Unde appositè Augustinus: *Quia aut de iniquitate acquisita sunt; aut quia eaisa iniquitas est, quod tu habes, alter non habet: tu abundas,*

S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 22. Lyran. & Carthus. in Luc.

S. Aug. in Psal. 48.

Alter eget. Et eodem ferè tendens S. Hieronymus: *Omnes divitiæ de iniquitate descendunt, & nisi alter perdiderit alter non potest invenire. Unde illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Dives aut iniquus, aut iniqui hæres.* Nondum acquiesco; sed cupio intelligere causam, cur Christus appellet divitiæ etiam iniquas seu per iniquitatem congestas & possessas nomine Diabolico, nomine *Mamonnæ*? scio apud Poëtas Plutonem inferorum Deum censeri Deum divitiarum, ut Lucianus testatur, tametsi alij Plutum à Plutone diversum comminiscantur, utrumque inter inferos Deos: & causâ assignatur, quòd è terra omnes divitiæ progenerentur; sed quis dicat hunc sensum esse verborum Christi? Placet Lucæ Burgensis observatio, qui putat *Mamonnam* fuisse nomen simulacri alicujus fictilis, sive metallini, sive marmorèi, quod pro Deo colebatur, & ideo tribui à Christo divitijs ejus nomenclaturam, quia sicut iniquum est idola colere, & in eis spem reponere, sic avari quodammodo aurum & divitiæ pro Deo habent, plus in illis sperantes quam in Deo. *Qui pro Deo illud colunt, & expectant ab eo quod Dei est dare, horum error Idolo, illorum vitium divitijs iniquitatem adgenerat.* Nolo suspicari *Mamonnam* à Chaldæis appellatum idolum quod Ægyptij Thebis in templo Serapidis coluerunt, à Græcis dictum *Memmonis* Statua, de qua Lucianus refert, quod orientis solis radijs tactum suavem emittebat sonum, vespere autem in occasu solis lugubrem, & ab hoc Idolo responsa petita, ut tradunt veteres, Certè Symbolum esse potuit auri quod generatur à sole. Illud mihi sufficit non sine mysterio divitiæ à Christo appellatas Idoli nomine, quia

præ-

S. Hieron.
q. 1. ad
Hedib.

Lucian. in
Timon.
Plato. in
Cratylō.

Luc. Burg.
in hunc
loc.

Lucian. in
Philopseu-
do. Corn.
Tacit.
Plin. hist.
nat. lib. 36.
c. 7.

prævidit fore etiam inter Christianos quamplurimos Mamonnæ cultores & Divitiarum Idolicolas, & earum cupiditate Dæmoni servituros; prævidit Judam avaritia capiendum; & Dæmoni in suam animam ingressum præbiturum, cui competeret elogium: *Unus vestrum Diabolus est*: Quid enim aliud est avara divitiarum corrosio, quam Idolorum servitus? S. Paulus scribens ad Ephesios aiebat: *avarus quod est idolorum servitus*, & ad Colossenses: *avaritiam quæ est simulacrorum servitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis*. Hujusmodi Idolicolis totus mundus plenus est, ut ingemiscat S. Bernardinus quod quidem Christus venerit ut Idololatriam destrueret, *sed avaritia*, inquit, *impiam inter Christianos idololatriam innovavit, & multiplicavit*. Intelligimus ergo cur Christus nomine Mamonnæ appellaverit divitias, ex quibus nobis amicos debemus comparare.

III. *Facite vobis amicos de mamonna*. Quara-
tione id consequemur? per Alchymiam Christianam tantum quantum in æternis tabernaculis reponere volumus, coniiciendo in fornacem Laboratorij paupertatis, & per Eleemosynam ceu LAPIDEM PHILOSOPHICUM convertendo substantiam in purum obryzum aurum. Terrenæ divitiæ etiam si sint argentum & aurum, reipsa non sunt nisi lutum, nisi lapides è terra effosi. *Quid attonitus aurum miraris? lapis est aurum, lapis argentum*. Inquit S. Basilius. Et S. Bernardus: *Aurum & argentum nonne terra est rubra & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam?* Hos lapides, hoc lutum oportet injicere in fornacem paupertatis, in manus pauperum & illicò in aurum vertentur,

Ephes. 5.

Coloss. 3.

S. Bern.
Sen. To. 2.
Jer. 4. a. 2.
c. 2.S. Basil.
hom. 7. in
div. ava.
S. Bern.
serm. 4. de
Advent.

tur : & reponentur in thesauris cœlestibus. Id sub alia allegoria exprimens S. Petrus Chrysológus in rem nostram : *Manus pauperis Abrahæ sinus est, ubi quidquid pauper acceperit mox reponit. Sc. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, Manus pauperum est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus accipiat. Da ergo homo pauperi TERRAM, ut accipias cœlum : da nummum, ut accipias regnum : da micam ut accipias totum.* Hoc ipsum multoties Christus nobis inculcat, dum suadet divitibus vendere sua & dare pauperibus, promittendo thesaurum in cœlo : dum vocat Apostolos, & jubet omnia dimittere ; dum vocat telonarium & abstrahit à cura pecuniarum ; dum visitat Zachæum, & è publicano facit Eleemosynarium : dum laudat viduam quæ duo minuta misit in gazophylacium : dum asserit neminem posse simul Deo servire & mamonnæ ; dum pauperem Lazarum reponit in sinu Abrahæ, & divitem Epulonem sitibundum in pœnis inferni : denique dum ostendit facilius posse camelum transire per foramen in regnum cœlorum.

IV. Veritatis effatum est : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Sententia profectò rigorosa, ut ea audita discipuli dixerint : *Et quis potest salvus fieri ?* Damnat igitur Christus omnes divites, & divitias ? minimè. Abraham dives fuit. Job dives fuit, David dives fuit, Zachæus dives fuit, multi Reges & Principes possederunt divitias & cœlum ingressi sunt, sed rectè usi divitijs, succurrerunt egenis, restituerunt iniqua, & quæ sciverunt à prima conditione communia, noluerunt esse tantum privata. *Natura omnia fecit communia, & hic mundus non est nisi quæ-*
Dom. Pars II. *dam*

S. Pet.
Chrysol.
serm. 8.

Marci. 10.
25.

S. Tho. de
Villan.

serm.
Dom. 4.
post Pa-
scha.

S. Aug.
To. 9.
Tract. 20.
de veſt.
Cathol.
converſ.

S. Chryſoſt.
hom. 1. ad
Antiochen.

dam hereditas communis hominum : aſſerit S. Thomas de Villanova. Ex hoc dicto intelligo ſenſum S. Auguſtini , quem primo lectum ſatis mirari non potui ubi dicit. Ad divites hujus mundi : *Quancumque pauperes in quibus locis habitatis fame mortui fuerint , tantorum homicidiorum rei eritis. Insuper immittet vobis Dominus peſtilentiam , & ſamem , & perdetis totum quod habetis , nec non & animas veſtras.* Unde hoc tam ſeverum fulmen ? Num cuſtos fratris mei ſum ego ? dicet aliquis : Ego ſpartam meam tueor ; ego pro me laboro , mihi paro & meis filiis : agant idem & alij , laborent , ſudent , congregent ; quid ad me alieni , quos unde ſint non novi. O te parum humanum , vel parum hominem ! Audi quid dicat Chryſoſtomus : *Ne mihi illud dicas frigidum verbum. Qua vero mihi cura eſt ? cum ipſo commune habeo nihil. Cum Diabolo ſolo commune habeamus nihil , cum omnibus autem hominibus multa. Sathanica eſt iſta vox , Diabolica inhumanitas.* Cum omnibus inquit Chryſoſtomus multa habemus communia , communẽ naſcendi modum , communem aërem , communem ſolem qui illuminat tam pauperes quàm divites , communes aëris & temporum mutationes. Cur non & communes divitias ? Nempe avaritia quæ eſt Idolorum ſervitus multos fecit recedere à vero Deo , & adorare Idolum Pluti , Idolum mamonnæ , & fecit violenter ſibi proprium , quod initio commune fuit. Unde & ſub exordium naſcentis Eccleſiæ fideles omnia deponebant , ad pedes Apoſtolorum , erantque illis facultates communes. Deſcivimus ab illa prima Evangelica communicatione : tolerat Eccleſia , tolerat Deus , ut unus alio plus habeat , ut unus dives ſit , alius pauper , unus nimium poſſideat , alter

nimis

nimis parum, vel omnino nihil. Vis scire causam? Exponat denuò Chrysoſtomus: *Divitem te fecit Deus, ut egenis auxiliaris, & peccata tua solvas per liberalitatem alijs exhibita. Dedit tibi pecunias, non ut in mortem claudas, sed ut in salutem tuam effundas.* Itaque si negas pauperi, si non audis rogantem, si negligis egenum, & is ob egestatem fame pereat, homicidij reus eris, & ut loquitur S. Thomas de Villanova: *quem non parvisti occidisti.*

V. Psaltes Regius laudans misericordem duo combinat misericordiam & justitiam, quæ videntur sibi oppositæ: *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi.* Si justitiam exercuit, quomodo laudatur à misericordia? Nempe ipsa misericordia in pauperes est exercitium justitiæ, quia debemus pauperibus quod nobis redundat, & si avarè retinemus, id quod retinemus est mamona iniquitatis. Vel enim divitias tu aut maiores tui rapuerunt & extorserunt pauperibus; vel Deus tibi illas dedit: si rapuisti tu vel maiores tui, non est substantia tua sed pauperum, teneris igitur ad restitutionem; si Deus tibi dedit, putasne quod Deus dona sua largiatur ut ijs abutaris in luxum, in convivia, in greges canum & equorum. in amplam familiam, in fastum & superbiam? odit ista Deus: quid ergo? dedit fortè ut abscondas nullius futura usui quæ congregasti? falleris: dedit ut dares, dedit ut in cœlum præmitteres per manus pauperum; dedit ut thesaurum tibi immarcescibilem comparares. Ne me putes hic loqui hyperbolicè; veritas est, doctrina est sanctorum Patrum in ratione fundata, quia alias conqueri possent pauperes contra providentiam divinam, quod non omni homini

S. Chry-
soſt. hom.
2. ad pop.

T. Tho.
Villan.
serm. de
S. Mart.

Psal. lxx.

*S. Basil.
hom. 1.*

providisset de alimentis. Elegans in hanc rem sententia est S. Basilij. *Si fateris ea divinitus tibi provenisse, id est bona temporalia, an injustus est Deus inaequaliter res nobis distribuens? cur tu abundas, & ille mendicat? nisi ut tu bonae compensationis merita consequaris; ille vero patientiae bravij decoretur: Panis est famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclarvi conservas; discalceati calcens, qui penes te marcescit; indigentis argentum quod possides: quocirca tot labefactas, quot subvenire vales.*

*Marci 10.
23.*

VI. Quæro nunc à vobis AA. si tam periculosa res est, etiam bono titulo possidere multas divitias, an non satius & consultius foret vel omnibus carere divitijs, vel eas in pauperes liberali manu dispergere, & facere sibi amicos de *Mammona iniquitatis*? Quæro iterum an credatis Christo dicenti: *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt!* Ut quid ergo si creditis non complanatis vobis viam, non demeremini vobis amicos, qui cum defeceritis recipiant vos in eterna tabernacula? Amici hi sunt pauperes, quibus securè concreduntur omnes divitiæ; multo securius quàm œconomis, quàm cognatis. Nam hi sæpè prodigunt, infidi sunt & fallaces, quod illis concreditur manet, & citra periculum conservatur, & pro illis est fideiussor Deus. *Tesaurum suum condit in caelo, qui Christum pascit in paupere:* ait S. Leo. Quantum enim hic erogas, tantum ibi accrescit cumulus meritorum, quæ invenies cum illuc veneris ubi ostiaria est Eleemosyna, ubi Janitores sunt pauperes. Unde Hugo Cardin. loquens de Eleemosyna: *Ipsa est: inquit, ostiaria Paradisi, quod patet ex eius officio: Officium enim ostiarij est, unicuique; facere locum, & distribuere mansionem.*

*S. Leo.
serm. 1.
de collec.*

*Hugo
Card. in
cap. 5.
Matth.*

Et

Et S. Odilo Abbas vocabat pauperes *Janitores Paradisi & cœli ostiarios*. Eodem tendunt illa S. Chryostomi: *Quam ob causam permittis aurum & argentum rubigine consumi, cum opus sit in pauperum ventres exhaustiri, ut in tuto reponens, hic abs te nutriti in illo die fiducia tibi portas aperiant, teq; suscipiant in æterna tabernacula?* Et quis prudens, si facile possit, non conetur hos sibi demereri? quis non arripiat tam compendiosam ad cœlum viam, tam felicem usuram? *Mibi nulla res* (inquit S. Gregorius Nazianzenus) *perinde admirabilis videtur, atq; compendiarie hæc ad salutem via, facilisq; ad cœlum ascensus*. Christus dixit commendatum esse pauperibus regnum cœlorum, & inter octo beatitudines primam reposuit paupertatem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Si pauperum est illud regnum, cur non pauperes devincimus? cur non ijs concredimus, quæ cupimus non perire? nisi fortè avaritia infidelitatis mater nobis etiam fidem tollit, ut non credamus Christo, sed potius adoremus Idolum aureum Mamonnam.

VII. Laudat S. Chryostomus tres pueros in camino ignis constitutos, eo quod honores oblatos & vitæ commoda spreverint, quia *aliorum videntes erumnas multumangebantur: quod est maximè sanctorum peculiare; ne gloriam vel honorem, vel aliud quidquam proximi præponant salutem*. Et hortatur nos horum occasione ad largam eleemosynam ad compassionem cum pauperibus: *Hos quidem & nos imitemur. Nam & aurea nunc imago erecta est. Mamonnæ Tyrannis. &c. Et si sit opus in paupertatis fornacem decidere ne refugiamus, ne mamonnam adoremus*. Desiderat aureus Orator, ut ita subveniamus egentibus,

*Manni
hist. Select.
c. 464.
S. Chry-
sost. hom.
39. ad
pop.*

*S. Greg.
Naz. orat.
30.*

*S. Chry-
sost. hom.
23. ad
pop.*

ut etiam si nos ipsi in paupertatem deberemus incidere, potius id velimus quam *Auream statuam*, seu *Mamonnæ Tyrannidem*, adorare. Et quo rogo motivo id persuadere conatur? *Si quis gehennam non credit, hanc conspicatus fornacem, ex presentibus futura credere discat, neq; paupertatis metuat fornacem, sed peccati. Hæc enim flamma, & dolor: illa verò ros atq; remissio.* Et post pauca: *cum his qui sunt in paupertatis fornace simul descendamus, & per eleemosynam ROREM operemur, ut gehennæ flammam Christi vox extinguat dicens: Esurientem me vidistis & pavistis.* Quasi diceret: Qui compatitur miseris, succurrit egenis, tantundem est ac si in fornacem immitteret levioris pretij metalla in purum aurum excoquenda, quibus Eleemosyna velut quidam LAPIS PHILOSOPHICUS veri tincturam auri dare potest. Quod enim Chrysostomus appellat ROREM, id ego auri tincturam dico & LAPIDEM PHILOSOPHICUM eodem jure quo Chymistæ eundem modo nominant *Lac Virginis, Aquam siccam, Lignum vitæ, medicinam morborum omnium.* Hæc aqua sicca, hic ros, temperat ignem, imò extinguit ignem infernalem, ut nocere non possit misericordiam exercenti.

VIII. Nocet verò illis qui pauperibus non succurrunt, qui adorant *statuam auream Mamonnæ Tyrannidem*, qui extra fornacem paupertatis sedent, & delectantur miserorum egestate, quemadmodum flamma fornacis corripuit & absumpsit custodes fornacis Babylonicæ, unde iterum Chrysostomus: *Cum Diabolus aurum non adorantes in Caminum paupertatis immittere minatus fuerit, ne de mittentium, sed ex missorum esse velis numero, ut ex his qui salvantur,*

tur,

tur, non ex his qui comburuntur, efficiatis. Maximus enim est ROS divitiarum desiderio non teneri, cum pauperibus conversari. Reflectite memoriam vestram ad id quod paulò ante asserui Eleemosynam & misericordiam erga egenos esse ostiariam cœli: nunc insuper dico esse etiam ostiariam & Janitricem Inferni: non enim solum attendit ut misericordes introducat in cœlum, sed etiam cavet ne quis misericors mittatur in fornacem ignis infernalis. Et hæc doctrina Sancti Augustini, cujus clara sunt illa verba: Ante fores gehennæ stat *Misericordia*, & neminem permittit in carcerem mitti. & quicumque misertus fuerit, miserebitur ei, & si quis non fuerit misertus, non ei miserebitur. Et eodem ferè sensu aiebat S. Chrysostomus: *A gehenna vos eruet nemo, nisi à pauperibus auxilium assequamini*. Imò viceversa licet dicere: regnum cœlorum ingreditur nemo divitum nisi Eleemosyna data pauperibus illuc translata jus illi acquisierit ad mansionem æternam: nisi hæc ostiaria fores aperuerit.

IX. De Petro quodam Telonario narrat S. Joannes Patriarcha Alexandrinus, rem notatu dignam divitibus. Disserebant inter se pauperes à quibus eleemosynam solerent accipere, & nullus potuit dicere se aliquid à Telonario homine avaro & euclione accepisse. Unus ex ijs audacior: aggrediar inquit hominem, & non desistam donec aliquid accipiam. Ridentibus cœteris & nihil sperantibus ipse domum accessit, & divina factum est dispositione, ut eodem tempore Petrus domum reverteretur, quem pauper allocutus eleemosynam petijt. Afferebantur tunc siliginei panes pro familia dum pauper instanter orans eleemosynam peteret. Indi-

S. Aug.
serm. 39.
cx. 50.

S. Chry-
sost. hom.
32. ad
pop.

Joan. Pa-
tr. Alex.
in vit.
PP. lib. 1.
ap. 21.

dignatus Petrus videns egenum non inueniens lapidem (verba sunt historici) per furorem arripit filigineum panem de cistella, & iactavit in faciem eius. Redit hic ad socios ostentans panem acceptum. Biduo post ægrotavit ad mortem Telonarius, & vidit in somno se consistere ante tribunal Dei. Aderant accusatores Dæmones, qui gravissima eius peccata alteri lanci stateræ imponebant: aderant & Angeli qui nihil habebant quod alteri lanci imponerent. Accessit deniq; unus qui panem filigineum attulit & lanci imposuit. Mox visæ sunt lances in æquilibrium consistere. Tum Angeli ad Petrum conversi, *Vade, & auge ad filiginem hanc, nam verè Mauri isti te apprehendent.* Experrētus super hoc Petrus divinam agnovit bonitatem & ingemuit: *Vae vae si unus filigineus panis, quem iactavi per furorem, ita profuit, à quantis malis se liberat qui dat in simplicitate sua bona indigentibus.* Ecce hic dum lapidem iactare vult in pauperem, apprehendit quasi invitus **LAPIDEM PHILOSOPHICUM**, quo panem filigineum convertit in aurum ponderosum, prægravans peccatis, & meruit, ut deinceps pluribus Eleemosynæ operibus sibi in cælo reconderet thesaurum æternum. Verè dixit S. Bonaventura: *Opera misericordie sunt ut aurum pretiosa.* Panem hunc Petri Telonarij **Lapidem** appellavi: nam & Fabius Verrucosus apud Senecam beneficium ab homine duro asperè datum nominat *Panem lapidosum*. Sic enim Seneca: *Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum: Panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit; esse acerbum.* Si hoc nomine appellatur beneficium vel eleemosyna cum indignatione vel asperè data, quo nomine appellabitur prorsus nega-

S. Bonav.
in diet.
Salut. tit.
7. c. 4.

Senec. de
benefic.
lib. 2.
cap. 7.

ta petenti aut indigenti? nec panis quidem sed *Lapis*, non tamen Philosophicus. Narrat Sigebertus in Chronico, cum pauper quidam à nautis eleemosynam petiisset, & illi responderet, se aliud non habere, quàm *Lapides*: mendicus reposuit: Omnia ergo quæcunq; in navi sunt manducabilia, vertantur in *Lapides*: quod illico factum est Deo vindicante immisericordiam, ut & panes & alia esualia sercato colore & forma in *Lapides* conversa sint: quanto melius dando petenti fuissent conversa in *aurum* reponendum in cælis.

X. Proinde AA. mei si sapitis, si à Deo vos accepisse quæ possidetis, grati agnoscitis, *Facite vobis amicos de Mamonna iniquitatis, Thesaurizate vobis thesauros in cælo*, deponite per manus pauperum opes vestras in gazophylacio Christi, memores quod Eleemosyna sit **LAPIS PHILOSOPHICUS**, qui omnia vertit in aurum, & simul lapis Lydius quo probatur verus Christianus. Nam ut ait S. Ambrosius: *Omnia summa doctrine Christianæ in misericordia, & pietate sita est*. Justum est, ut quod à Deo accipimus communicandum alijs, ex ejus voluntate cum lucro nostro erogemus. Quod pauperi damus Deo damus, quod subtrahimus, Deo subtrahimus, cuius in extremo die prima quæstio erit, an illum paverimus, an illum vestierimus. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*. In quæ verba Chrysologus: *In die mala illi Deus liberator assistet, qui à malis pauperem liberavit. In angustijs illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cum clamaret, audivit. Videbit diem malum qui diem judicij sine ad vocatione paupertatis intra verit* Sine causa accusant peccata quem pauper ex-

Sigebert.
Chron. ad
an. 606.

S. Amb.
in 1.
Tim. 4.

S. Pet.
Chryf.
serm. 14.

Matth. 25. *cusat. Excusari non potest, quem fames pauperis accusarit. In die illa cum sederit iudicaturus mundum, ut describit Matthæus: Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriivi enim & dedistis mihi manducare &c. Mirabuntur misericordes propositionem, sed obviabit Iudex: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. O magnam misericordiæ prærogativam! sibi datum agnoscit Deus, quod datum est pauperi, & quasi nullos alios salvare vellet, de solis misericordibus & Eleemosynarijs loquitur: Occurrit iterum*

Chrysol. sti. *Chrysologus. O quid agit amor pauperis! gloriatur in cælo Deus, unde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur injuria. In cælo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cælo. Ad quod nos adiumento pauperum perducatur qui est sine fine misericors. Amen.*



DISCURSUS XI.

Dominica IX. post Pentecosten.

Rifus Sardonicus.

T H E M A.

Videns civitatem flevit super eam,

Luc. 19.

S Y N O P S I S.

- I. Deslet Christus Ierosolymam prævidens eius subsæturum non tam materiale excidium, quam ex diuturno Rifu infortunium, vel alias ob causas quæ expendenda.
- II. Non est fletus viro indignus, quia multi insignes heroes flevisse narrantur; sinamus ergo flere Christum, quia peccata nostra non impediunt eius misericordiam.
- III. Certè magna causa fletus esse potuit lamentabilis ruina tam nobilis urbis, in qua tot millia, fame, bello, peste interierunt.
- IV. Sed quia multæ aliæ urbes conciderunt quas non desleuit, verior causa fletus esse
- videtur, tot animarum interitus, pro quibus frustra sudaverat; & ideo ut flere posset factus est homo.
- V. Flevit videns cæcitatem civium quam nimio felicitatis Rifu sibi induxerant.
- VI. Idem evenit omnibus mundanis, quorum Rifus funesto terminatur exitu veluti Sardonicus Rifus.
- VII. Hoc rifu delectabatur Heliogabalus, ridicularum rerum inventor, tandem miserè occisus.
- VIII. Hoc rifu tametsi non inonesto perierunt filij Iob, & qui apud sapientem ubiq; voluerunt relinquere signa lætitiæ.

IX. Si sapimus plus existimabimus nobis prodesse adversam quam prosperam & ridentem fortunam. Id docent Carthago, David, & Adamus.

X. Nihil sane infelicius eo qui nunquam est infelix. Unde scelestissimi Casares felices fuerunt in vita quam infeliciter finiunt.

XI. Hinc electi prosperitatem

suspectam habent, & malunt ligere quam ridere in mundo.

XII. Riserunt etiam pingues capones macilentum, sed hi macerati sunt, reservato macilento. Sic evenit mundanis; cum servantur electi, illi perirent. Præstat ergo hic flere cum Christo, quam ridere cum mundo.

Videns civitatem flevit super eam.

Luca 19.

I.



Eum me quantas fletus & lacrymarum quotidie habemus causas! & ne quidem ingemiscimus. Christus prævidet post annos quadraginta solo æquandam civitatem Jerusalem, & in fletum resolvitur.

Nescio quid hic primum obstupefcam: an quod præproperè longè post secuturam ruinam deploret; an quod ingratae urbi & mille contra se machinis armatae condoleat; an quod acervo lapidum ex magnificis structuris congerendo illacrimetur. Putant alij amantissimum JESUM, qui flere non didicit nisi propter peccatorum interitum, acerbissimo doloris sensu commotum, causam potius diruendæ Jerosolymæ quam effectum, ingratitude, & peccata populi propter quæ imminabat excidium, deflere voluisse. *Super Jerusalem flevit, ut quia ipsa flere nolebat Domini lacrymis ad veniam pertingeret.* Inquit

quit S. Ambrosius. Quanquam & materialis urbis excidium potuit esse luctus materia, utpote, quæ non tantum fuit pœna diurnæ & incautæ felicitatis, & fletus post diurnum RISUM subsecuturi. Quare merito nobis hodie expendendæ sunt causæ, propter quas Christus *videns civitatem flevit super eam*. Ut ex ijs agnoscamus, quod melius sit *Flere* cum Christo quàm RIDERE cum mundo, cum *extrema gaudij luctus occupet*.

II. Non tam indignæ sunt viris lacrymæ, ut Spartani existimarunt, cum multi magnæ fortitudinis, & celeberrimæ famæ viri, in magnis malis eas profuderint. Xerxes Persarum Rex in Abydenis campis cum exercitum ingentem sub signis stantem vidisset, illacrymatus est, & causam reddidit: quod post centum annos nullus è tot myriadibus futurus esset superstes. M. Claudius Marcellus Proconsul captis Syracusis in arcem constitit, ut urbis modo opulentissimæ, tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret. Casum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit. Capta à Cleomene Megalopoli, Aratus Sicyonius Achæorum Prætor consensu suggestu faciem chlamyde contexit, & diu flevit. Mirante autem concione atque ut diceret conclamante: *Megalopolis*, inquit, à *Cleomene eversa est*. Et mox concio soluta est: satis hoc erat ut & populus in fletum solveretur. Scipio Africanus ubi Carthaginem excisam vidit illacrymatus Homericum illud protulisse fertur.

*Jamque dies aderit, quo concidat Ilium ingens,
Et Priamus Priamique ruat plebs armipotentis.*
Adstabat tunc fortè Polybius eius studiorum Comes, qui ab eo sciscitatus: acquid Poëticum illud

Valer.
Max. lib.
9. c. 13.

Idem
Max. lib.
5. c. 1.
Aug. lib.
13. de
civ. Dei
c. 14.

Plut. in
Clem.

Sabellie.
lib. 9.
Ennead.
5.

fibi vellet? Romam respondit, *de qua humanis rebus pensatis non possum non esse sollicitus.* Quasi idem Romæ metueret, quod Carthagini acciderat. Ferunt etiam Imperatorem quendam accepto tristi nuntio flevisse, quod ei à Senatoribus vitio versum, sed Philosophus adstans: *Sinite plorare, quia dignitas Imperatoria non impedit illum esse hominem.* Rectius hodie de Christo dixerim: dum *videns civitatem flevit; finite plorare, quia peccata hominum non impediunt illum esse misericordem.* Imò quia misericors est fletu testatur se hominum etiam ingratorum & inimicorum suorum misereri.

III. *Videns civitatem flevit super illam.* Si literæ insistimus causa fuit quia prævidebat, quæ post recursum quadraginta annorum eventura erant, quasi iam illa oculis cerneret, sufficiebat profectò luctuosissimum urbis obsessæ & captæ, & dirutæ spectaculum, ad colliquandum etiam ferreum cor barbari hominis, non tantum misericordissimi JESU. Utinam mihi liceret vivaci penicillo vobis delineare excidium Jerosolymæ, quod fusò satis calamo Josephus Hebræus, & Hegesippus descripserunt, neq; tamen quantum substratæ requirebat materiæ, & calamitatis magnitudo. *Summa sequar fastigia rerum.* Anno Christi 72. ut supputat Baroni- us subiugatis prius omnibus Judæorum civitatibus, obsessa est Hierosolyma à Tito Imperatore Vespasiani filio, & circumdata vallo, ut Christus prædixerat, castra posita in monte Oliveti (in quo Christus *videns civitatem flevit super illam*) quo tempore ad diem festum convenerat ingens hominum multitudo ex omni Judæa. Laborabat urbs intestinis discordijs, & ipso Azymorum die interfe-

Joseph. lib.
7. de bello
Jud. He-
gesipp. de
excid.
Hierosol.
Tacitus
lib. 5. hist.

Et sunt in templo omnes, qui se nominabant Zelotas, ex quo colligitur amplitudo templi quod duos exercitus contra se invicem collisos continuit. Quinto Nonas Maij expugnatus est primus murus, & quinto post die secundus, combustæq; omnes cellæ, in quibus frumentum in plures annos collectum servabatur. Hinc fames orta; plurimi ex urbe egressi & capti sunt, quos Titus ante oculos civium crucibus affigi iussit, ut (quod Josephus notavit) iam spatium crucibus deesset, & corporibus cruces. Occisæ sunt Judæorum tres Myriades seu tres milliones; quos omnes certum est fuisse, vel illos, vel filios, vel nepotes eorum, qui clamaverant *Tolle tolle crucifige, & sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Et quia rumor increbuerat profugos aurum deglutijisse, ut securius secum asportarent, eorum duo millia capta & apertis corporibus eviscerata sunt. Interea crescebat in urbe fames, ut calcei, cingula, excrementa equina, feles, glires, mures absumerentur, eoq; ventum ut mulier filium suum occiderit, & ad ignem tostum comederit. Capta tandem urbs est die decima Augusti, templum incensum, spoliata domus, & omnia ædificia præter exiguum præsidij locum solo æquata, ut qui eo postmodum accesserunt habitatum aliquando fuisse locum vix crederent. Mortuorum & captivorum Judæorum in hac expugnatione numerum colligens Josephus qui aderat, ait captivorum fuisse nonaginta *septem millia.* Mortuorum vero fame, peste, ferro *undecies centum millia.* Numerum omnium qui tunc Hierosolymis erant, quasi tota gens in carcerem fato conclusa fuisset, ait fuisse eorum solummodo, quibus azymis vesci liceret *vicies centena &*

Septingenta millia. Præter ingentem colluvium illorum qui necessitate naturæ vel alia ex causa minus puri azymis non vescerantur. Hi omnes qui obsidioni superfuerunt, partim triumpho servati, partim in diversas Provincias missi cum bestiis pugnari in theatris, qui verò decimum septimum annum non excessissent cum fœminis vilissimo pretio venditi in Ægyptum. Talem talem iam tunc ante Passionem suam Clementissimus Dominus *Videns civitatem servit super illam.*

IV. Et quidni fletet? cum tot centenis millibus populosa non cognoverit tempus visitationis suæ: spreverit doctrinam eius, miraculis manifestis fidem non habuerit, ipsam ut seductorem populi ad mortem damnaverit, & inter latrones cruci affixerit. *Non diruendos muros* (inquit Didacus Scella) *non subvertenda Jerusalem ædificia deplorat Dominus, sed cecitatem civium eius, & animarum interitum, & jacturam.* Tot centena millia animarum, quò creditis pervenisse? Hæc jactura & perditio misericordissimo Jesu lacrymas elicit in monte Oliveti dum aspiceret civitatem, in eodem monte dum oraret profundens toto corpore sanguineas lacrymas, in cruce deniq; quando *cum clamore valido & lacrymis exauditus est*, ut mundus in gratiam recipe retur, si modo vellet veritatem agnoscere. Unde in rem nostram S. Bernardinus: *Magna profectò res est propter quam Dei sapientia plorat: sed quia Deus propriè plorare non potest, assumpsit humanam naturam ut plorare posset. Semper dum in mortali corpore fuit, doluit super culpis animæ nostræ, & pro eius curatione suspiravit ad Patrem.* Millè aliæ urbes opulentæ, populosæ destructæ, solo æquatæ, imò terræ motu concus-

*Didac.
Stellain
Luc.*

Hebr. 5.

*S. Bern.
sen. To. 3.
serm. de
dign. an.
s. 1. c. 1.*

ſe ſunt & corruerunt, nec tamen ob illas flevit Chriſtus, ſed Jeruſolymæ exitium imminens deſle- vit, quia animarum jacturam & perditionem do- luit, quod alibi expreſſit: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Cum nulla urbium tam multa ten- tavit, ut ad agnitionem veritatis perduceret, in nul- la tam multa ſignâ oſtendit ſuæ divinitatis; in nulla verò etiam tantam expertus eſt ingratitude. Peccata itaq; illius, & in peccatis obſtinationem, & cæcitatem mentis deſle- vit.

V. Sed unde obſecro Jeruſolymæ hæc cæci- tas, & odium veritatis? veniamus ad fundamentum. Chriſtus ipſe in hodierno Evangelio inſinuat: *Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Quorum verborum hic ſenſus eſt. Si prævideres jam dum pacem habes, dum indulgenter tractaris, quæ tibi eventura ſunt, etiam tu fieres ac pœni- tentiam ageres. Sed quia non emittis oculos ad fu- tura, ſolum præſenti felicitati intenta, vano RISU, & gaudio diſſolveris, hinc ipſa tibi cæcitatem indu- cis & velum præ tendis tuis oculis, ut nec modo peccata deſleas, nec ventura ſuper te mala prævi- deas. Huc reſpexit S. Gregorius, cum diceret: *Per- verſa quippe anima rebus præſentibus dedita, in terrenis voluptatibus reſoluta, abſcondita ſibi mala ſequentia quia prævidere futura reſugit, quæ præſentem letitiam per- turbant: dumque in præſentis vitæ delectationibus ſe de- ſerit, quid aliud, quàm clauſis oculis ad ignem vadit.* O ſi tunc cum omnia nobis ex voto ſuccedunt, cum ſani ſumus & vegeti, cum honoramur ab homini- bus, divitijs affluimus, nulla adverſitate affligimur,

S. Greg.
hom. 39.
in Evang.

feriò perpenderemus, nullam in mundo felicitatem esse diuturnam, venturum aliquando tempus quo cessabunt omnia delectabilia, quo ratio reddenda erit Deo Judici, quo non jam pœnitentia agenda, sed pœna sustinenda erit, parcius certè **RIDEREMUS**, sed maturè cognosceremus quæ ad pacem nostram faciunt, neq; oculis nostris velum induceret nimia felicitas, quæ nunquam recogitat, quod *Extrema gaudij luctus occupet*. Hæc fuit ruina Jerosolymæ, hæc causa quod Christus eam intuens in fletum solutus sit.

VI. Idem usu venit omnibus mundanis, quibus nimia contingit prosperitas, ut cum delectatione præsentium quasi **RISU** dissoluti subterfugiant tristitiam memoriam, & dum prosperitas securitatem generat, securitas oblivionem Dei, oblivio Dei cæcitatem mentis, prius se videant prolapsos in interitum, quàm ullam eius admiserint cogitationem. Sunt hi similes illis hominibus; quos certâ quædam venenata animalia cum momorderint, *ad Risum* concitant, & cum *Risu* mortem instillant, ut Strabo refert. Gelotophyllis herba, eius etiam dicitur esse virtutis, ut si bibatur eum myrrha & vino, **RISUM** efficiat, & qui biberit non ante **RIDENDI** quàm vivendi finem faciat, teste Plinio. Sardoum Apium apud Dioscoridem & Matthiolum, illam habet vim ut dulcem saporem habeat, sed commasticata talem in ore causat dolorem, ut totum os & labra diducat, ut qui eam sumpsit quasi **RIDENS** appareat, & moriatur. Unde Proverbio locus: **SARDONICUS RISUS**. Alij ad fabulosum Talum respiciunt quem Vulcanus ex ære fabrefactum Minoi dono missum in Cretam: qui prius

Strabo
lib. 11.

Plin. lib.
24. cap.
17.

Erasm. in
Adag. ex
Zenodo-
to.

prius in Sardiniam delatus in ignem desiliit, & Sardinios comprehensos amplexabatur, ut morientes diducto ore similes essent RIDENTIBUS: unde alij *Sardinium risum vocant*. Apio Sardónico quidam Academicus adscripsit lemma: *Cum RISU exitium*. Verissimum hoc est de prosperitate mundana, quæ nullo permista felle continuata mentes excœcat, & cum *Risu* in exitium proturbat: quod Salvianus de Romanis aiebat: *Sardonice quodammodo herbis omnem Romanum populum putes saturatum; moritur, & RIDET*. Annon hæc magna mentis cæcitas, & RISUS perpetuo fletu Heracliti dignus?

Salvian.
lib. 7. de
vero iud.
& provid.

VII. Portentum illud voluptuariæ vitæ Antoninus Heliogabalus, totus in eo fuit ut inter voluptates & ipse RIDERET, & alijs RISUM concitaret. Habuit leones & leopardos exarmatos in delitijs, quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam & tertiam mensam jubebat accumbere, ignorantibus cunctis quod exarmati essent; *ad pavorem & RIDICULUM excitandum*, ut ait Lampridius. Sortes convivales scriptas in cochlearibus habuit ridiculas, ut alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem ova gallinacea, alius decem grillos, alius decem lactucas. Quin & canes mortuos & libram bubulæ in sortibus habuit. Ebrios amicos claudebat & subito nocte leones, leopardos & ursos exarmatos immittebat, quorum multi pavore exanimati sunt. Aliàs amicis folles pro accubitis sternebat, eosq; reflabat prandentibus illis, ita ut plerunq; subito sub mensis invenirentur prandentes, quo sibi & alijs RISUM movebat. Parasitis in secunda mensa sæpè ceream cœnam, sæ-

Lamprid.
in Heliogab.
c. 21.

pè eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam lapideam exhibuit, ut omnia illa exhiberentur quæ ipse cœnabat cum bibere cogerentur per singula fercula, & manus lavare quasi comedissent. Iisdem Parasitis mittebat annua salaria, in vasis ranas, scorpiones, serpentes, muscas quas appellabat *apes manufetas*. Ad cœnam quandoq; vocabat octo calvos, octo luscios, octo podagricos, octo surdos, octo nigros, octo longos, octo pingues *ut de his omnibus* (verba sunt Lampridij) *RISUS citaret*. Ipse verò eodem authore teste *RIDEBAT sic nonnunquam, ut publicè in teatro solus audiretur*. Et hic tantus heluo voluptatum & RISUS, tandem derisus non defletus est. Ipse sibi laqueos quibus spiritum intercluderet, turrinam è qua se præcipitaret, venena quibus interimeret paravit, cum vel RISU saturatus fuisset, vel periculum ignominiosæ mortis immineret. Sed ista nihil profuerunt. Nam facta conspiratione ad liberandam Rempubicam tali monstro, in latrina, ad quam confugerat per scurras occisus est. Cadaver per cloacas tractum, appenso pondere in Tyberim abiectum est, ne sepeliri posset. Quis hunc neget *Sardoum Apium* gustasse cum non imperaverit nisi annos tres, menses novem, vixerit annos octodecim, menses aliquot, tam cito affectus *Cum Rifu exitium*.

VIII. Et hic quidem fidei lumine destitutus, veri Dei ignarus, sed quid si inter veri Dei cultores multos inveniremus adeò obcœcatos nimia felicitate, ut de imminente exitio per multos annos nullam cogitationem susciperent? Filij Job: *faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent,* &
bi-

*Iidem
Lamprid.
c. 29.*

*Ibid. c.
32.*

Job. 1.

biberent cum eis. Cum autem quadam die filij & filia Job comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti &c. repente ventus irruens à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit illos & mortui sunt. Ecce iterum ingens Cum RISU exitium. Filij Job honestæ hilaritati dantes operam, sed quæ tamen carere non potuit periculis: Quia difficile est convivium sine culpa fieri, mittebat ad eos Job, mittebat qui illos corrigerent. Inquit Hugo Cardinalis. Sed perrexerunt illi continuare convivia, & ecce extrema gaudij luctus occupat. Nempe ut ait Chrysologus, Prosperitas quo specie sui clarescit amplius, eo stupentibus oculis densiorem offundit caliginem. Conviviis suis ab initio propinat dulcia, & cum inebriati fuerint, lethale virus admiscet. Propterea minatur Deus per Prophetam prosperitatis amasijs: *Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim, & stori decidenti gloriæ exultationis ejus.* Qui sunt isti Ephraim ebrij? nisi qui exultant in rebus pessimis, qui apud sapientem invicem cohortantur: *Coronemus nos rosis, vino pretioso & unguentis nos impleamus. Ubique relinquamus signa lætitiæ &c.* Qui tandem post longam prosperitatem (ut ipsis videbatur) lassati in via iniquitatis fateri coguntur. *Ergo erravimus.* Omnino errastis, quia oportebat cogitare, & identidem in prosperis repetere *RISUM reputavi errorem, & gaudio dixi quid frustra deciperis?* Nolite dicere *Justitiæ lumen non luxit nobis*, quia falsum est quod nobis non luxerit. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, omnibus accendit lumen justitiæ: sed vos proni in terram decerpistis rosas, quæsiivistis vuas, conculcastis prata, risistis ad in-

Hugo
Card. in
Job.

Chrysol.
c. 1. de
nug. cu.
rial.

Isai. 28.

Sap. 2.

Eccle. 22.

faniam, hinc *errastis*. Si oculos elevassetis in cœlum, utique vidissetis solem justitiæ.

IX. Resolvite mihi unam quæstionem Auditores, quid optabilius sit viro sapienti, assiduè concuti adversitatibus, an in perpetua prosperitatis malacia quietum esse. Viro inquam sapienti, cuius est prævidere futura: neque enim de illis inquirō, qui præsentibus inescati, oculum in futura non extendunt. Putatis quod optabilius sit prosperitas? Fallimini: contra vos pronuntiat Severinus Boëtius: *Plus reor hominibus adversam quam prosperam prodesse fortunam. Hæc enim semper specie felicitatis cum videtur blanda, mentitur. Illa semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat.*

Nunquid & Poëta quispiam canebat?

Fortuna cum RIDET ferit.

Pentapolis interitum nimix prosperitati adscribit Ezechiel *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia & otium.* Ubi adnotavit Orosius: *Hæc universæ regioni bonis malè utenti rerum abundantia causa malorum fuit.* Qamdiu Carthago stetit quæ erat cos juventutis Romanæ, viguit Romana virtus & Martius animus; eversa Carthagine mores cœperunt corrumpi, & vinci nescia Roma in mollitiem & luxum diffluit. Marcet nimirum sine adversario virtus. David quamdiu à facie Saul fugiebat, & persecutiōnem est passus, erat *Vir secundum cor Dei*: quod in spelunca præciderit solum oram chlamydis Saulis, indoluit & *percussit cor suum.* At verò in secunda fortuna constitutus, non abhorruit occidere uriam. Id observavit S. Gregorius: *David auctoris sui iudicio penè in cunctis actibus placens, mox ut pressuræ pondere caruit, factus est in morte*

Urie

Boët. lib.
2. de Con-
sol. Prosa
2.

Ezech. c.
16.

1. Reg.
24.

S. Greg.
Pastor. p.
2. cap. 3.

*Uria crudeliter rigidus, qui in appetitu scemine fuit ex
neruiter flexus.* Componite Jobum cum Adamo,
hunc in Paradiso, illum in sterquilinio, utrumq; à
Diabolo tentatum, & videbitis Jobum in sterquilinio
in adversa fortuna victorem, Adamum verò in
prospera corruentem. Unde idem Gregorius:
*Adam noster fortis in sterquilinio jacuit, qui in Paradiso
quondam debilis stetit.* Usq; adeò melior & securior
est adversitas quàm prosperitas.

X. Laudat Seneca Demetrium ab egregia sententia, & altè sibi eam fatetur demissam in pectus:
*Inter multa magnifica Demetrii nostri, hæc vox est,
à qua recens sum: sonat adhuc & vibrat in auribus meis.*
*Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil
unquam evenit adversi. Non licuit enim illi se experiri,
ubi ex voto illi fluxerunt omnia, vel ante votum: male
tamen de illo Dii judicaverunt.* Sanè ita est, continua
& longa prosperitas indicium est illos à Deo reijci,
& reservari in pœnas, qui nullis adversis exercentur.
Scelestissimis quibusque Deus plurimum indulget,
Julio Cæsari patriæ everfori, Tiberio mendaci,
Caligulæ superbissimo, Claudio ignavissimo,
Neroni crudelissimo, Heliogabalo lascivissimo,
Diocletiano & Maximiano atrocissimis monstris ac
portentis, omnem concessit libertatem, cum interim
amicissimos suos tribulationibus plurimis afflicti
permiserit, unde Apostolus de ijs:
*Ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres
lapidati sunt, tentati sunt &c. egentes, angustiati,
afflicti.* Et Psalter Regius canit: *Multe tribulationes
justorum.* In quem locum S. Augustinus: *Injusti pau-
ciores habent tribulationes: si justus sunt multas habent:
sed post paucas tribulationes aut nullas illi venient ad tri-
bula-*

S. Greg.
moral.
lib. 3.
c. 6.

Sen. de
de Prov.
cap. 3.

Heb. 11.

Psal. 33.

S. Aug. in
Psal.

bulationem sempiternam, unde nunquam eruentur. Iusti autem post multas tribulationes venient ad pacem sempiternam, ubi nunquam mali aliquid patientur. Nimirum victimæ olim coronabantur floribus, cum paulò post jugulum cultro præbituræ erant.

XI. Unde electi prosperitatem nimiam suspectam habent, & metuunt. Cardinalis Robertus Bellarminus euectus ad purpuram fleuisse dicitur, timens ne Deus ea dignitate compensare vellet suos pro Ecclesia Dei susceptos labores. Idem sensit S. Gregorius magnus, cum esset renuntiatus summus Pontifex: ut ipse insinuat: *Admonemur prospera mundi metuere, & contra omnem seculi felicitatem acrius vigilare. Namq; præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta. Sicut enim per fletum ad gaudia ducimur, ita per gaudia peruenitur ad fletum.* Instar omnium exemplum esse posset Dives Epulo compositus Lazaro, sed consulendum est brevitati. An hic forte fuerit sensus Ecclesiastæ: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij. Melior est ira RISU, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Quæ alij sic legunt. *Melior est indignatio RISU: quia tristis vultus pariet letum cor.* Quasi diceret, malo ut me Deus adversis exagitet, ut mihi calamitates immittat, quàm ut me arrideat & molliter tractet: scio enim quod post nubila Phœbus illucescat, quod post amara propinet dulcia, post labores requiem, post mœrorem gaudia sempiterna.

XII. Habeant itaq; vani homines suos RISUS, sua gaudia, transigant dies in optata prosperitate, victimæ sunt, coronantur, & saganantur ad lanienam. Plures Capones aliquando uno in prædio pascebantur, eorum, pleriq; pingues & obesi,

for-

S. Greg.
Proem.
in Psal.
50.

Ecll. 7.

forte unus vel alter aderat macilentus & plumâ levior, quem cœteri RIDERE, exsibilare, quòd eandem haberet appositam escam, nec tamen impinguaretur. Dum ita misello insultant, venit Domini jussu coquus, qui pinguiores pro convivio feligens, macilentos reliquit. Tum primum pingues agnovērunt effectum sui RISUS. Nam illi jugulati sunt; & vivi remanserunt macilenti. Tales sunt qui in delitijs vitam exigunt, nec futura prospiciunt: tales Jerosolymitæ quos hodierno in Evangelio deflevit Christus. Aptè in hanc thesim S. Chrysostrmus proponit quæstionem de duobus captivis in carcere, quorum alius delitijs impinguesceret producendus ad mortem, alter pro regno pugnaturus voluntariè abstineret à delitijs, & interrogat auditores ex quorum esse numero mallent. *Si quispiam vinctum aliquem producendum ad mortem, & semper hoc exspectantem pinguem reddat ex multis delitijs: tale aliquid erat etiam mors antiquo tempore. Nunc autem veluti si quispiam illum timorem excludens cum delitijs agens pronuntietur pugnaturus, & proponat agonem, ut iam non ad mortem, sed ad regnum adducatur: ex quibus esse velles! ex his qui in custodia pinguescerent, quotidie sententiam sui interitus exspectantes: an ex illis pugnaturis quidem multum & laboraturis ultronea voluntate, ut diadema regni suscipiant?* Mi sancte Chrysostrme, eligo posteriorum sortem, malo hic laborare pro regno, quàm impinguari pro morte: malo hic flere cum Christo, quàm RIDERE cum mundo, quia scilicet: *Manifestum perditionis indicium est, ut loquitur S. Gregorius, quando affectatis iniquitatibus subsequens sævet effectus, & nulla contrarietas impedit quod mens per-versa concepit.* Quando omnia succedunt ad

S. Chry-
sost. in
Ep. Paul.

S. Greg.
lib. 26.
Moral.
c. 14.

Luca. 6.

libitum sensualis hominis, & nulla tristitia animus maceratur. Credo Christo asserenti, & comminanti omnibus mundi amatoribus, & adversa declinantibus: *Vae vobis, qui saturati estis; quia esurietis. Vae vobis qui RIDETIS nunc, quia lugebitis & flebitis.* Econtra verò: *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.* Amen.



DISCURSUS XII.

Dominica X. post Pentecosten.

Stultitia in Epitome.

T H E M A.

Non sum sicut cæteri hominum velut etiam hic publicanus. *Luc. 18.*

S Y N O P S I S.

- I. Stultitia communissimum in orbe malum, multorum causa malorum est. Huius plures actus in Epitomen collegit Pharisæus, multos habens imitatores.*
- II. Ex loquela manifestat se, quia per hanc maxime solet agnosci Stultitia.*
- III. Colligitur ex ea quod multa egerit pro sola vana gloria, quod stultum est, & nihil stultius, quam seipsum laudare.*
- IV. Dum impropereat Deo vult videri gratias agere, imò & publicano presenti, & toti mundo se præfert, quod stultum est.*
- V. Si non erat sicut cæteri homines, vel Deus esse debuit vel bestia. Non fuit Deus ergo bestia uti Nabuchodonosor & Lucifer.*

VI. Sic

VI. Sic superbiendo tres gradus stultitiæ ascendit, non agendo hominū uti debuit, agendo malum, & perseverando in malo.

VII. Scandendo altius etiam agere voluit supremum Iudicem, & se ingerere in alienam Iurisdictionem, uti Saul in officium Sacerdotis, qui ideo dicitur Stultus egisse.

VIII. Adhuc altius scandendo quodammodo male sensit de Deo, quod parca nimis alijs communicaret bonitatem, sibi soli eam credens communicatam. Per quod factus est Stultior naturalibus stultis, & longè miserior.

IX. Nam hæc stultitia ex vana gloria nascens hominem

præcipitat, sicut gigantes qui dum ascendunt cadunt, dicti gigantes quasi cadentes.

X. Et horum casus multiplex est, quia primo contemuntur ab alijs, cum econtra alij qui se sanctè stultos profitentur soleant magni estimari, uti Abbas Moyses.

XI. Cadunt deinde in multa enormia vitia, & demum in incredulitatem, & consequenter in gehennam cuius mater est vana gloria.

XII. Cum ergo hanc sectari non tantum sit Stultitia, sed plane Epitome Stultitiarum, gloriemur potius in Domino, quia debetur soli Deo gloria,

Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus. *Luc. 18.*

I.



Satorum Princeps sapientissimè de stultitia differens eam matrem malorum omnium, summam miseriam, & communissimum in orbe defectum pronuntiare non dubitavit. *Stultitia*, inquit, *maius est malum, quam omnia mala fortune & corporis.* Et alibi: *Miserius stultitia dicere quid possum?* Quin etiam ad divinum accedens oraculum, quasi literas sacras legisset: *Stultorum (ait) plena sunt omnia.* Quod Ecclesiastes

Cic. 3. de nat. Deo. Idem. 1. de nat. Deo. Idem 9. Famil. de Papyr.

Eccle. 1.
15.
Cic. 3.
Tuscul.

illis verbis expressit : *Stultorum infinitus est numerus.* Denique volens ostendere stultitiam in Epitomen contractam : *Est proprium stultitiæ aliorum vitia cernere, obliuisci suorum.* Hujusmodi stultitiam nobis proponit hodiernum Evangelium in Phariseo orante, qui accedens templum non unum actum STULTITIÆ, sed plures simul contraxit, ut in illo manifestè liceat conspiciere STULTITIÆ EPITOMEN. Et quia multos valdè habet imitatores, libet præsentî discursu hanc stultitiam Pharisaicam, ceu omnis STULTITIÆ EPITOMEN delineare, ut qui in huius universalis morbi morotrophio comprehenduntur, ex alieno malo sapere discant.

II. Vetus Germanorum proverbium est campanam ex clangore, avem ex cantu, asinum ex ariculis, STULTUM ex loquela agnosci. Quamdiu homo non loquitur, nemo deprehenderit quid in ipso lateat. Unde Philosophus ad juvenem elegantem : *Loquere juvenis ut te videam.* Fallit sæpè externa species, fallit vultus, fallit vestitus, ut quos ceu Catones aut Socrates dum tacent putaveris, illico è paucis verbis Melitides esse ac Coræbos deprehendas. Adductus fuit aliquando ad Carolum V. Imperatorem nobilis adolescens elegantissimo vultu, superbo vestitu ornatus, in aulæ formandus servitia : sed non sufficiebat Carolo Symmetria corporis, vultus & vestium elegantia, scrutari voluit ingenium : quæsivit qua domo, quibus natus parentibus, quibus studijs aut exercitijs operam dedisset : hic obmutescere adolescens, pauca atq; inconcinna proferre verba, turbari, & palam ostendere stolidum ingenium. Conversus ad astantes Carolus : *Est inquit pulchra statua sine anima, myrothecium sine*

sine balsamo, lypsanotheca sine reliquijs. *Loquere modo Pharisee Evangelice, ut te videamus: qua de causa templum ingressus es? Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut coeteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Jeiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium que possideo. Non videtis auricularas afininas? non auditis STULTUM elogium, & Panegyrim propriam? Qui sibi placet STULTO homini placet.* ait S. Augustinus.

S. Aug. in
Psal. 122.

III. Quisquis hanc Pharisei orationem legit vel recitari audit, illico superbum, ambitiosum, arrogantem, vanæ gloriæ aucupem STULTUM pronuntiat S. Bruno Astensis: *Manifestum est Phariseum istum per superbiam & arrogantiam cuncta dixisse, atq; in his que faciebat, magis hominibus, quam Deo placere volebat. STULTUS, qui pro tanto taliq; servitio, nihil nisi vanam gloriam pro mercede recepit. S. Chrysostomus contraponens Publicanum Phariseo, post nonnulla egregia documenta tandem subiungit: Magnum est elationis malum: STULTUM esse melius est, quam insolentem &c. Non potest esse superbus qui FATUUS non sit. STULTITIA vero plenus est superbus. Et alio loco: Nihil STULTIUS quam cum Phariseo se laudare. Deniq; & S. Thomas de Villanova ita effatur: O miserandam STULTORUM hominum insaniam! Qui Christiano nomine censentur horum omnis cura & sollicitudo est, qualiter inter homines magni & honorati censeantur. Prætereo aliorum complura in hanc thesim testimonia conglobare. Suffecerit dictum sapientis, quo veluti digito monstrat Phariseum oppositum Publicano. Timens Deum despicitur ab eo, qui infami graditur via. In ore STULTI virga superbie. Ingreditur templum pub-*

S Bruno
Ast. hom.
in Dom.
10. Pent.

S. Chry-
sost. hom.
39. ad
pop.
Idem hom.
66. in
Matth.
S. Tho.
Villan.
Conc. 2.
de Ascens.
Dom.

Prov. 14.

licanus timens Deum, misericordiam & veniam oraturus, & ecce despicitur à Phariseo, in cuius ore non est lingua aliud quàm *Virga superbiæ*, quam extendit & contra publicanum, & contra omnes homines, & contra ipsum Deum, omnes eodem ictu verberans.

IV. Enim verò orationem eius accuratius expendens S. Basilius Seleuciensis inquit : *Bellum sanè gratiarum actionis exordium, mundi criminatio & Judex, & mortis sententiam in omnes ferens : Non sicut cæteri. Deo exprobraturus intonuit : Non habes justum alterum in terra. Ego tibi solus virtutum thesaurus : deserta sit iustitia à terra, nisi hanc ego calcarem.* Quasi diceret Basilius. Improperium vestit Phariseus specioso nomine gratiarum actionis. Non enim gratias agit, sed impropert Deo, publicano, quin & toti mundo. *Non sum sicut cæteri hominum.* Deus nullum habet justum in terra nisi me solum : tam avarus est virtutis ut nullum patiaturo virtuosum nisi me unum. *Non sum sicut cæteri hominum.* Propositio indefinita apud Philosophos æquivalet universalis. Nullum itaq; excipit hominem, sed omnes facit reos, omnes similes publicano, omnes peccatores, injustos, adulteros &c. Ecce quot in paucis verbis argumenta STULTITIÆ! *Quid est cæteri homines* quærit ad hunc locum S. Augustinus, & respondet : *nisi omnes præter ipsum ? Ego inquit justus sum cæteri peccatores.* Unde tanta uni homini præsumptio? nempe mentis elatio, & cupiditas vanæ gloriæ movet mentem è suo loco, ut stultus fiat qui videri vult sapiens. *Dicentes se esse sapientes STULTI facti sunt.* Dicentes se esse justos STULTI facti sunt; dicentes se esse meliores alijs STULTI facti sunt.

S. Basil.
Seleuc. o-
rat. 15.

S. Aug.
ser. 36. de
verb.
Dom.

Rom. 1.

V. Albertus Magnus ex mente & sensu Aristotelis argute observat, eum qui non est sicut cæteri homines, vel Deum esse, vel bestiam, nimirum vel aliquid supra hominem, vel aliquid infra hominem. Sic verò loquitur : *Qui non est sicut homines, aut aliquid melius est omni homine sicut Deus; aut aliquid vilius omni homine sicut bestia. Deus iste non fuit, ergo in bestiam est conversus, de hoc igitur STULTUS gratias agit. Deus gratias ago tibi, qui non sum sicut cæteri hominum.* Alludit hoc loco B. Albertus ad casum Nabuchodonosoris, qui fastu & ambitione elatus, cum vellet adorari ut Deus, in bestiam est transformatus, quia se totum mancipaverat vanæ gloriæ, quam Philo Hebræus appellavit bestiam. *Immanis bestia vana gloria.* Bestiarum immanium hæc natura est, quod solitariæ incedant, consortia fugiant, & suam etiam speciem sæpenumero persequantur. Hoc facit ambitio, sola vult esse, omnes à se ablegat, ab omnibus separatur. Solitudinem etiam amat STULTITIA. Unde S. Bernardus de Phariseo : *Gratias Deo agit Phariseus, non quia bonus sed quia solus.* Et hoc est proprium ambitionis & summæ STULTITIÆ, uti elucet in principe omnis superbix Luciferò de quo idem Bernardus : *Quia sedere præsumpsit, se solo voluit esse contentus.* Omnes ambitiosi hoc cupiunt ut soli sint, soli æstimentur, soli omnia possint, soli imperent ac dominantur, & ut canebat Poëta : *Non fert Cæsarue priorem, Pompejusue parem.* Cùm viceversa contemptores vanæ gloriæ proximè accedant ad Deum, hoc ipso sapientissimi. Velleius Patereulus de Catone, qui censebatur sapientissimus : *Per omnia ingenio Dijs quàm hominibus propior, qui nunquam recte fecit ut facere videret.*

Alb. Mag.
ap. Man-
si.

Philo lib.
de Joseph.

S. Bern. de
grad. hu-
mil.

Idem.
serm. 3.
in Isai.

Velle. 1.
lib. 2.

vetur. Unde per oppositum concludere licet, qui omnia facit ut facere videatur, & longissimè à Deo recedere, & *stultissimum esse*. Eandem veritatem adstruxit Chrysostomus cum diceret: *Quoties difficile existimas contemnere gloriam, ista tecum versa: Si hanc despexero Deo similis efficiar*. Et quis non malit ambire Dei similitudinem, quàm simularum **STULTITIAE**?

S. Chry-
sost. hom.
2. in Ep.
ad Titum.

Hugo
Card. in
Prov.

Prov. 12.

VI. Hugo Cardinalis tres gradus distinguit **STULTITIAE** moralis *Primus gradus STULTITIAE est bonum non facere dum licet, secundus malum facere: tertius in malo se assuescere*. Quæ applicat otiosis juxta illud sapientis: *Qui sectatur otium stultissimus est*. Sed his gradibus stultitiæ non contentus Phariseus plures sibi construxit ut altius caderet. Nam primo bonum non fecit dum licuit. Quamvis enim contexuerit elogium suorum bonorum operum: *jejuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo*. Hæc tamen per intentionem vanæ gloriæ evanuerunt, & fuerunt quasi nulla opera. Unde merito illum sic alloquitur S. Petrus Chrysologus: *Enatasti jejuniij pelagus, & in ipso portu jejuniij naufragasti, quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem*. Operari propter humanas laudes, venari applausus & æstimationes non est operari benè, sed bonum opus corrumpere. Quomodo naufragavit? nempe ad scopulum inanis gloriæ impegit, quia *Inanis gloria est velut scopulus sub aqua latens, ad quem si navem alliseris, perijisti*. Ut aiebat S. Nilus. Præterea non fecit bonum quod debuisset, seipsum agnoscendo & profitendo peccatorem, quia *Justus prior est accusator sui*? Ipse verò econtrario laudes suas enumerat, & aliena recenset peccata; ita tamen ut

S. Pet.
Chrysol.
serm. 7.

S. Nilus.
orat. 7. de
van. glor.

Prov. 18.

reticeat illa, in quibus ipse delinquebat. Nullam quippe mentionem facit superbiæ, iracundiæ, jactantiæ, contemptus proximorum, detractiois, temerarij judicij, quorum se reum non ignorabat. Secundò malum fecit & conscendit alterum STULTITIÆ gradum, quia ipsa illa opera, quæ seu bona dilaudat, fuerunt ex intentione opera mala. Non omnis qui jejunit benè agit. Diabolus semper jejunus est, & bonum non agit: avari multi jejunant, non ut Deo placeant, sed ut minus abstinent, & corradant divitias. Sic ipse ut observat Albertus Magnus jejunavit bis in sabbatho *Semel ad ostentationem, & semel ad avaritiam*. Tertiò effecit se ad malum, non contentus uno actu *bis* inquit *jejunio* malo fine ex actibus frequentatis habitum induens, qui est tertius STULTITIÆ gradus, in quo potuisset resipiscere, nisi cœcitatem illi induisset inanis gloria, quæ instar fumi & caliginis oculos mentis solet obtenebrare. His porrò gradibus superstruxit contemptum proximi *Velut etiam hic publicanus*, in quibus verbis contemptum & irrisionem publicani advertit S. Bonaventura. Et hoc quidem proprium est vanæ gloriæ aucupum ut ait S. Gregorius. *Vanæ gloriæ sectatores dum se omnibus præferunt, alios quidem de fatuis sensibus, alios autem de indignis meritis reprehendunt.*

VII. Perge porrò Pharisæe, scande altius. Melior es Publicano ut putas, sed non melior Zachæo: tu decimas bonorum tuorum dedisti, Zachæus dimidium. Imò inquit Pharisæus: *Non sum sicut cœteri hominum*. Omnes se inferiores æstimat, se supra omnium merita locat. Felix, si talem te reperiret statera divini judicij; sed si appendaris, constabit il-

Alb. M.

S. Greg.
lib. 23.
Moral.
c. 3.

Luc. Burg.
in Luc.

lico quòd sis minus habens. Nam se criminibus & peccatis absolvere, alios omnes onerare, temerariè atq; arrogantis superbiæ est. Inquit Lucas Burgensis in hunc locum. Adhuc altius uno gradu Pharisæe, prævit Lucifer antesignanus, volens sedere in monte testamenti : Judicem ergo se constituit publicani. Cum nominasset raptores, injustos, adulteros, addit : *Velut etiam hic publicanus.* Annon hoc est invadere Dei Jurisdictionem ? annon hoc est sedere pro tribunali, & ferre sententiam de proximi conscientia, quod solius est Dei ? Non contentus omnibus hominibus se præposuisse, etiam Deo se pare se vult facere, cum eius invadit officium. Exspectabat Saul in castris Samuelem ut sacrificaret : tardante nonnihil Samuele, pertæsus moræ, *Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum & pacifica, & obtulit holocaustum.* Comparuit mox post sacrificium Samuel, & conversus ad Saulem : *STULTE egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, que præcepit tibi.* Si Saul invadens officium Sacerdotis arguitur *STULTITIE* & reprehenditur, quanto magis qui ipsiusmet Dei potestatem involat ? qui proximum temerariè judicare præsumit ? Lyranus ad hunc locum : *Peccavit Saul quia officium sibi illicitum scilicet offerendi per seipsum usurpavit, quod est grave peccatum.*

1. Reg. 13.

Ezra. in
lib. Reg.

Didac.
Stella in
Luc.

VIII. Adhuc uno gradu altiozem facit Pharisæum Didacus Stella expendens eius arrogantiam qua se omnibus præferebat hominibus, dum ait : *Cum se solum bonum credit, quodammodo malè de Deo sentit, quia credit quod Deus in uno solo divitiis posuerit, & quod alijs non sit bonus, nisi sibi.* Judicat ergo non solum omnes homines, quod soli Deo competit,

tit, sed etiam ipsum Deum, qui nullum habet Judicem. Quæ maior excogitari potest infania? Magna fuit *stultitia* Hippocomi de quo Antonius Muretus narrat: quod Venetijs habitans & in atrio videns depictos Cardinales ibi quotidie prandere voluerit, quasi ipse medius inter Cardinales summus Pontifex, illos convivas haberet; unde & multa disputabat de regimine Ecclesiæ, de cura, & sollicitudine Pontificia. Magna quoque fuit illa *Stultitia* eorum, quos in Nosocomio Romano quondam reperit Gabriel Vasquez celeberrimus Theologus, ubi perlustrans ædes Nosocomij obvium habuit virum habitu decoro & gravi, & ab eo per plura deductus cubicula, plures vidit Pazzarellos (ut vocant) seu *stultos*, singulos eorum describente gravi illo Catone. Cum verò iam lustratis ædibus abitum pararet Gabriel, accurrit ad aream juvenis ex puteo hauriturus aquam. Ecce, inquit, vir ille gravis, ecce maximum *stultorum*, qui asserit se esse Archangelum Gabrielem missum ad Mariam Virginem, cum non sit verum. Ego enim qui sum Deus Pater non misi illum, nec unquam vidi in cœlo, Auditis his Vasquez quem hæcenus sapientem censuerat **STULTISSIMUM** esse intellexit, & vale facto recessit. Magnæ fuerunt hæc **STULTITIE**, sed ex organis destructis, & corruptione facultatum naturalium; verum longè maior **STULTITIA** est ambitiosorum, & vanæ gloriæ sectatorum, teste Chryso-stomo, ut supra dicebamus: *STULTUM esse melius est quàm insolentem. Ibi enim STULTITIA tantum est mentisq; tarditas; hic autem STULTITIA peior est, & FATUITAS cum furore. STULTUS sibi metipsum malum est; elatus & alijs pestis.* Addo ex mente

Murel. ap.
auth. acer.
Philol.

Engelgræ.
n Luce
Evang.

S. Chry-
sost. hom.
30. ad
pop.

S. Aug. de
honest.
mil. c. 3.

Augustini etiam sibi ipsi extremum exitium. *Nulla maior INSANIA est quam pro delectatione momentanea perdere æterna gaudia, & obligare se ad æterna supplicia.* Quid agis insane Phariſæe? quid agis gloriæ humanæ nundinator? oras, jejunas, distribuisti eleemosynas, ut videaris: videt te una fortè anicula, unus aliquis de infimo grege eorum, qui cubito se emungunt. Placuisti; recepisti mercedem: tam pretiosa tam vili vendis? Deum spectatorem negligis, ut habeas homuncionem. Laudas te ipsum? & nonne melior foret encomiastes ipse Deus, si quod agis bonum, benè ageres, Deum solum testem adhiberes, ipsi soli placere satageres. O te non modo STULTUM, sed miserè STULTUM! quia.

Arnold.
Carnot. in
cap. 1.
Matth.
S. Basil.
Consl.
monsl. c.
11.
Pet. Bless.
Ep. 3.
Petra veba
Dial. 92.
S. Tho. de
Villan.
Conc. 2.
de Asc.
Dom.

IX. *Inanis gloria est scabies virtutis & tinea san-
ctitatis*, ait Arnoldus Carnotensis. Vana gloria est *Dulcis spiritualium operum spoliatrix, jucundus anima-
rum nostrarum hostis, tinea virtutum, & blandissima
bonorum nostrorum deprædatrix.* Ait S. Basilius. Vana
gloria est *ærugo, quæ omnem mentis ornatum depravan-
do consumit.* Inquit Petrus Blessensis. *Vana gloria
STULTOS tumidosque præcipitat.* Inquit Petrarcha.
per gradus pervenitur ad præcipitium, per ascen-
sum ad casum, quod deplorans S. Thomas de vil-
lanova, allegando S. Bernardum, inquit: *Cum e-
nim ut Bernardus ait descendere facillimum sit, & as-
cendere difficillimum, homines miserandi facilem viam
contemnentes, asperam & difficilem elegerunt, justam
STULTITIÆ suæ retributionem recipientes.* Ni-
mirum ex alto casum. Superborum & eorum qui
vanæ student gloriæ, cum Phariſæo seipſos alijs
præferunt ac laudant, typus sunt gigantes illi famo-
si, quos ferunt Jovem è cælo deturbare conatos.

Horum nōminis Etymon indagans Rupertus Abbas inquit: *Gigantes dicti quasi cadentes: nam hoc primum superbire cadere est.* Qui Deo volunt eripere gloriam, sunt Gigantes quasi cadentes. Et dum conantur in cœlum conscendere, descendunt infra terram, nam *Superbire cadere est.*

Rup. lib.
3. c. 1. in
Gen.

X. Multiplex autem istorum casus est. Nam primò qui nimio appetitu laudis & gloriæ laborant à sapientibus vilipenduntur, & tales æstimantur quales reipsa sunt **STULTI**: adeoque quod desiderant non consequuntur, & in id incidunt quod fugiunt, contemptum & irrisionem. Econtra contemptores laudis propriæ, & gloriæ humanæ, ipso huiusmodi contemptu & gloriam consequuntur quam fugiunt, & (quod pro Deo optant) contemni non impetrant. Volunt haberi **STULTI** pro Christo ex Pauli consilio, & sapientissimi esse agnoscuntur. *Qui sapiens esse vult STULTUS fiat ut sit sapiens.* Sic Abbas Moyses laudes ægerrimè ferens, contemni desiderans, vix admittebat in conspectum eos qui fama permoti accederent, & colloqui vellent. Præsidem Provinciæ iteratò accedentem, obviam progressus suimet contemptu repulit. Cùm enim ab eo quæreret, ubinam esset Abbas Moyses: *Quid tibi,* respondit, *cum STULTO illo ac deliro sene.* Deniq; de semet quasi de alio obloquendo, discedere hominem compulit. Qui postmodum ab indigenis monitus illum ipsùm quocum locutus fuerat Moysen esse, summoperè miratus est virtutem viri. Ecce contemptus laudis & vanæ gloriæ parit gloriam; atverò ut attestatur sapiens: **STULTORUM exaltatio ignominia.**

1. Cor. 3.
18.
Vita PP.

XI. Cadunt deinde venatores illi propriæ lau-

Prov. 3.

dis in multa enormia vitia, è quibus vix unquam emergere possunt. Novem filias vanæ gloriæ enumerat ex S. Gregorio Angelicus Doctor, quæ sunt inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, & novitatum præsumptio. Addit decimam S. Hieronymus, incredulitatem, juxta illud Christi oraculum: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* Unde monet Eustochium Virginem, ne inanis gloriæ ardore capiatur, sed gloriam suam reputet Deum, & recogitet quod Paulus dicebat: *Si hominibus placerem Christi servus non essem.* Ex quo demum elicitur miserabilis calus isq; postremus ambitiosorum, & inanis gloriæ sectatorum, in quos Christus sententiam fert: *Qui se exultat humiliabitur.* Ad quæ verba Lyranus: *Divinæ justitiæ decretum est, ut qui elevantur per superbiam in præsentī vita, deprimantur per pœnam in futuro.* Atq; hinc etiam intelligimus cur S. Chrysofostomus inanem gloriam appellaverit *matrem gehennæ.*

XII. Ut hæc mala, hos casus Giganteos evitemus, libeat sentire cum Venerabili Thoma de Kempis: *Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ tuæ gloriæ comparata vanitas est & STULTITIA.* Imò propter multitudinem curarum, sollicitudinum, inventionum hanc vanitatem indispicendi, quin & malorum eam subsequen- tium, non tantum STULTITIA est, sed & omnis STULTITIÆ EPITOME. Si ergo gloriari delectat in domino gloriemur, quia *Soli Deo gloria*, qui dixit *Gloriam meam alteri non dabo.* Ne defraudemus animas nostras meritis operum si ob humanam gloriam operemur sicut Pha-

S. Hier.
Ep. 22. ad
Eustoch.
Joan. 5.

Lyran. in
Luc.

S. Chry-
sost. in
Ep. ad
Rom.
hom. 9.

Tho. à
Kemp. de
imit. l. 3.
s. 40.

1. Tim. 1.

rifæus, cui *Quod iustitia edificabat, superbia destruebat*. Nos imitati Publicanum dicamus *Deus propitius esto mihi peccatori*. Si quid aliquando intuitu vanæ gloriæ egi, *propitius esto mihi*, si quid titillationis à tam subtili meritorum prædatrice admisi *propitius esto mihi*. Ego enim nihil sum, & si quid sum, id per te sum: si quid ago *non ego sed gratia tua mecum*. Proinde gloria nostra hæc sit *testimonium conscientie nostræ, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis; in gloriam & laudem Dei, cui est gloria in secula seculorum*. Amen.

S. Paulin.
Ep. 58.

2. Cor. 1.
Rom. 8.
18.
Phil. 1.
11.
Heb. 12.
21.

DISCURSUS XIII.

Dominica XI. post Pentecosten.

Superbia Sancta.

T H E M A.

Et apprehendens eum à turba seorsum,
misit digitos suos in auriculas eius.

Marci 7.

S Y N O P S I S.

I. Innatus est homini Societatis
mutue appetitus, & huma-
nos dicimus qui nullius allo-
quium dedignantur. Nibilo-
minus videtur Christus solitu-

dinem preferre Societati, quia
surdum & mutum seorsum à
turba curat: insinuans pra-
vam Societatem ei vitan-
dam qui vult sanus esse, quod
est

est quaedam Superbia Sancta.

II. Deus diligit bonos & malos, vult tamen adhiberi cautelam in delectu Societatis, quia periculosum est tractare que inquinant.

III. In turba omnia ad malum trahunt, & tunc maxime cavendum periculum.

IV. Hinc etiam proborum confortium si adversa secedunt studia vitandum suavit. Hieronymus, & laudavit Superbiam Sanctam, quae dedignatur cum quolibet conversari.

V. Adam in Paradiso peccavit propter Societatem cum Eva, & Eva propter Societatem serpentis. Mala Societas serpit instar cancri.

VI. Fugiendi ergo pariter heretici, & mali Catholici seu peccatores: quia experientia docet nunquam nos redire tam compositos à conversatione, quam exieramus.

VII. Saepè minus periculi nobis imminet à dæmone quam ma-

lis socijs. Iob victor dæmonis, succubuit consortio.

VIII. Christus tentatus à dæmone, constitit in certamine: disputans cum Phariseis, fugit; ostendens malam Societatem peiorem esse dæmone.

IX. Et ipse dæmon cum perse nobis nocere non potest, conatur per malos socios. Petrus expetivit, ut cribraret per ancillas & milites.

X. Solus Dei Filius impunè versatus est inter improbos: nihilominus queritur Deus per Prophetam se coinquatum à malis, ut doceat quam periculosum sit versari cum illis.

XI. Mala Societas est mare Danicum, fons Gothicus in quo omnia durantur in lapidem, ut sine miraculo emolli non possit, quod expertus S. Augustinus.

XII. Qui igitur vult sanari à peccatis Superbia Sancta dedignetur conversari cum impijs, fugiat malam Societatem.

Et apprehendens eum à turba seorsum,
misit digitos suos in auriculas eius.

Marci, 7.

I.



Atura fecit hominem animal sociabile, & nihil æquè sive ad comòdum, sive ad jucunditatem humanæ vitæ, aptius est, vel utilius, quàm mutua societas. Id agnoscens Philolophorum Princeps disertè adstruit: *Nobis quidem insitus est à natura societatis & communionis appetitus, quem qui primus instituit, is optimè de genere hominum meritus est.* Unde humanos censemus qui affabiles & benigni in omnes, nullius dedignantur alloquium, nulli non placabiles, & ad benefaciendum proclives: qualis fuisse laudatur Hadrianus Imperator usque adeo civilis erga humillimos, ut quemlibet facilè ad colloquium admitteret, solitus detestari eos, qui se reprehenderent, quasi Imperatoriæ majestatis oblitum, cum sub prætextu majestatis suavissimam humanitatis voluptatem sibi inviderent. Illos econtra æstimamus inhumanos, tumidos & superbos, qui arroganti supercilio alios despiciunt, se à societate communi segregant, & quoslibet infra se positos contemnere solent. Nihilominus quia ut sapienter decernit Seneca: *Sunt virtutibus vitia confinia, & perditis quoque ac turpibus recti similitudo est.* Problema esse potest num præstet Societati humanæ se committere, & naturali affectui qui congenitus est homini ad hominem indulgere, an potius ab hac segregatum, amare solitudinem, & seipso contentum esse: Videtur Christus in hodierno Evangelio solitudinem præferre societati: nam sanaturus mutum & surdum, apprehendit eum à turba seorsum. Quid obstaculi faciebat tur-

*Arist. lib.
1. de Re-
pub. c. 2.*

*Dion. ap.
Lang.*

*Sen. Epist.
120.*

ba quo minus sanaretur æger? quid impediēbat tanti effectum miraculi? an non alia multa miracula Christus edidit palam inspectante turba? an fortè hoc non erat factum idoneum ad propagandum Evangelium, ad permovendum aut roborandum in fide populum? *seorsum à turba.* Euthymius causam assignat, quia scivit esse aliquos Momos & censores suorum factorum turbæ immixtos: sed tales etiam fuerunt quando alia patravit miracula, & tamen non evitavit turbas *Cognoscens multitudinē quosdam esse immixtos qui reprehenderent.* Chrysostrmus putat ideò fecisse, ut vanam gloriam à nobis vitandam edoceret: *Instruens nos vanam gloriam eijcere & tumorem.* Eodem tendit Theophylactus, sed hæc ratio militaret etiam contra alia miracula, præsertim quando in deserto pavit plura hominum millia stupendo miraculo. Dionysius Carthusianus ait: *Quia turba fuit indigna videre istud miraculum, quoniam forsitan ex curiositate optavit aliquid rarum videre.* Sed quis credat non fuisse turbas curiosas dum alia miracula efficeret? Placet Hugonis Cardinalis in hunc locum cogitatio: *Qui vult sanari à peccatis, debet tumultum mundi evitare, quia corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Vult ergo Christus innuere turbas hominum & promiscuam, ac potissimum pravam societatem debere vitari ab eo, qui vult sanari in anima, qui vult placere Deo; vult innuere non esse humanitatem secundum virtutem, omni se concedere societati, cum omnibus agere & conversari liberè, sed potius prudenter illos agere qui societatem pravam declinant, & quadam **SUPERBIA SANCTA** dedignantur multorum conversationem, quod erit Thema huius discursus.

Euthym.
S. Chry-
sost. in
Caten.

Dion.
Carthusianus
in
Marc.

Hugo
Card. in
Marc.

II. Timon Atheniensis ab odio hominum appellatus Misanthropos, rogatus aliquando cur omnes homines odisset respondit; Merito improbos odi quia improbi sunt: reliquos autem odi quia improbos non oderunt. Nimum factum sapit hæc dictio, quasi solus ipse bonus haberi vellet & improbos odisset: fuerint haud dubie plures alij qui confortium malorum declinarent. Lex Evangelica omne odium humanum proscribit: omnes amari jubet, etiam inimicos: *Diligite inimicos vestros*. Et Deus ipse benefacit non bonis tantum sed & malis: nihilominus in consortio & conversatione magnam vult Deus adhiberi cautelam, ne per assiduum societatem sanæ oves inficiantur à scabiosis. Nunquam tuta est habitatio columbæ cum accipitre; lupi cum agno; cervi cum leone; probi cum improbo. Cum enim natura magis propendeat in vitium, quàm virtutem, facilius boni pervertuntur à malis, quàm mali convertuntur à bonis. S. Chrysostomi effatum hic locum habet: *Rerum natura sic est, ut quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur*. Periculosum est tractare quæ inquinant: adhæret semper aliquid fuliginis ijs qui circa caminos versantur, & Spiritus Sancti oraculum est: *Qui tangit picem inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo induet superbiam*. Imò crediderim facilius esse contrectando picem non contaminari, quàm versari inter improbos, & nihil vitij ab ijs trahere. Nihil facilius in natura corrupta, quàm imbibere mores sociorum pravos, & à morbidis contrahere morbos.

Max. ser
6.

S. Chry-
sost. in
Matth.

Eccl. 12.

III. Monet Seneca: *Tunc precipue in te ipse se-*

Sen. ep. 25.

cede, cum esse cogeris in TURBA, si bonus vir, si quietus si temperans es: alioquin in turbam tibi à te recedendum est; isthic enim malo viro propius es. Novimus naturam nostram, prompta est ad malum, nociva sequitur, honesta fastidit: hinc faciliè sibi adfricat malos mores in malorum societate. Currenti equo calcar addit, qui proclive in mala ingenium committit malis. Non desunt in turba consiliarii, instigatores, hortatores, qui volentes impellat. *Trabunt* (inquit idem Seneca) *parentes, trabunt servi. Nemo errat uni sibi, sed dementia spargit in proximos, accipitque invicem. Erras enim si existimas nobiscum vitia nasci: supervenerunt, ingesta sunt.* Per eos scilicet quibus convivimus, cum quibus conversamur. Unde subjicit infra: *Magna pars sanctitatis est, hortatores insanie reliquisse, & ex isto cœtu invicem noxio abijisse.* Crescit è consortio familiaritas, è familiaritate exemplum; ab exemplo audacia, ab audacia temeritas, à temeritate ruina, ut penè prius multi se in profundum seductos videant, quàm incurrisse periculum animadvertant.

IV. Etiam inter probos subinde versari periculosum, si alios sequuntur mores, quàm quibus assuevimus, ut magna cantela opus sit ubi te ijs admiscueris quos non mala præcipere, sed alia sectari studiaprehendis. Sollicitè monebat S. Hieronymus Eustochium virginitatem professam, ne societatem iniret cum matronis cum conjugatis cœteroquin probis: ne videlicet ab earum conversatione illicium aliquod attraheret mutandi propositi. *Nolo, inquit, habeas consortium matronarum, nolo ad nobilium domos accedas: nolo te frequenter videre, quod contemniens virgo esse voluisti. Disce hac in parte SUPER-*

PERBIAM SANCTAM, scito te illis esse meliorem. Sint tibi sociæ quas jejunia tenuant, quibus pallor in facie est, quas *Etas probavit & vita*. Hæc S. Hieronymus: qui optimè norat inter conjugatos majorem esse verborum licentiam, actionum libertatem, deliciarum usum, quibus facilè casti propositi si non violetur integritas, labefactatur. Quis Salomone sapientior? hunc tamen seduxit mala societas. Adamavit quippe mulieres alienigenas, idololatrias, quarum commercio turpissimè lapsus est in Idololatriam. *Et auerterunt mulieres cor eius. Cumque jam esset senex, depravatatum est cor eius per mulieres ut sequeretur Deos alienos.* Prohibuerat iam olim Deus populo Israëlítico, ne unquam conjungeretur cum Amorrhæis, Chananæis, Hethæis, Perezæis &c. *Cave ne unquam cum habitatoribus terre illius jungas amicitias.* Qua de causâ mi Deus? sunt homines uti & nos, sunt vicini, humanitas postulat cum vicinis humanum esse. *Quæ sint tibi in ruinam* Nempe ab illorum exemplo pravo disceret Israël prævaricari. *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos.*

V. Dic sodes, quando Adam in Paradiso peccavit? quando Eva prohibitum fructum gustavit? nunquid Eva quando confabulari cœpit cum serpente; Adam quando familiarius egit cum uxore? *Mulier quam dedisti mihi SOCIAM, dedit mihi de ligno & comedi. Serpens decepit me & comedi. Quamdiu sola incedebat Eva in Paradiso immunis fuit à peccato, vix colloquium & societatem cum serpente iniit, decepta est: quamdiu Adam non audivit consilium uxoris, non est prævaricatus. Mala so-*

S. Hier.
Ep. 17.
lib. 2. se-
le. ad
Eustoch.

3. Reg. 11.

Exod. 34.

Gen. 3.

S. Chry-
sost. hom.
16. in
Gen.

tietas utrumque perdidit. Rectè in hunc locum Chrysostomus de Eva loquens: *Congruum erat statim, ut ipsa averteretur & fugeret illius consuetudinem, abominareturque illum, qui suam linguam contra datum illis mandatum acuerit audebat. &c. Audiant qui sine discrimine cum omnibus colloquuntur.* Si dedignata fuisset Eva loqui cum serpente ut sibi dissimili & subjecto, & usa fuisset SUPERBIA SANCTA non incurrisset ruinam suam & totius posteritatis. Ab ista ad Adamum, ab Adamo in posteros contagiosum virus fluxit. Hinc Apostolus instruens Timotheum inter cœtera documenta etiam hoc reposuit: *Profana & vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* Pessimum & penè incurabile malum cancer, partem post partem corripit & corrumpit, sic vaniloquia, & cum malis socijs conversatio sensim plures & plures inficere solet, quæ benè observans S. Cyprianus aiebat: *Declinent fortiter & evitent dilectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit. Nulla cum talibus commercia, nulla convivia, nulla colloquia misceantur, simusque ab eis tam separati, quàm sunt illi ab Ecclesia profugi.* Loquitur potissimum de hæreticis cum quibus etiam S. Antonius Abbas non esse conversandum movebat.

1. Tim. 2.

S. Cypri-
an. Ep.
59. ad
Cornel.

VI. Sed non sunt fugiendi soli hæretici: etiam mali Catholici, etiam peccatores, & quicumque sectantur malitiam. Ab omnibus quippe periculum est, & facilè discitur, quod ab aliis exerceri videtur. *Multitudo peccantium peccandi licentiam subministrat.* Inquit S. Hieronymus. Unde sine restrictione monet Ecclesiasticus. *Discede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Arabicus legit: *Ne commiscearis iniquo, &*

S. Hieron.
Ep. 16. l.
2. Sel'ed.
ad Gau-
dent. Eccl.
7.

lon-

longave ab eo. Vifio serpente venenato fugimus, ita prorsus fugiendum à malo consortio: peste infectos averfamur, non nescij contagiosum esse malum, quod è vicinia nocet. Sic *serpiunt vitia, & in proximum quemque transfiliunt, & contactu nocent.* Itaque ut in pestilentia cavendum est ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingenijs dabimus operam, ut quàm minimè inquinatos assumamus. Initium morbi est agris sana miscere. Ait Seneca, proprio non tam periculo quàm damno edoctus quid sit cum malis & improbis conversari. Unde Lucilio quærenti quid maximè cavendum censeret, Turbam inquit & conversationem multorum. *Quid tibi vitandum præcipuè existimem quæris? Turbam.* Et probat suo exemplo. *Nunquam mores quos extuli refero. Aliquid ex eo quod exposui turbatur, aliquid ex his que fugavi, redit. &c. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. &c. Quid me existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior. &c.* Hæc homo Ethnicus, ut videas ipsi rationis lumini contrariam esse malorum conversationem.

VII. Nemo nostrum est qui non summè horreat dæmonem, sed minus ferè periculi nobis imminet à dæmone, quàm à mala sôcietate., Contemplemur Jobum in sterquilinio. Petijt à Deo Sathan & impetravit ut affligeret Job in corpore & facultatibus: percussit illum ulcere pessimo, ut testis faniem raderet, abstulit illi boum armenta, exussit oves & earum pastores, abegit camelos, & eorum custodes occidit, concussit domum in qua filij & filiæ epulabantur, & oppressit eos. *In omnibus his non pec-*

Sen. de
tranquill.
cap. 7.

Sen. Ep.
7.

- Job. 1.* *carvit Job labijs suis, neq; stultum quid contra Deum locutus est.* Sed ubi accesserunt amici consolatores an potius turbatores, ubi cœpit conversari & miscere sermones in illa tandem erupit verba: *Intelligite, quia Deus non equo judicio afflixit me.* Quid ais Job? Deum injustitiæ vis accusare? ubi tua illa prior patientia? ubi illa verba *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.* Nempe in commercio cum turba, cum malis conversando *peccavit in labijs.* Unde recognoscens errorem, & linguæ lapsum iterum ait: *Unum locutus sum, & utinam non dixissem.* Victor contra dæmonem, succubuit in societate malorum, in conversatione amicorum, quia scilicet facilius est resistere dæmoni, quam pravo confortio & malis socijs.
- Job. 19.*
- Job. 1.*
- Job. 39.*

VIII. Christus ipse benedictus cum tentaretur à Dæmone in deserto, & sublatus supra pinnaculum templi, audiret *Mitte te deorsum*, ac rursus ostensis omnibus regnis mundi: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me:* unico verbo machinationem eius dissolvit, & impudentem tentatorem abegit: *Vade Sathana. Tunc reliquit illum diabolus.* Verum cum idem Dominus prædicare inciperet statim post tentationem diaboli venit in Nazareth patriam suam, ibiq; aperto Isaiæ libro explanavit scripturam. *Et omnes testimonium illi dabant & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Nihilominus *repleti sunt omnes in Synagoga ira, & ducebant illum usq; ad supercilium montis, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Cum dæmone luctatus consistit in arena & verbo retundit inimicum: at verò cum Judæis, cum scribis & Pharisæis disputans, fugit potius, quam resistat.

*Matth. 4.**Luc. 4.*

stat transiens per medium illorum ibat. Quæ causa huius fugæ! annon poterat etiam verbo illos cohibere? Nostræ id egit instructioni, ut sciremus magis esse cavendum malorum consortium, quàm ipsum dæmonem. Videtur hanc veritatem attigisse Ven: Beda: dum ait: *Peiores sunt Judæi discipuli diaboli, diabolo magistro: Ille ait mitte te deorsum; isti factio suo mittere conantur; sed illorum mente obstupescita descendit.* Ideò fugit ne malis cohabitaret; ideo se elongat ab eis, nec ulterius dignatur verbis decertare, quia *Peiores sunt Judæi diabolo magistro.*

Beda ap:
D. Thom.

IX. Imò si ipsam dæmonis astutiam accuratius perpendamus, deprehendere licebit, quòd nobis dæmon cum per se nocere non potest, id conetur efficere per malos socios, per malum consortium. Videte Petrum Petram Ecclesiæ, fortem magnanimum, constantem, imperterritum dum Christus interrogat: *Quem dicunt homines esse Filium hominis.* Respondet Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et hoc in societate Christi & Apostolorum. Venit deinde ad aulam Pontificis, commiscet se ministris, & satellitibus, utitur consortio malorum, & negat Christum: *Non novi hominem.* Idq; ad verbum unius fœmellæ. Jactatur apud Germanos proverbium: Quo diabolus pervenire non potest, mittit fœminam. Prædixerat Christus Petro: *Ecce Sathanas expetivit te ut cribraret sicut triticum.* Non habuit tantum animi sathan, ut ipsemet aggrederetur Petrum, ideo cribrare voluit, ut incidere hoc tritici granum in paleas & zizania, cum quibus cribrando subinde etiam aliqua pura grana solent excidere. Cribravit inquam, & dum Petrus in zizania in malorum consortium incidit, per ministros Judaicæ malitiæ per fœminas cadit in ne-

D. Bernar-
dini.
To. 3. ser.
Dom. 3.
Pent.

gationem Christi. Unde de periculo pravæ societa-
tis agens D. Bernardinus inquit: *Exemplum de Pe-
tro qui existens cum Passionis Christi ministris Domi-
num denegavit, & in negando perseveravit: sed ut di-
citur Lucæ 22. Egressus foras flevit amarè.* Non ante
destitit negare Christum, quàm relinqueret malam
societatem in quam inciderat in atrio Principis
Sacerdotum.

S. Am-
brosii in
Psal. 40.

X. Si Petram Ecclesiæ, Principem Apostolo-
rum labefactavit malorum societas, quid nos pote-
rimus nobis polliceri, qui assiduè labimur? Solus
Dei Filius securè versatus est inter improbos &
peccatores, ut non contaminaretur. Unde S. Am-
brosius in persona Patris æterni loquens Christum
affatur: *Inter peccatores versatus es, peccatum pro o-
mnibus factus es, sed nullus usus potuit ad te transire pec-
cati. Ita inter peccatores versatus es, quasi inter Ange-
los versareris.* Nemo hic blandiatur, aut suæ fidat for-
titudini, & putet se id affecuturum de quo Pater æ-
ternus in solo Filio suo gloriatur. Et nihilominus
ut magnitudinem periculi emergentis è pravo con-
fortio nobis ponat ob oculos, ipsè immaculatus, &

Ezech. 22.

*immaculabilis queritur per Prophetam: Polluerunt
Sanctuarium meum, pollutum & mundum non intellexe-
runt, inter sanctum & prophanum non habuerunt distan-
tiam, & coinquinabar in medio eorum.* In quæ verba ex-
clamat S. Bernardinus. *Admirabile verbum & omni
stupore dignum, coinquinabar inquit.* Quis coinquina-
batur? Deus omnis labis expers? Deus qui est *candor
lucis æternæ, & speculum sine macula?* Absit hoc.
Sed voluit his verbis innuere, quàm periculosum sit
versari inter malos absq; contaminatione, quia
mala societas tale virus & venenum est, talis con-
ta-

S. Bernar-
dini cit.
sup. a. 2.
c. 1.

tagio; ut si fieri posset, etiam Deum coinquinaret, ac proinde fugienda hominibus tanquam immedicabile venenum ac pestis. Eo tendit S. Bernardini discursus: *Coinquinabar inquit, non quod ulla inquinatiois via sit inquinamentis ad ipsum Deum; sed quoniam se abstulit ab eis & separavit, & longè fecit, quemadmodum facere consueverunt coinquinari timentes.* Ipse Deus nobis exemplum dat fugiendi mala confortia, & sua fuga nos docet quàm periculosum sit versari inter improbos.

XI. Narrat Albertus Magnus olim arboris ramum cum avibus in extructo nido cubantibus fœvientis procellæ impetu revulsum cecidisse in proximum mare Danicum prope Lubecam, ibique una cum avibus & nido in lapidem induruisse. In Gothia quoque fontem esse qui in lapidem vertat quidquid merferis, quod ut experiretur Fridericus Imperator chirothecam sigillo munitam mediotenus iussit aquæ immergi, quæ extracta post aliquot dies media remansit coriacea, media lapidea. Hoc mare Danicum, hic fons Gothicus est mala societas, cui imersa anima induratur, ut vix aut certè non sine miraculo possit emolliri: Felix quem sicut Petrum respicit Dominus, ut *egressus foras*, ac deserens impios fleat amarè. Deflevit suam ex maiorum consortio haustam malitiam S. Augustinus; utinam imitentur, qui sic delinquent. *Præcepit ibam* (inquit ille) *tanta cecitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos jactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis turpes essent; & libebat facere non solum libidine facti, verum etiam laudis. Ego ne vituperarer vitiosior siebam, & ubi non suberat, quo admissis æquare perditis, fingebam me fecisse*

*Alb. Magni
lib. 1. de
miner. tr.
1. c. 7.*

*S. Aug.
lib. 2.
Conf. c.
3. Sc.*

*que non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocen-
tior, & ne vilior haberer, quo eram castior. Ecce cum
quibus comitibus iter agebam platearum Babylonie &c.
O nimis inimica amicitia, sed vitio mentis, investi-
gabilis ex ludo & joco nocendi aviditas, & alieni damni appe-
titus, nulla lucri mei, nulla ulciscendi libidine: sed cum di-
citur Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem &c.
Sic sæpenumerò invitant focij: Eamus ad convivia,
eamus ad choreas, eamus ad ludos, eamus ad fal-
lendum tempus. O miseri, qui vos Gothico fonti
immergitis propediem habituri cor obduratum. I-
re ad convivia & comotationes, sæpè idem est ac i-
re ad convitia & detractiones. Ubi luditur, ibi sæ-
pè illuditur, ubi tempus inutiliter teritur, ibi lex
Dei proteritur, & anima non conteritur.*

XII. *Quare si volumus sanari à morbis ani-
mæ, uti hodiernus mutus & furdus, illud Hugonis
Cardinalis monitum initio sermonis allatum de-
mittamus in pectus: Qui vult sanari à peccatis debet
tumultum mundi evitare, quia corrumpunt bonos mores
colloquia prava. Hæc est SUPERBIA SANCTA de-
dignari cum improbis commercium habere, ne
contagium allinant; hæc cautela salubris volenti-
bus in virtute proficere, & viam mandatorum Dei
ambulare. Sic & sapiens monet: Fili mi si te lactave-
rint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint veni nobis-
cum &c. Ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semi-
tis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt. Peri-
culosa est mala societas, periculosa conversatio im-
proborum, ut virus insanabile, ut pes-
tis contagiosa, quod corripit,
corrumpit.*

*Prov. 1.
v. 10. &
15. i*

DISCURSUS XIV.

Dominica XII. post Pentecosten.
Medicamentum Compositum.

T H E M A.

Appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum & vinum. Luc. 10.

S Y N O P S I S.

- I.** Samaritanus hodiernus representat Christum Medicum animarum, qui in cura adhibet Medicamenta composita ex severitate & lenitate, cujus artis Theoria omnibus discenda qui presunt.
- II.** Discipuli priusquam didicissent hanc professionem volebant sola severitate uti, ob id à Christo reprehensi.
- III.** Qui licet venerit Ignem mittere in terram ut ardeat, non tamen ut exurat nisi vitia, & simul venit animas salvare. Verbis est minax & asper, factis mansuetus, humilium focians calido, lenes rigido.
- IV.** Cum enim venerit vitam dare que consistit in calido innato & humido radicali, rectè intelligitur simul ignem mittere & salvare animas, id est instar Medici dare pharmaca mixta ex acerbo & suavi.
- V.** Ideo postquam dixit: Ignem veni mittere. Addidit: Baptismo habeo baptizari, quia que calore germinant, humore nutriuntur, alioqui pereunt. Miscenda acerba utilia dulcibus.
- VI.** Sic Deus nobiscum agit, ut cum videtur irasci misereatur; sauciat, & sanat, quod in Angelo ad sepulchrum apparente ostendit. Percussio parentis est dilectio.

IV. Cum enim venerit vitam

VII. Christus Petrum id practicare docuit, quem vix esse. dum ad Pontificatum. statim severe corripuit.

VIII. Et solum illum uti Principem hamo piscari voluit, quo piscis leditur, ut disceret lenitati adiungere etiam rigorem ubi opus est. Idq; moderate & suaviter uti Nathan Davidem reprehendit

IX. Idem debent agere omnes qui presunt, & de nullius salute desperare, quod insinuat Deus Parabola de divite,

quem damnatum & correctionis incapacem nihilominus Abraham appellavit filium.

X. Et hoc docet hodieus Samaritanus qui vulnerati curam suscepit applicando Medicamentum compositum ex oleo lenitatis, & rigore vini.

XI. Quod nisi faciant qui presunt alijs, puniuntur pro alijs, sicut principes Hebræorum peccante populo iussi sunt suspendi. Dabunt rationem Deo qui regunt de sibi commissis si non bene curaverint.

Appropians alligavit vulnera eius infundens oleum & vinum. *Luc. 10.*

I.



Itigent inter se Medici, quæ sit Medicina præstantior ex simplicibus, an ex compositis, & suam quisque propugnet Pharmaceuticam. Ego hodie illi parti accedo, quæ compositis optimè conservari sanitatem & morbos

propelli statuit. Neque enim profanum agere Medicum animus est sed sacrum, cujus illud officium est ut animas curet non corpora, ab his avertat morborum pericula, & symptomata peccatorum amoliat. Exemplar habeo in hodierno Evangelico Samaritano, qui repræsentat Proto-Medicum animarum nostrarum, ut dissert S. Bonaventura: *Persona subveniens ex misericordia, rectè intelligitur Christus quia Samaritanus interpretatur Custos. Ipse*

S. Bonav.
in Luc.

autem est, de quo *Isaias*: *Custos quid de nocte. Hic venit secus vulneratum, quia in similitudinem hominum factus, & in similitudinem carnis peccati adhibuit Medicinam. certè compositam Infundens oleum & vinum.* Hanc à Patre suo didicerat coelestis Medicus, qua ille regit & curat omne humanum genus: miscet contraria, temperat opposita, mitis pariter & severus, amans & irascens, & quadam discordi concordia deducit omnia ad ultimum finem. Ab hoc artem regendi addiscant Principes, artem gubernandi domum addiscant Patresfamilias, artem salvandi animas addiscant Sacerdotes, artem subveniendi proximo addiscant omnes Christiani. Placet itaq; artis huius nobilissimæ Theoriam præsentis discursu paucis exponere, & suadere.

II. Completa triennali prædicatione novæ legis Christus benedictus cum *Jerusalem* ultimo proficisceretur, præmisit nuntios (ut narrat *S. Lucas*) in civitatem *Samarie*, quam erat transiturus, ut diversorium sibi pararent. *Et non receperunt eum Samaritani.* Indignati super hoc discipuli, illicò ad pœnam urbi infligendam intempestivo zelo se accingunt potissimum duo filij tonitru *Jacobus & Joannes*, qui ne præsentem Christo viderentur rem tam arduam suscipere propria authoritate, consensum ab ipso petunt: *Vis dicimus, ut ignis descendat de caelo, & consumat illos:* Unde tanti animi? potestatem iam acceperant patranda miracula, eiciebant dæmonia, sanabant ægrotos; unde pro Magistri sui honore Zelosi, inhumanos Samaritas gravi ultione volunt castigare. Sed quid respondit Christus? *Et conversus increpavit illos dicens: nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perde-*

Luc. 9.

re, sed salvare. Poterant replicare Apostoli, Domine nunquid Phinees laudem meruit, quando Israëlitam cum Moabitide peccantem inin flagranti opere suo pugione transfodit: ut dixerit Deus ad Moysen: *Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis avertit iram meam à filijs Israël, quia zelo meo commotus est contra eos.* Cur ergo nobis pariter non liceat hoc zelo devocare ignem in Samaritas, qui te Filium Dei nolunt recipere. Et Domine nonne tu ipse professus es: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat.* Quando hæctenus hoc effecisti? optima nunc est occasio & adimplendi hoc propositum, & ostendendi tuam potentiam, & in exemplum aliorum castigandi Samaritanos, qui tam inhumane tibi negant hospitium. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Non prætendimus perdere animas, sed fortunas sed domos Samaritanorum, sed corpora. Nonne & Elias divino accensus zelo ignem petijt de cælo qui consumpsit quinquaginta viros, & rursus alios quinquaginta ad se missos: neque tamen de malefacto arguitur. *Vis dicimus ut ignis descendat.* Habete patientiam mei Apostoli. *Nescitis cuius spiritus estis.*

III. Non caret tamen difficultate quomodo hæc duo Christi dicta possint concordari. *Ignem veni mittere, & non veni animas perdere sed salvare.* Nam ignis natura est accendere & consumere, non verò salvare; & hunc sensum videtur Christus intellexisse quia sub alia allegoria loquens alibi dixit: *Non veni pacem mittere sed gladium.* Non minus damni infert ignis quàm gladius. S. Chrysológus hæc dicta versans ipse quoque miratur, & quærit: Ubi est illud *Ecce Agnus Dei*, ubi est illud: *sicut ovis ad occi-*

Num. 25.

Luc. 12.

*S. Pet.
Chrysol.
ser. 164.*

occisionem ductus. Sc. Quid est quod agnus iste tam dure in prædicatione percutit. Quid sic arietat in verbo, qui in passione tanta patientia tacet? Certè tota vita Christi patientia fuit & mansuetudo: nusquam invenio aliquem rigida pœna ab ipso castigatum: tota ipsius severitas intra verba & increpationem stetit. Et quid est quod tantum verbis spargit ignem, quod tanta & talia inflammat & dilatat incendia, dicendo: Ignem veni mittere in terram. Respondet sanctus ducta similitudine ab agro, qui cum est sentibus & tribulis plenus, ut fructum ferat accenditur, & cineribus impinguatur. Addit deinde: Hic cultus non est novus agricolæ veteri & cœlesti, nam legem pangere, gratiam serere, ignis semper operari consuevit. Daturus legem ignem præmisit in rubo, sed divinum rubus portavit non concepit incendium. Quasi diceret: rubus ardens fuit solum figura futuri incendij quod per Spiritum sanctum erat excitaturus Deus in lege gratiæ. Unde concludit: Nunc in arva gentium cum destinaret Apostolos, sic eos igneo imbri persudit, ut possent humecta siccare, sicca infundere, decoquere cruda, frigida calefacere, accendere extincta, comburere noxia. Ut cætera sileam, illa solum verba premo Igneo imbri persudit. Acute dictum. Sed si ignis quomodo imber fusilis, si imber quomodo ignis.

IV. Adeste Physici, peto scire à vobis in quo consistat humana vita. Dicetis cum Aristotele: *Vita est permansio animæ vegetantis cum calore.* Dicetis cum Galeno: *Mors est extinctio caloris naturalis.* Cum verò calor sit quædam qualitas siccitatem causans requirit subiectum in quo aptè recipiatur & possit conservari. Id non potest esse nisi humidum habens annexum frigus quod siccitatem calo-

*Arist. lib.
de vita &
morte
Galen. lib.
2. de tem-
per. c. 2.*

ri tollat, & ipsum calorem temperet ne partes exuriantur, & hoc vocatis humidum radicale. *Itaq; vita consistit in calido innato & humido radicali.* Et in hoc scholæ consentiunt. Applaudo. Jam ergo combinate Christi dicta *Ignem veni mittere in terram. & Non veni animas perdere sed salvare.* & rursus. *Ego veni ut vitam habeant.* Opus igitur est temperamento ad conservandam vitam, opus est calore & humore. Volo dicere in genere moris ad animæ sanitatem requiritur ignis severitatis, & humor lenitatis, ut neq; solus rigor aut severitas perdat animam, neq; sola lenitas & mansuetudo emolliat. *Sic eos igneo imbre perfudit.* Sic vitam conservant Medici, dum frigida calidis, calida frigidis attemperant, contraria contrarijs curant. Fallor nisi huc respexit Basilus, suadens ijs qui præfunt & alios regunt temperamentum ex severitate & lenitate: *Tunc inquit, periti Medici plus de arte cient admirationis, non cum ferro & igne in belli modum vim mali domant, sed cum levibus pharmacis (nimirum COMPOSITIS) affectuæ parti adulantes egrum scitè persanant.*

S. Basil.
orat. 30.

V. Expendamus verò amplius allegatum textum *Ignem veni mittere* subiungit illicò Christus: *Baptismo autem habeo baptizari.* Duo planè disparata imò contraria coniungit: Ignem & aquam. *Cogitanda est talis tam divisa coniunctio.* inquit S. Chrylogus. *Urget unda flammam, multiplicat flamma undam. Que est talis tam concors ista discordia?* Non vult Christus adhibere ignem sine aqua, non aquam sine igne. Nimirum ut ait Sanctus Pater in sua de agricultura permanens allegoria: *Omnia calore germinant, humore nutriuntur.* Hoc vel maximè in morali regimine locum habet. Nec sola severitas aut rigor

S. Chry-
sol. sup.

disciplinæ corrigit errantes, nec sola mansuetudo. *Calore germinant, humore nutriuntur.* Adhibenda est severitas, sed lenitate attemperanda. Consideranda singulorum qui nostræ curæ commissi sunt indoles: alius plus rigoris, alius plus lenitatis requirit: nullus sanatur solo rigore, nullus sola mansuetudine. Perdis animam si alterum sine altero adhibeas, id vel Poëta agnovit, dum caneret:

*Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.*

Ovid.

Diffimulanda multa sunt Prælati, ne assidua increpatione & pœna exasperent subditorum ingenia, ne reddant obstinatos: ne dum volunt solo igne ulcus exurere, inflamment totum corpus: miscenda est lenitas severitati. *Omnia calore germinant, humore nutriuntur.* Unde monebat Chrysofostomus: *Quemadmodum qui perpetuo mitigat in medicando, remissum hominem facit: ita semper asperis uti sermonibus magis exacerbabat hominem. Eoq; bonum est ubiq; moderatis uti nimirum* *Medicinæ Compositæ* præstant simplicibus in regimine, &

S. Chry-
sost. hom.
in cap. 4.
ad Galat.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

VI. Præit nobis exemplo ipse Deus, qui iram suam misericordia temperat: *Cum iratus fueris misericordie recordaberis,* sepulto Christo veniebant ad monumentum mulieres. Et ecce Angelus sedens supra sepulchrum. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix.* Quid commune fulguri cum nivibus? fulguri ignis accensus est, & nix condensatus humor & frigidus. Nempe terror amori miscendus erat: ut simul metuerent iudicem, quem amabant ut Patrem. Id advertit Gregorius: *In fulgure terror timoris est, in nive autem*

Abac. 3.

S. Greg.
hom. 32.
in Evang.

blandimentum candoris. Petulciunt filij qui Patrem solum amant & non timent. Effrænes in vitia facit liberos amor nimius, qui nullo timore attemperatur. Multos perdit indulgentia paterna: multos servat moderata severitas. Unde Bernardus expertissimus huius artis Magister *Paterna vox est, percutiam, & ego sanabo. Non est proinde quod à Patre formides, qui etsi quandoque feriat, nunquam tamen vindicat.* Sit correptio & increpatio moderata, ut in ea reluceat paternus amor, non iracundia, quod facit Deus nos puniendo, semper infra merita: percutit, sed sanat. *Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.*

S. Bern.
serm. 16.
in Cant.

Prov. 3.

VII. Inter Apostolos primum locum obtinuit S. Petrus; unde illi Christus commisit regendam Ecclesiam, Atque ut sciret quomodo oporteat regere, primò illum laudavit, mox reprehendit, & satis severè, ut temperamentum in regimine servandum doceret. Dixerat illi Christus *Beatus es Simon Bar-Jona. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, Et tibi dabo claves regni cælorum.* Quæ sunt planè mellea & consolatoria verba. Modicum temporis intercessit, cum Christus cœpit discipulis ostendere, quod debeat ire Ierosolymam, multa pati, occidi, & tertia die resurgere, quibus auditis Petrus: *Absit à te Domine; non erit tibi hoc.* Et ecce consolationem præmissam vertit Christus in severam increpationem. *Vade post me sathana, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Magnum sanè discrimen inter fundamentum & petram Ecclesiæ, ac sathanam; inter clavigerum cœli & scandalum: nihilominus idem Petrus utrumque à Christo audire debuit, benè agens

Matth. 16.
v. 19.

Ibid. v.
23.

remunerari, malè loquens corripì; ut & ipse sciret deinceps & præesse cœteris Apostolis, & universam regere Ecclesiam. Audite super hoc differentem B. Petrum Damiani: *Salvator noster, qui tanquam mitis agnus apparuit, mox ut Petrus cœli terræque jura commisit protinus eum dura redargutione corripit. Vade post me sathana, quia in hac mortalitate rectè non vivitur, si blandis ac mollibus asperitas non misceatur.* Omnes quamdiu vivimus subjecti sumus infirmitatibus animæ, quibus non conducunt nisi *Medicamenta Composita*, è dulci & amaro, ex melle & felle, ex favore & correptione.

VIII. Et quia Petrus norma est & idea Prælatorum Ecclesiæ meritò ab ipso debent discere, quod ipse didicit, imò facere jussus est à Christo. Munus Apostolicum est captura piscium, Petro data est virga & hamus, cœteris Apostolis retia *Mittite in dextram navigij rete. Laxate retia vestra in capturam.* Atverò ad solum Petrum dixit: *Vade ad mare & mitte hamum:* quia scilicet Petro commissum est regimen, ut sciat non solum leni tractu pisces capere, sed etiam hamo vulnerante, ubi opus est. Id observans Ambrosius: *Benè Apostolica instrumenta piscandi retia, quæ non captos perimunt sed reservant.* Hamos assumere cœteris non mandavit, quia erant Petro subjecti: Unde iterum Ambrosius: *Quo genere solum Petrum piscari Dominus jubet.* Nempe futurum omnium Prælatorum exemplar, ut discant qui præsumunt etiam hamo pisces apprehendere, qui pungit, & vulnerat. Debet enim Prælatus esse non totus melleus, non tantum suavitate mulcere subditos ne insolescant, & disciplinam dissolvant; sed in tempore etiam corripere, increpare, punire.

B. Pet.
Damian.
lib. 7.
Ep. 11.

Joan. 21.
v. 6.
Luc. 5.

S. Ambrosius.
in c.
5. Lucæ.

Sed ipsa increpatio debet esse moderata, ut sicut piscis cum suavi esca hamum recipit, ita subditus cum lenitate admittat correptionem. Nathan Propheta missus ad Davidem tam suavi arte vulnus fecit & sanavit, ut penitentiam à Rege elicuerit. Assumpta similitudine peccatum Davidi exposuit, non contentiosè, non asperè, non insolenter, quod advertit S. Chrysolomus, ubi ait: *O singularem Medici sapientiam! sumpto ferro ingressus est, ut ulcus secet: verum illud minime aproto indicat, ne curationem fastidiat. Occultat illud non sub veste, sed sub fictæ narrationis involucro. Statim enim ingressus, non dixit: O flagitiose! ô profane! ô adulter! ô carnifex! non apertam reprehensionem adhibet, sed obtectum ferrum gerit. Maximum ad emendationem subditorum momentum offert suavitate temperatus rigor Medicamentum Compositum.*

IX. Idem aurei oris orator, alio in loco tacitè insinuat quod Prælati, Superiores, Principes, idem est de Patribusfamilias respectu domesticorum, idem de parentibus respectu liberorum, nunquam debeant de subiectorum emendatione desperare, sed omnem conatum adhibere, modo lenibus modo asperioribus, ut grata quadam mixtura & medicamenti compositione morbis medeantur. Adducit pro exemplo nobis Proto-Medicum animarum nostrarum ipsum Deum, qui volens ostendere nec perditos & obstinatos esse deserendos, quominus quantum in nobis est illis succurramus & medeamur. Apud D. Lucam mortuo Lazaro & deportato in sinum Abrahæ, mortuus est etiam dives & missus in infernum, unde nulla amplius est redemptio. Ciamabat ille ad Abraham: *Mitte Lazarum*

S. Chry-
sost. hom.
iii Psal.
50.

Luc. 16.

ut intingat extremum digiti sui in aquam &c. Quid respondit Abraham? scivit nullum diviti prodesse remedium, nullum superesse refrigerium in ardoribus æternis; nihilominus mansuetè ac leniter illum alloquitur, & quidem Filium vocat: *Fili recordare.* Quæ maior possèt reperiri suavitas? vocare filium qui erat perditus & desperatus? quomodo Filius, cum æternum sit exhæredatus? quomodo filius Abrahæ, si filius gehennæ? Ut quid tam dulcè verbum damnato? Non est amplius capax ullius medicamenti, & tamen attribuit illi suavis appellationis filij medicinam. Nempe ad nostram hoc vocabulo usus est instructionem, ut qui præsumt, ne quidem desperatos despiciant, sed quamdiu licet medicinam exhibeant. Quod communiter Medici solent ægrotis usq; ad extremum halitum tentando remedia. Unde in persona Abrahæ Chrysologus: *Voco Filium, ut intelligas judicij esse quod pateris, non furoris: voco filium ut in me mea patientia, & in te tua maneat pœna.* O mitem verè judicem, qui cum judicialiter punit paterni nominis non obliviscitur! *Voco Filium ut intelligas judicij esse quod pateris.* O verè patientem, & compatiensem Medicum, qui curam eius non dimittit, cui scit non profuturam medicinam.

*Chrysol.
ser. 123.*

X. Quid aliud nos docuit hodiernus Samaritanus, qui hominem vulneratum in via offendens, & *Appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum & vinum.* Præterierat Sacerdos, & viso illo nihil adhibuit medicinæ, præteribat Levita, & similiter jacentem reliquit, fortè quia frustranea credebant futura pharmaca tam graviter læso, certè quia non satis erant memores charitatis fraternæ. Venit

Samaritanus, miseretur, videt jacentem in sanguine, viribus destitutum semimortuum : non desperat de sanitate ; facit quod suadet charitas, ne desit suo muneri, & humanitati in hominem. *Infundens oleum & vinum* : quorum hoc severitatis, illud lenitatis Symbolum est. Hoc ex mente S. Gregorij : *Per vinum mordeantur vulnera, per oleum forveantur. Miscenda est lenitas cum severitate : sit rigor, sed non exasperans : sit zelus sed non immoderatè sæviens : sit pietas, sed non plus quàm expedit parcens.* Et hanc temperaturam in curandis moribus, & morbis animæ exercent omnes qui alijs præsumt tam Ecclesiastici quàm seculares, Magistratus in urbibus, parentes in educatione liberorum, Patresfamilias in gubernatione familiæ, quia ab omnibus his requirit aliquando Deus animas eorum qui defectu huius **MEDICAMENTI COMPOSITI** pereunt.

Num. 25.

XI. Peccaverant Hebræi, ut legimus, in lib. Numerorum, Idola adorantes *Initiatusque est Israël Beelphegor. Et iratus Dominus ait ad Moysen : Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis* Mirabile mandatum ! Peccat populus, & principes luunt. Cur non plectuntur illi qui deliquerant ? An forte verum est illud.

Hoyat.
lib. 1.
Ep. 2.

Quidquid delirant Reges plectuntur Achivi.

B. Pet.
Dam, lib.
4. Ep. 15.

Nimirum Principum & superiorum erat peccata corrigere, & matura applicare medicamenta : quod dum non faciunt se reos constituunt alienæ culpæ. Unde Petrus Damiani in hunc locum : *Quid est quod populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum Præpositis judicatur ? Subditi delinquant & eorum Principes in patibulis suspenduntur ? scilicet alius est qui peccat, alius qui vapulat. Cur hoc ? quia culpa subditorum*

rum

*rum in præpositorum redundat opprobrium, & quod ab omnibus erratur, negligentie Pastoris adscribitur. Peccant Heli Sacerdotis filij indisciplinati, & Heli punitur, de cuius alio delicto non constat, nisi quia non corripuit malè agentes, non adhibuit illis MEDICAMENTUM COMPOSITUM ex lenitate & severitate. Sola severitas perdit animas. Sola lenitas perdit animas. Utrumq; in tempore adhibendum est. Non est amor sed odium lenitas absq; severitate. Unde optabat Psalter Regius: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* In quæ verba S. Augustinus: *Emendabit me justus in misericordia, & arguet me. Malle se dicit veraci misericordis austeritate contemni, quàm deceptoria laude fallentis extolli.* Oleum castigantis, oleum Medici periti infudentis simul vinum est salubre MEDICAMENTUM COMPOSITUM, ut sæpè sæpius probatum est.*

S. Aug.
Ep. 255.
ad Macrob.



DISCURSUS XV.

Dominica XIII. post Pentecosten.

Memnonis Statua.

T H E M A.

Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum. *Luc. 17.*

S Y N O P S I S.

- I.* Representat statua Memnonis que solem orientem saluabat suavi concentu, eos qui gratias Deo agunt pro beneficijs, & rursus gemunt nova postulantes.
- II.* Hanc viam ad salutem mentis & corporis ostendit David monens offerri Deo sacrificium laudis.
- III.* Idque faciendum ut monet Paulus semper & in omnibus tam prosperis quam aduersis: imò & pro gehenna, que metu nos coërcet à peccatis.
- IV.* Sic optabat David gratias agere Tota die, quasi diceret per totius diei beneficijs, imò
- V.* Licet enim Deo nihil accedat ex nostra gratiarum actione, hanc tamen vult pro nostro bono, ut non sumus ingrati, & ut copiosiora mereamur dona.
- VI.* Hec Dei voluntas elucet ex multiplicatione panum in deserto, que facta est postquam Christus gratias egit, & remanserunt duodecim cophini pro memoria qua fideles ad gratiarum actionem stimulantur, & non essent ingrati, quia nihil pejus ingrato.
- VII.* Idem ostenditur in bodiernis
- Et totius vite: cum hoc sit gratius Deo quam quodcumque sacrificium.*

nis leprosis curatis, quorum unus tantum gratias egit, & per hoc peregit sacrificium, non obligatus ad aliud, recepitque præter sanitatem corporis, etiam anime.

VIII. Et hoc est quod sanctos semper fecit sollicitos, ut gratias agerent pro beneficijs, nec essent ingrati: sicut Jacob qui vidit Angelos ascendentes & descendentes per scalam; ideoque timuit & properavit erecto altari gratias agere, similiter Joseph abhorruit a peccato, ne Deo & suo Domino ingratus esset.

IX. Facile nobis hoc persuade-

bimus si effectus ingratitude expenderit, quia perdunt salutem, qui non offerunt sacrificium laudis; uti expertus est Ezechias, ideo egrotans quia non egerat gratias pro victoria.

X. Nec pretendere in hoc possumus ullam molestiam, quia laus Dei cantus est, & solo corde potest perfici, quod potissimum laudabile in erumnis; unde multi SS. in tormentis Deo gratias egerunt quorum exemplo & nos in omnibus agamus Deo gratias.

Unus autem ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum. *Luc. 17.*

I.

Effusissima sunt Dei in nos beneficia, quæ licet nunquam possimus rependere, assiduam tamen merentur laudem, & jugem gratiarum actionem. Tanta tamen humanum genus occupat ingratitude, ut illico nos acceptorum oblivio capiat: Ut inter decem vix unus reperiat gratias Deo. Manifestum hoc reddit hodierna Evangelica narratio. Decem à lepra mundati sunt, & novem obliti acceptæ à Christo gratiæ abierunt: *Unus autem ut vidit quia mundatus est, re-*

Plin. lib. 36. c. 7.

Lucia. in
Philo-
pseudo.
Pier. Va-
ler. lib.
52. fin.

gressus est cum magna voce magnificans Deum. Occurrit hic memoriæ celebris illa apud Ægyptios in templo Serapidis marmorea MEMNONIS STATUA, in quam ferunt Memnonem Ducem ab Achille occisum fuisse transmutatam. Hæc tanto artificio elaborata fuit, ut quàm primum Sol oriens radijs suis eius os & labra attingeret, illicò in suave melos veluti cithara solveretur, vocaliq; significatione solem adesse testaretur. Nihil dubito in eodem templo Serapidis plures fuisse Deorum & Heroum statuas, de nulla tamen memoratur, hæc mirabilis salutatio orientis solis, & quod æquè mirum est, lugubris planctus occumbentis. Nimirum sideris benefici præsentem gratiam velut laudis cantico celebrabat hæc statua, absentem verò dolens ingemiscebat. Quod nobis incitamento esse possit, ut acceptorum à Deo Donorum memores offeramus illi cum Propheta, *Sacrificium laudis*, & gratiarum actiones, utq; porrò alijs efficiamur digni, gemamus, ploremus, iteremus preces & gratiarum petitione novum ortum beneficiorum expectemus, potissimum verò pro acceptis grati, hodiernum imitemur Samaritanum, de quo Titus Bostrensis: *Samaritanus solus ad Salvatorem reversus gratiam agnovit, & gratiarum retulit actiones sanitatem stabilens, ne sortè inquiring propter ingratitude[m] recidivam patiar.* Gratiæ itaq; pro beneficijs agendæ sunt Deo, ne summum ingratitude[m] vitium incurramus, sed animam ad nova recipienda dona præparemus, quod erit Thema præsentis discursus.

Tit. Bostren in
cap. 1.
Luc.

Psal. 49.

II. Ad obtinendam animæ corporisq; salutem ostensurus David viam canebat *Immola Deo sacrificium laudis*, & in fine eiusdem Psalms. *Sacrificium laudis*

dis honorificabit me : Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Divino honori & cultui jam inde ab orbis exordio oblata esse sacrificia nemo ignorat. Abel & Cain protoparentum nostrorum filij sacrificia obtulisse leguntur, quæ processu temporis eorum posteris, etiam ex legis præcepto continuarunt. Mactabantur victimæ, Tauri, hirci, arietes, quæ omnia per novam legem sublata sunt, quia signa tantum erant veri sacrificij, quo Deus à nobis coli voluit, unde dicit Propheta sub persona Synagogæ, ut ait Bruno Astensis : *Sacrificium laudis honorabit me, Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Quale hoc sacrificium ? *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregebibus tuis hircos,* ut ibidem ait Psaltes. Sed Hoc est illud sacrificium de quo dicitur : *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est vitulos laborum consentientium nomini eius.* Vulgata versio pro voce *vitulos*, reponit *fructum*, ut sensus sit, nostrum sacrificium debere esse fructum laborum, gratiarum actionem, quæ gratior Deo est quàm oblatio vitulorum. Unde in hunc locum Hugo Cardinalis : *Offeramus hostiam laudis semper Deo, quasi dicat : illi offerant vitulos, nos offeramus gratiarum actionem.*

III. Notanda est illa particula in verbis S. Pauli, *semper offeramus hostiam laudis semper*, quàm alio in loco ita expressit *In omnibus gratias agentes.* Sunt enim qui gratias agunt Deo quando consequuntur beneficium & de eius continuatione non agunt gratias : sunt item qui gratias agunt pro lætis ac prosperis : adversitates verò non recensent inter beneficia cum sæpè sint majora beneficia quàm prosperitas. Ad hoc nos commonefacit S. Chrysostomus : *Æquè est laudandus Deus, Et cum punit, Et*

Bruno Astensis. in
Psal. 49.
ad Hebræos.
13.

Hugo
Card. in
Ep. ad
Hebr.

1. Thess. 5.

S. Chry-
sost. in
Psal. 148.

*sum à supplicio eximit : utraq̃ue enim sunt curationis , utraq̃ue bonitatis. Et sæpè plus adversa quàm prospera nos impellunt ad servitium Dei , ad consequendam salutem. Sunt item qui gratias agunt Deo pro solis specialibus beneficijs suæ personæ concessis , non autem pro communibus , quæ etiam reliquos concernunt ; sed Apostolus ait : *In omnibus gratias agite.* Creavit Deus cœlum , terram , & in his plurimas creaturas non uni tantum sed omnibus servientes : confert quotidie toti mundo ingentia beneficia , augendo , producendo nova , & conservando ; confert integris Provincijs , communitatibus , urbibus , dum defendit ab hostibus , donat fertilitate , custodit à tempestatibus , eruit à periculis : *In omnibus gratias agite.* Adeò quidem ut S. Chryso- stomus etiam pro pœnis quas Deus immittit in sceleratos , & pro ipsa quòque gehenna gratias agendas esse doceat. Nam gehenna est condita non solum in pœnam damnatorum , sed etiam in terrorem peccatorum , ut eius consideratione ab offensâ Dei deterriti , & resipiscant à sceleribus , & excitentur ad observantiam legum & præceptorum. Unde ait : Chryso- stomus : *Oportet ergo equè eum laudare , & quod posuerit Adam in Paradiso , & quod eum expulerit : & gratias agere non solum pro regno , sed etiam pro gehenna. Eam enim fecit , & minatus est , ut à vitio liberaret.* Quid prodest nobis expulsus à Paradiso Adamus ? multum fanè , quia agnoscimus in hoc Dei justitiam , simul & misericordiam , qui dum punivit peccantem non annihilavit merentem , sed per labores & ærumnas traducturum vitam & propagaturum posteros , voluit nihilominus ad beatitudinem æternam perducere , cuius exemplo & posteri disce-*

rent,

S. Chry-
sost. cit.

rent, non tantum timere Deum Judicem severum, sed etiam benignum parentem venerari.

IV. Optabat David posse tota die gratias agere Deo cum canebat: *Tota die repleatur os meum laude.* Mi David ubi hoc Deus à te exigit ut aliud non agas quàm ipsum laudes? Regem te constituit super Israël, magna tibi cura incumbit, sollicitum te esse oportet pro populis: *Tota die* inquit, David *repleatur os meum laude*: imò tota vita, quæ ex diebus constat: quia invenimus beneficia innumera Dei, quæ tota die & tota vita nobis confert: agam ergo gratias pro tota die & tota vita, licet non orem tota die, conabor gratus esse pro acceptis tota die & tota vita. Huc videtur respexisse S. Augustinus: *Quid est tota die, id est sine intermissione? laudare in prosperis quia consolaris; in adversis, quia corrigis: antequam essem quia fecisti me; cum essem quia salutem dedisti; cum peccassem quia ignoravisti; cum conversus essem, quia adjuvisti: cum perseverassem, quia coronasti.* Qui sic Deum laudat licet non laudet tota die, laudat tamen sine intermissione, nullum intermittendo beneficium, pro quo non satagat gratus esse. Et hac laude Psaltes Regius optabat impleri os suum, quàm alibi sacrificium laudis nominabat, quia scilicet hoc Deus à nobis petit loco sacrificij. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Multò magis honorificat Deum Gratiarum actio, quàm quæcunque victimæ oblatio. *Quantum* (inquit Philo) *aurum præstat lapidibus, tantum acceptior est suffitus gratiarum actionis, quàm mattata victima.*

V. Subit hic quærere: cur Deus gratiarum actione delectetur; quid enim illi conferre potest mea laus, mea oratio, mea gratiarum actio? nullus

Psal. 70.

*S. Aug. in
Psal. 70.*

*Philo lib:
de offe-
rent. vid.*

lius ipse eget, ex se beatus est, & quidquid ego sum ab ipso sum, & sine ipso nihil sum: quid ergo meam laudem & gratiarum actionem anhelat? Vis scire? nostro id bono agit: vult nos virtutem gratitudinis docere, vult nova ob id conferre beneficia: anhelat ergo ad beneficentiæ sibi propriæ continuationem, & ideò vult laudes & gratiarum actiones, ut earum intuitu rursus beneficiat; & dona donis cumulet. Enavigaverat justus Noë diluvij immanes fluctus, & egressus ex Arca (ut narrat sacer historicus) illico extruxit aram, & obtulit holocausta, agens gratias pro incolumitate & conservatione octo personarum: *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Adeò placuit Deo hæc gratiarum actio, ut beneficia collata Noë novis beneficijs cumulare pollicitus sit. Nam ait: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* Ante cataclysmum laudatur Noë & salvatur à perditione cum solis octo animabus, quia erat *vir justus*: atverò post cataclysmum, quando gratias agit Deo pro beneficio conservationis, non ipse tantum sed universum futurum genus hominum à maledictione liberum futurum pronuntiatur: quod est longè maius beneficium priore. Hoc sensu differebat Chrysostomus: *Quia fidem habuit, & cum gratiarum actione suam in arca habitationem tulit, iterum divina dona copiose illi concessa sunt.* Quali diceret pro adversitate gratias agendo nova dona obtinuit. Pergit verò S. Pater: *Cum egressus ex arca, & in pristinum statum restitutus esset: statim benedictionem consecutus est: & iterum solitam præsetulit gratitudinem, factaq; gratiarum actione, etiam tunc maioribus beneficijs divina gratia ipsum cumularit.* Ecce quid operetur *gratiarum actio*: maiora bene-

Gen. 8.

S. Chry-
sost. in
Gen. hom.
26.

bene-

beneficia : atq; ut hoc exemplo nos ad *gratiarum actionem* extimulet addit aureum os: *Mos enim divinæ misericordiæ est, ut si nos tenua quædam, & vilia obtulerimus, multa liberalitate nos remuneret.* Et demum concludit post pauca: *Hanc ipsam in sermonibus gratiarum actionem exigit; non quod ea ipse opus habeat, sed ut nos doceat gratos esse, & agnoscere tantorum bonorum suppeditationem.* Ut nos doceat inquit gratos esse, non sui causa sed nostri, quia nihil inde ad Deum utilitatis vel commodi derivatur, sed nobis accrescunt dona, & gratiæ, si gratias illi agamus.

VI. Multiplicaverat Christus panes in deserto turbæ esurienti magno miraculo & beneficio: Saturatis omnibus, ex reliquijs impleti sunt duodecim cophini fragmentorum, quæ iussit Christus colligi. *Colligite fragmenta ne pereant.* Quid opus erat ita multiplicare panes, ut remanerent duodecim cophini pleni de reliquijs panum? Annon idèò multiplicavit Christus panes ut saturaretur turba? Cum ergo satiata est turba, & agnovit ingens miraculum, ad quid erat futurum reliquum quo tunc nullus indigeret? Duo hic relucent mysteria, primum est effectus gratiarum actionis, quia antequam Christus panes multiplicaret *gratias egit*: ut ergo constaret discipulis & turbæ quantum operetur gratiarum actio: supersunt duodecim cophini, ut appareat Deum dare pro gratiarum actione non tantum necessaria, sed etiam superflua. Hæc fuit mens Franconis Abbatis: *Tanta autem post gratiarum actionem secuta est ubertas benedictionis, ut de paucis panibus tot millibus satiatis, fragmenta quæ supersuerunt duodecim cophinos exuberarent.* Alterum mysterium in hoc latet, ut remaneret penes discipulos

Marci. 6.

Franco.
Abb. To.
10 Bibl.
pp.

S. Bern.
serm. 51.
in Cant.

& turbam memoria beneficij, & ad gratiarum actionem motivum, Unde dixit Christus: *Colligite fragmenta ne pereant.* Advertit hoc Bernardus, unde monet: *Nulla Dei dona debita gratiarum actione frustrentur. Non grandia, non mediocria, non pusilla. Jubemur colligere fragmenta ne pereant, id est nec minima Dei beneficia oblivisci. Nunquid non verit, quod donatur ingrato? Sed cui obsecro perit? illine qui dat, an qui accipit? Danti videtur perire sive det grato sive ingrato: accipienti vero est utile bonum, sive sit gratus sive ingratus. Omnino apud ingratum perit, quia est semen quod projicitur in saxum & arenam, nec ullum fructum affert gratiarum actionis, memoriae, compensationis. Propterea Seneca cum dixisset de ingrato: *Quod in hoc perdidit, ab alijs recipiam.* Et quasi vellet exprimere divinam beneficentiam, quae etiam ingratis confertur, addit: *Huic ipsi ingrato beneficium dabo iterum: Et tanquam bonus agricola cura cultique sterilitatem soli vincam. Non est magni animi dare Et perdere: hoc est magni animi perdere Et dare.* Ita sane qui dat beneficium sperans gratitudinem, si haec non sequatur, dat & perdit: qui vero scit se perdidisse dando, & perditurum dando, ac nihilominus dat, hic est magni animi, quia perdit & iterum dat. Hoc nobiscum facit Deus. Ne igitur simus ingrati, ne vitio turpissimo ingratitude nos coedemus. Etenim Bernardo teste: *Nihil ita displicet Deo in filijs gratiae, quemadmodum ingratitude.* Et memoratus Seneca ingratos omnibus alijs sceleratis postponit: *Erunt homicidiae, Tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores: infra ista omnia ingratus est. Et. Hoc tu cave tanquam maximum crimen**

Senec. de
Benef. lib.
7. c. 32.

S. Bern.
serm. 2.
de 7. pan.

Sen. de
Benef. lib.
1. c. 10.

men ne admittas. Quin & Publius Mimūs, & ante hunc Menander canebat :

Publ.
Mim.
Menand.

Nil homine terra pejus ingrato gerit.

Itaque quod Deus à nobis exigit gratiarum actionem beneficijs, nobis benè vult, tum quia per gratiarum actionem vult nos mereri nova beneficia, tum quia vult gravissimum ingratitude criminis à nobis amoliri. *Colligite fragmenta ne pereant.*

VII. Utramque hanc Doctrinam simul nobis exhibet hodiernum Evangelium. Decem leprosi curantur, unus gratus revertitur & gratias agit *magna voce magnificans Deum*, novem ingrati recepta sanitate abscedunt immemores gratitudinis. Sed ni solam corporis receperunt sanitatem, ille novis beneficijs est cumulatus à Christo; nam etiam animæ sanitatem recepit: *Fides tua te salvum fecit*: & laus à Christo illi data omnibus gentibus prædicatur, manetque ejus memoria in benedictione. Hic verè obtulit Deo *Sacrificium laudis*, nec opus habuit offerre munus quod lex præcipiebat in templo, quia præ omnibus munere & victima, & sacrificio placuit Christo gratitudo, & gratiarum actio, id observante Tertuliano: *Unum illum solum ex decem memorem divine gratie Samaritem miratus Dominus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis jam obtulerat, gloriam reddens Deo.* Sicut ergo ingratitude maximum est vitium, ut paulò ante dicebam, sic viceversa gratiarum actio. Maxima virtus, magis accepta Deo, quam sacrificium, quod aliàs erat summus actus religionis. Quare meritò interrogat Christus: *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* per quod innuit tantam esse multitudinem ingratorum, ut respectu gratorum no-

Tertull. in
Levir. c.
14.

vem comparentur ad unum; tam paucos esse beneficiorum acceptorum memores, ut inter multos vix unus sit, qui gratias Deo referat: usque adeo inter homines ingratitude invaluit.

VIII. Atq; hoc est quod summè semper timerunt sancti ne eo accepta dona invenirentur ingrati. Spectaverat Patriarcha Jacob Angelos descendentes & ascendentes per scalam, cœlum mediante scala coniunctum terræ. Discussò somno expavit erumpens in illa verba: *Quàm terribilis est locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli.* Putarem mi bone Jacob quod convenientius diceret: *Quàm amabilis est locus iste.* Quid enim non amabile quod cœli formam refert? quid non amabile, ubi Angeli ultro citroq; meant? & tu oppositum dicis: *Quàm terribilis est locus iste.* Num fortè Angeli tibi apparuerunt armati flammeo atq; versatili gladio, qualis Cherub ille positus ad custodiam Paradisi? Minimè. Quid ergo locum appellas terribilem? Nempe ubi ingens à Deo beneficium acceperat, ibi magnum gratitudinis debitum se contraxisse intellexit; & quantum amavit Dominum exhibitorem gratiæ, tantum metuit vindicem ingratitude si non correspondeat debita gratiarum actione. Ideò properat ad sacrificium laudis, ad erigendum altare, ad constituendum memoriale accepti beneficii: *Surgens ergo mane tulit lapidem, quem posuerat capiti suo, & erexit in Titulum, fundens oleum desuper.* In quæ opportunè Chrysostomus: *Stupescens justus propter magnam misericordiam Dei timuit, & dixit: Non est hic nisi domus Dei. &c. Justum fuerit ut debitam hic gratiarum actionem Domino reddam & offeram.* Cur timeret misericordiam, nisi propter

Gen. 28.

S. Chry-
sost. hom.
54. in
Gen.

pter periculum incurrendæ magnæ ingratitudeis? Josephum adolescentem ad turpe facinus allicebat Putipharis uxor, sed prudentissimus adolescens memor acceptorum à Deo pariter & Domino suo beneficiorum, ne ingratus existeret, summè à facinore abhorrens inquit: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid babeat in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* quasi diceret; accepi multa beneficia à Putiphare meo Domino, accepi multa à Deo meo, quomodo possum in alterutrum vel in utrumq; sine maxima ingratitudeis noxa delinquere? *Quomodo?* ut sim duobus simul ingratus? *Quomodo?* ut perdam omnia beneficia, & incapax efficiar deinceps donorum Dei? *Quomodo possum?* Poterat illa obgannire: si velis, potes, At Joseph *quomodo possum?* Beneficia Domini mei sunt vincula, quæ me ipsi arctissimè colligant: gratiæ acceptæ à Deo sunt catenæ adamantinæ quibus adhæreo & affixus sum Deo, qui tale nefas execratur. *Pulchra ratio* (ait S. Ambrosius ad hunc textum) *quod beneficijs Domini non deberet esse ingratus.* O quoties nos tentat Mundus, tentat Caro, tentat Dæmon, ut ad illicita pedem proferamus, ut transgrediamur legem divinam. Tunc, tunc Josephi simus, recordemur divinarum gratiarum, quas à principio nostri esse ad id usq; tempus recepimus: & dicamus: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* qui me creavit ex nihilo, qui me redemit suo sanguine, qui me conservat, qui me alimentat, qui mihi paratus est dare æternam mercedem, *Quomodo possum?* Illi illi obstrictus, obligatus, concatenatus sum, qui omne

malum detestatur. *Quomodo possum ab illo avelli, nisi per summam ingratitudinem.*

IX. Et verò id faciliè præstabimus, si attentè expenderit tum obligationem nostram quàm contraximus ex beneficijs, tum effectus ingratitudinis. *Ingratitudo* (ait S. Laurentius Justinianus) *Asperdit aggregatas cum sudore maximo spirituales divitias, obstruit contra se ostium divine bonitatis, & misericordiarum; Dei exsiccat fontem, & Charismatum cœlestium communicatione se privat.* Symbolyzant cum his quæ promit Augustinus: *Ingratitudo est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans & uvens omne bonum, obstruens fontem misericordie.* Manum porrigit S. Bernardus, qui eadem repetit, & alias: *Ingratitudo est hostis gratie, & inimica salutis.* Ipsam salutem perdunt, qui negligunt de acceptis gratias agere, qui intermittunt canere cum Psalte *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Expertus id Ezechias, qui cum ingentem de Assyriis reportasset victoriam Deo gratias non egit: unde *Ægrotavit usq; ad mortem.* Morbi causam inquirens S. Hieronymus ait: *Tradunt Hebræi ideò ægrotasse Ezechiam, quoniam post auditam victoriam Judæorum, & Assyrij Regis interitum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso.* Qui ergo desiderat salutem sive corporis sive animæ Deo gratias agat pro acceptis beneficijs, & caveat ingratitudinem.

X. Non est quod hic conqueramur de molestia, de difficultate operis: nihil facilius, quàm dicere DEO GRATIAS. Cantando hoc perficitur: non sentit laborem qui cantat. In gratiarum actione

S. Laur.
Justin. lib.
de humil.
cap. 15.

S. Aug. in
Soliloq.

S. Bern.
serm. 52.
& Cant.
& serm. 1.
de 7. mi-
seric.

2. Paral.
32. & I-
sai. c. 38.

S. Hieron.
in Isai.
c. 38.

one solus animus & pia voluntas sufficit : non petit Deus ut te abneges , ut jejunes , ut des eleemosynam , ut castiges corpus , ut contemptui haberi velis , sed hoc solo contentus est , ut pro accepto beneficio ex corde & bono affectu dicas DEO GRATIAS. Hoc cantu & Psalmidia, hoc sacrificio laudis delectabatur Beatissima Virgo Deipara, quæ ne unquam Deum laudare cessaret , illud semper in ore habuisse fertur (teste S. Bonaventura) & identidem repetiisse DEO GRATIAS. Divus Cyprianus accepta mortis sententia, solum dixit : DEO GRATIAS , & caput securi subdidit. S. Thelica fortissimus Martyr dum unguis laceratur , hoc ipsum ingeminat : DEO GRTIAS. S. Euplius Martyr suspensus ad collum Evangelio cum capite plecti deberet , sæpius iteravit : DEO GRATIAS. S. Bonifacius Martyr mirabiliter conversus inter sævissima tormenta sæpius repetijt DEO GRATIAS. Beatus Servulus à prima ætate ad finem vitæ plurimis annis paralyti in lecto detentus , hoc hymno assidue dolores sibi temperabat : DEO GRATIAS. Idem egit S. Clara per viginti octo annos morbo intabescens. S. Theophilus ferro iugulum præbens : *GRATIAS ago tibi Christe.* Et S. Laurentius in craticula : *GRATIAS ago tibi Domine JESU.* Inter tres ordines Deo acceptissimorum hominum reposuit Abbas Joseph Thebæus , agentes DEO GRATIAS. *Tres ordines , inquit sunt honorabiles in conspectu Domini. Primus est quando infirmatur, & adjiciuntur ei tentationes, & eum GRATIARUM ACTIONE suscipit eas.* Intellexit hanc veritatem peritissimus interioris hominis Magister Joannes Avila , ut non dubitayerit asserere : *Plus valet unum DEO*

S. Bonav.
vita Chri.

c. 33.

Baron ad
an. 261e

Annal.

Idem Ba-

ron. ad

an. 303.

Metaphr.

Sur. in

Vita.

S. Greg

lib. 4.

Dial. c.

14.

Rosoveyd
in vita.

Vita PP.

lib. 4. li-

bell. 1.

n. 9.

DEO GRATIAS in ærumnis. & doloribus, quam sex millia in rebus prosperis, & bona valetudine. Et magnus quidam senex in Eremo infirmanti discipulo hoc dedit documentum: *Summa religio est, ut in infirmitate quis GRATIAS agat DEO.* Cum his & multis alijs nos quoque imitantes hodiernum Samaritanum demus laudem Deo, in prosperis æque ac adversis, in publicis æquè ac privatis *In omnibus GRTIAS agentes*, in omnibus immolantes sacrificium laudis, millies repetamus: *DEO GRATIAS:* memores illius egregiæ sententiæ S. Augustini: *Quid melius & animo geramus, & ore preamamus, & calamo exprimamus, quam DEO GRATIAS? hoc nec dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. DEO GRATIAS.*

Vite PP.
lib. 7. cap.
19. n. 6.

S. Aug.
Ep. 77. ad
Aurel.



DISCURSUS XVI.

Dominica XIV. post Pentecosten.

Philomela Concertans.

T H E M A.

Respicite volatilia cœli. Nonne vos magis pluris estis illis? *Matth. 6.*

S Y N O P S I S.

- I. Ut pro acceptis beneficijs gratissimus insinuat Christus exemplo volatilium, que pronunt possunt gratitudinem exercere.
- II. Primas inter hæc tenet Philomela, que cantu concertat cum sui similibus, & docet juniores, cujus imitatione & magni æque ac parvi, liberi & discipuli grati esse debent ijs à quibus accipiunt beneficia.
- III. Sic Alphonsus Rex, sic Alexander M. sic Augustus Cæsar noluerunt beneficijs vinci sed rependere accepta.
- IV. Sic subditi concertare debent gratitudine cum superioribus, Magistratibus, Dominis. *Part II.*
- V. Et filij parentibus, de quibus dubium an possint ex æquo grati esse. Conari saltem debent, uti Alphonsus Rex Aragonum.
- VI. Ciconia id illos docere debet, que senio confectos parentes fovet; uti Æneas, & filia que carceratos parentes suis uberibus sustentarunt.
- VII. Discipuli quoque Magistris, gratitudinem debent, qualem, Alexander M. & Aristoteles, & M. Antonius, & Gratianus Augustus, aliique retulerunt.
- VIII. Omnes denique à quocunque beneficijs affecti, ut plura

volatilia præeunt, Aquile præsertim, quarum una trivivatori vitam servavit, altera præcipitato Aristomeni se supposuit, ut sine offensione in scrobem caderet.

IX. Ipse adeò Corvus aliqui symbolum Ingratitudinis proponitur Ingratis ut ab eo quasi pœnitentiam discant, quia Nemo ingratus compensavit

Elie & Paulo eremite ministrando panem.

X. Fringille, Grues idem docent, ut homo erubescat si benefactori suo gratus non sit.

XI. Unde cum ingratus sit deterior fera, enitendum ut quam gratissimos nos exhibeamus ijs qui nobis benefaciunt.

Respicite volatilia cœli. Nonne vos magis pluris estis illis. *Matth. 6.*

I.

Beneficia qui præstat, ut vicēversa recipiat mercatorem agit & usurarium. Per se honestum est benefacere, & cum ab alio acceperis, per se quoq; honestum est gratitudinem exhibere. Demereris nomen benefici, si inde remunerationem expectas, unde beneficium te præstitisse existimas. Apud Juristas *Donatio remuneratoria non est propriè donatio*, igitur & donatio facta causa remunerationis. Et contractus illi *Do, ut des; do ut facias; facio, ut des; facio ut facias*: vocantur contractus innominati, quasi non mereantur nomen, quia sunt mutux usuræ. Nihilominus etsi benefactor non debeat quærere ex beneficio lucrum aut vicariam remunerationem, accipientis debitum est ob acceptum beneficium gratum esse. Deus nullo non momento congerit in nos beneficia, nec potest à nobis ullam expectare remunerationem;

l. Aquilius ff. de donat.

nem ; nostri tamen muneris est pro gratijs & beneficijs rependere *gratias*, & conari exercere gratitudinem eo modo quo possumus. Id nobis in hodierno Evangelio Christus insinuat cum ad aves & volatilia cœli nos ablegat, ut illis instructoribus non tam nimiam sollicitudinem de rebus temporalibus deponamus, quàm ut discamus pro beneficijs & quotidianis alimentis gratias agere. Sic quippe ad hunc textum ratiocinatur S. Ambrosius : *Respicite volatilia cœli. Aves ergo propter viles escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pascaris, & ingratus es ? Quis igitur non erubescat sensum hominis habens, sine Psalmorum celebritate diem claudere, & eius gloriam non versus dulcedine personare, cuius laudem volucres modulata cantilenâ pronuntiant ?* De gratitudine erga Deum superiore sermone egimus : hodie libet differere de gratitudine erga homines, & juxta monitum Christi aves pro exemplo proponere, ut ipsæ nos doceant quomodo erga benefactores nostros gerere nos debeamus. Et cum sit magna inter aves & homines disparitas, vel hinc confundantur ingrati, si minus præstent quàm aves. Itaq; *Respicite volatilia cœli. Nonne vos magis pluris estis illis.*

S. Ambros.
in cap. 1.
Malach.

II. Inter canoras aves faciliè primatum obtinet *Philomela*, cuius cantum accuratissimè describit Plinius, & vocat *dignam miratu avem*. *Primum tanta vox in tam parvo corpusculo, tam pertinax Spiritus. Deinde in una perfecta musicæ scientia modulatus editur sonus, & nunc continuo Spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato : interdum & secum ipse murmurat : plenus, gravis, acutus, creber, extensus, ubi visum est vibrans :*

Plin. lib.
10. c. 29.

summus, medius, imus: breviterq; omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tiliarum tormentis ars hominum excogitavit. &c. CERTANT inter se palamq; animosa contentio est. Victa morte finit sæpè vitam, Spiritu prius deficiente, quàm cantu. Meditantur aliæ juniores, versusq; quos imitentur accipiunt. Audit discipula intentione magna & reddit, vicibusq; reticent. Intellegitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio. Dum lego CERTANTES, dum lego JUNIORES, dum lego DISCIPULAS, gratitudinem mihi imaginor æqualium in æquales, minorum in maiores, liberorum in parentes, discipulorum in Magistros. O quàm insigne CERTAMEN est cum quis accepto beneficio à magno viro, conatur pro viribus se gratum exhibere obsequijs, servitijs, aut saltem si aliter nequit, grata accepti memoriâ! quàm egregiè CERTANT inter se amici, ne mutuis officijs alter alteri cedat: Filij, ut parentibus, discipuli at Magistris suis gratum animum exhibeant. Sed neq; Magnates ab hoc CERTAMINE exempti.

*Panormit.
lib. de ge-
stis Alp.
Cæl. Rho-
dig. l. 7.
c. 28. ant.
leB.*

III. De Alphonso Rege Aragonum memorat Panormitanus quod à nullo unquam passus sit se vinci gratitudinis officio. Idem de se gloriari solebat Alexander Magnus. Et est hæc virtus dignissima Principe, ut benefacta remuneret, nec patitur sibi exprobrari quod in privatis & humilibus personis turpe est, gratias non retulisse. Unde reprehendit nonnemo quorundam magnatum probrosum vitium, quod à quibus acceperunt beneficia, ne grati esse cogantur, neque tamen videantur ingrati, illis imputant crimina, à quibus absolvi est loco compensationis. *Nolunt aliqui libertatem*

suam

suam cuiquam fieri obnoxiam, sed artes querunt, quibus se ab obligatione liberos efficiant. Apud illos plus potest minima quedam offensio, quàm maxima collata illis beneficia. Gratitude affectus onus videtur, vindicta verò bilem exonerat. Qui eiusmodi sunt utuntur Beneficijs tanquam floribus, tamdiu gratis, quamdiu recentibus: Magni animi est nolle vinci. Unde Augustus egregio facinore se veterano militi gratum exhibuit. Vocatus in jus miles periclitabatur; adit Cæsarem, rogat, ut sibi velit adesse, Cæsar electum è comitatu virum dedit, eique litigatorem commendavit. Hic miles vociferans: At non ego Cæsar, periclitante te Actiaco bello Vicarium quæsivi, sed pro te ipse pugnavi, simulque detexit cicatrices. Erubuit ad hæc Cæsar, atque ipse descendit in advocationem, veritus ne & superbus, & ingratus videretur. *In referenda gratia debemus imitari agros fertiles, qui plus multo adserunt quàm acceperunt.* Inquit Cicero. Quod vel maximè decet magnos respectu inferiorum, ut eos ad laudabile CERTAMEN provocent, suisque beneficijs moveant ad alacrius præstanda plura & majora obsequia.

IV. *Respicite volatilia Cæli.* Vos etiam minores, ut fitis grati majoribus, Principibus, Magistratibus, Dominis, qui pro vobis dies noctesque vigilant, & solliciti sunt, De *Philomela* commentus est Poëta, quod Boream fugiens & mare transvolatura dorso Delphini infederit, qui eius cantus suavitate delinitus, innocens animalculum securè ad portum deportaverit. Principes & Magistratus suos subditos portant in dorso, defendunt in periculis, supportant eorum infirmitatem, contra hostes tutantur: dignum est ut gratitudinis officio illis

Saaved.
Symb. 4.
ap. Juon.
Paris Di-
gest. Sap.
To. 4. f.
52.

Sueton. ap.
Man. A-
popht.

Cic. lib. 1.
de offic.

Philipp.
Epiqr.
Autbol.
40. Cassin.
Symb. lib.
6.

*Plut. in
Moral.*

correspondeant subditi, & quod voce non satis possunt, obedientia & fidelitate compensent. *Qui in eadem webuntur navi* (ait Plutarchus) *& in iisdem militant tentorijs, sese mutuo ferant oportet: sic qui in Republica.* Magistratus vigilantia & boni publici cura, subditi obsequio & æquanimitate invicem **CONCERTENT.** Felix illa civitas, & Communitas, in qua tale **CERTAMEN** est, quia facile vincit in **CERTAMINE** contra hostes. Rogatus Solon quomodo civitas in optimo statu degeret, respondisse fertur: Si cives quidem Magistratui obediant, Magistratus verò legibus. Unde Archidamas aiebat Spartam feliciter regi, quod ibi Magistratum imperio cives, potestati legum ultro se submitterent Magistratus: quod est **CERTARE** de obsequio. Gratus est suo Principi subditus, qui recta jubenti obtemperat, & non minus sollicitus est ut obsequia cumulet, quàm Princeps ut eum favoribus prosequatur. Sic **CERTAVIT** Augustus Imperator cum Cinna perduelli, quem in secreto detectæ Conspirationis arguens recepit in gratiam, inquit; *Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia; CONTENTAMUS* utrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas. Ingratissimus futurus erat Cinna si iterum rebellaret.

*Lycosib. de
Clement.*

V. *Respiciite volatilia cœli*, etiam Filij parentibus titulo gratitudinis obligati, quàm licet omni contentione persequemini, vix assequemini. Sapiens Seneca movet quæstionem: *An aliquando liberi maiora beneficia dare parentibus suis possint, quàm acceperint?* Et cum in utramq; partem fuscè disservisset, eo tandem progreditur, ut suadeat, sperare posse liberos, si multa & magna beneficia rependant pro

*Sen. lib. 3.
de Benef.
c. 29.*

ijs quæ acceperunt à parentibus, fore ut eos vincant beneficijs ; & rationem assignat : *Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia cum vincendi spe venerit. Id si patribus idem volentibus contigerit, unde CERTAMEN tam optabile, unde tantam felicitatem parentibus, ut fateantur se ipsos filiorum Beneficijs impares ? Nisi hoc ita judicemus, excusationē damus liberis, & illos segniore ad referendam gratiam facimus, quibus stimulos adijcere debemus, & dicere : Hoc agite optimi juvenes, proposita est inter parentes ac liberos honesta CONTENTIO, dederint maiora, an receperint. Non desunt tam pulchro CERTAMINI duces. &c.* Atq; ut recensitos nonnullos à Seneca præteream, provocare nos debent ad imitationem Christianorum exempla. Alphonsus Rex Aragonum ægro patri lectica vecto factus obvius ex equo desiliit, paratus etiam suis humeris eum tollere si aliter deportari non possēt, pedes lecticam comitatus est, nec Procerum exemplo qui equites latera stipabant moveri potuit, ut ipse quoq; conscenderet equum. *Alij ò Pater (inquiens) ipsi viderint, quid ad se attineat; ego verò adduci nunquam potero, quia Regem, quia Patrem, eumq; ægrotum pedibus sequar.* Toletanus quispiam aurifaber à Petro Rege Castellæ ob falsas suspiciones ad mortem damnatus erat. Filius amore paterno compulsus precibus & lacrymis tamdiu institit, ut ipse pro patre occumberet, quod & impetravit. Duorum fratrum mira in parentes pietas apud Catanenses celebratur. Hi Ætna latè quondam incendijs grassante, parentes senio confectos, patrem alter, alter matrem humeris sustulerunt, ut periculo eriperent. Cumq; pressi pio onere tardius progredierentur, ut à sequacibus ignibus urgerentur nihil

Ibid. c. 35

*Panormiti
lib. 2. c.
28. de
reb. Al-
phons.*

*Fulgos.
lib. 5. cap.
4.*

de pietate intermiserunt. Res mira ! flammæ illis propinquæ se per medium secuerunt, donec illi transirent, quæ postmodum nihilominus coierunt, *Nulla vi Verborum* (ait iterum Seneca) *nulla ingenij facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile, quamq; nunquam à memoria hominum exiturum, posse hoc dicere : Parentibus meis parui, cessi ; imperio eorum si ve æquum si ve iniquum fuit obsequentem submissumq; me præbui, ad hoc unum contumax fui, ne beneficijs vincerer. CERTATE* obsecro vos, *Et fusi quoq; restituite aciem. Felices qui vicerint, felices qui vincuntur.* Sic solent vinci & vincere PHILOMELÆ. *CERTANT* inter se, palamq; animosa contentio est.

VI. *Respicite volatilia cæli.* Si canoram Philomelam voce & gratiarum actione imitari detrectas, factò saltem imitare etiam alitem Ciconiam, quæ educata à parentibus ijs vicem reddit cum fenuerint ; collocat quippe eos in suo nido, veteres penas extrahit, ut novæ succrescant, alimenta ministrat, & calore fovet : De his Hugo Victorinus : *Quantum temporis impenderint fortibus educandis, tantum Et ipse invicem à pullis suis aluntur.* Et Hugo Cardinalis : *Parentes decrepitos pascit, sed parens prius eam educavit.* Unde occasione desumpta Scipio Bargalius volens exprimere gratitudinem liberorum in parentes, pinxit duas juvenes ciconias, quæ fovebant & alimentabant seniores, adjecto lemmate : *PAR PARIREFERUNT.* Et in idem collimans D. Salvator Caraduccius Canonicus Lateranensis pinxit Ciconias juvenes, quæ portabant in dorso senes parentes, desumpto lemmate ex Æneide : *Non gravat iste labor.* Hæc pietate Æneas patrem Anchisem, alij alios sublevarunt. Illa multis sæculis celebrantur quod

Senec. cit.
cap. 38.

Cæsar Ripa in Iconol.

Hugo Vi-
dor. lib. 1.
de best.
cap. 42.

Hugo Car-
din. in E-
pi. 2.

Cor. cap.

13.

Scip. Bar-
gal. ap.
Picinell.

Mund.

Symb.

Saluat.

Caraduces

ap. eund.

Æneid. 2.

quod filiae altera patrem altera matrem in carceribus, ubi fame perituri erant, longo tempore inviventes suo lacte praebitis ad sugendum uberibus paverint. Romae C. Quinctio & M. Acilio Coss. matrem ingenuam ad capitale supplicium damnatam invisens filia deprehensa est ubere suo lactasse, teste Plinio. *Ignobilis puerpera supplicij causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum à Janitore semper excussa ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo matris salus donata filiae pietati est, & ambae perpetuis alimentis. Et locus ille eidem consecratus est Deae, Templo pietatis extructo in illius carceris sede.* Alia item filia apud Valerium Maximum Cimonem patrem custodiam traditum, jam ultimae senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit. Quis neget has CERTASSE cum parentibus uter alteri plus deberet?

Plin. lib.
7. cap. 37.

Valer.
Max. lib.
5. c. 4.

VII. *Respiciite volatilia caeli.* Vos quoque discipuli ut vestris grati sitis Praeceptoribus & Magistris. Ut ait Philosophorum Princeps: *Magistris, Dijs, & parentibus, non potest reddi equivalens*: non tamen praetermittendum est omne officium si par vel aequivalens referri non potest. Inter *Philomelas*: *Audit DISCIPULA intentione magna & reddit*: Quasi vicem referens *CONCERTANDO*. Experius hoc ipse Aristoteles in suo discipulo Alexandro Magno, qui ita suspexit Praeceptorem suum, ut tanti faceret & pluris quam parentem, quia huius beneficio habuit (ut ipse solebat dicere) quod viveret, illius verò quod honestè viveret. Idem Aristoteles Platonem Magistrum eo loco habuit, ut aram in templo ei dicaret, statuamque eius subscripserit: Hunc esse illum quem probi omnes merito debe-

Arist. lib.
9. Ethic.

Plut. in
Alex.

Crimin. ap.
Beyl.

*Capitol.
in Vit.
cap. 3.*

aut imitari, & commendare. M. Antoninus, teste Capitolino: *Tantum honoris Magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in lavario haberet, ac sepulchra eorum aditu, hostijs, floribus semper honoraret.* Cum Junio Rustico Stoicæ disciplinæ omnia communicavit publica privataq; consilia, cui etiam ante Præfectos Prætorio semper osculum dedit. Gratianus Augustus Aufonium Burdegalensem Præceptorem suum Consulem creavit hæc ad eum rescribens:

*Sigon. lib.
8. Imp.
Occid.*

Consilium meum ad Deum retuli, eius auctoritati obsequutus, te Consulem designavi, declaravi, & priorem nuncupavi, trabeam palmatam tibi misi, in qua Divus Constantius pater noster intextus est. Solvi quod debui, & adhuc debeo quod solvi. Cum Dionysius Platoni diceret: *Aliquis auferet tibi caput:* aditans Præceptor Xenocrates: *non prius, inquit, quam istud;* suum caput ostendens. Crito Atheniensis scripsit defensionem Socratis, gratus suo Magistro discipulus. Quid ista congero? Magnum sæpè discipulus Magistro præstiterit beneficium, si non noceat, vel impediatur ne alij noceant. *Audit Discipula intentione magna & reddit.* Videor mihi audire unam similem

*Laërt. lib.
4. cap. 2.*

Suidas.

*Sen. de
Benef. lib.
6. c. 16.*

PHILOMELAM CONCERTANTEM, quæ grata voce reddit quod acceperat. *Præceptor Sollicitus assedit* (inquit Seneca) *ad suspecta tempora occurrit. Nullum ministerium oneri illi, nullum fastidio fuit. Sc. In docendo & laborem, & tedium tulit, præter illa, quæ præcipientibus in Commune dicuntur, aliqua instillavit, ac tradidit: hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desiderium. Sc. Ingratus sim, nisi illum inter gravissimas necessitudines diligo.* Apud Hebræos Thalmudici præcipiunt, ut est apud Novarinum: *Assurgendum Magistro*

Atro quàm lungè videri potest. & Quicumq; coram Magistro suo non stat impius vocatur, vitam suam decurtat, & doctrine obliviscitur.

Novar.
Sched.

VIII. *Respiciite volatilia cœli.* Omnes qui beneficia à quocūque recipitis, ut reddatis. Non eo quidem conferuntur ut reddantur, sed nostrum est reddere, quia collatæ sunt. *Qui beneficium dat, quid proponit?* Quærit Seneca, & respondet: *Prodesse ei cui dat. Non enim sibi invicem aliquid reddi voluit, aut non fuit beneficium sed negotiatio.* Ingratus tamen erit qui nihil reddiderit, & ne memoriam quidem retinuerit. Ad antidora quisque naturaliter obligatur, ut tradunt leges. Iphis animalibus ratione carentibus hoc insitum est. Et ne recedamus à volucribus cœli, quæ nobis universim hodie commonstrat Christus: Meminit Plinius Aquilæ miram gratitudinem exhibentis Virgini à qua fuerat educata. *Est, inquit, percelebris apud Seston urbem Aquilæ gloria: educatam à virgine, retulisse gratiam; aves, mox deinde venatus aggerentem. Defuncta postremò in rogam accensum eius insecisse sese, & simul conflagrassè.* Magis admiranda est alterius Aquilæ gratitudo de qua Ælianus narrat. Decem & sex viri frumentum in area tritabant in maximis solis ardoribus. Mittunt sitibundi unum è suo numero, ut aquam de proximo hauriret fonte: habebat is in manu messoriam falcem, & in humeris situlam gestabat. Ubi ad fontem venit, videt ibi Aquilam cum serpente luctantem, & ab eo iam iam strangulandam. Arrepta ergo falce serpentem dissecat, & Aquilam periculo liberat: haurit deinde aquam & defert focijs, qui avidissimè bibunt: ipse verò ultimò bibiturus erat. Circumvolabat interim Aquila, & cum videret servatorem

Sen. lib. 2.
de benef.
c. 31.

L. 25. §.
Consuluit.
ff. de pe-
tit hared.

Plin. l. 10.
c. 5.

Ælian.
lib. 17. c.
37. de a-
nimal.
Crates
Pergam.
lib. 5.

suum admoveere labris poculum, repente involavit in poculum ut potio effunderetur. Ille quod graviter sitiret indignatus, ait: Hancne gratiam tuo conservatori refers? Dum hæc loquitur sitibundus, convertit se ad socios, & videt ex venenata potione palpitantes, extremum efflare Spiritum. Serpens ut conijcere licebat veneno fontem imbuerat.

Itaq; redemptionis præmium, ei qui se conseruasset Aquilam cum pari salute compensavit. Gratæ pro beneficijs Aquilæ; illa verò spontè misericors de qua Pausanias. Fortè Spartani Aristomenem virum justissimum in præaltam foveam Ceaden dictam injustè præcipitem egerant. *Advolasse Aquilam dicunt quæ cadentis corpus passis alis subiens, ita illum liberauerit, ut omni ex parte illæsus, ad eius barathri ima delatus fuerit.* Hæc agunt quæ carent ratione, & homo rationalis creatura sæpe est *homini lupus*, cum deberet viceversa esse *homo homini Deus!* Beneficia libenter, citò, & copiosa accipimus, reddimus, gratiam illibenter, tardè, parcè, & sæpè nullam. Et hæc fuit prima legum condendarum occasio, ut observavit Polybius. *Legum, inquit, & Juris cuiq; præscribendi initium fuit tum filiorum in parentes, cum beneficio affectorum in benefactores manifesta ingratitude, ab omnibus hominibus communi voce damnata.* Nempe novis vinculis opus erat, quibus natura satis non erat. Solo naturæ instinctu sunt gratæ bestię.

IX. *Respicite volatilia cæli.* In omni penè tam quadrupedum quàm reptilium genere signa gratitudinis deprehenduntur, sed ego sisto in volatilibus cæli, & ijs qui beneficiorum immemores, vel nihil pro ijs reddunt, vel reddere differunt, vel planè malum pro bono reddunt. *Corvum* exhibeo In-

gra-

Pausan.
lib. 4.

Polyb. lib.
6.

gratitudinis Symbolum. *Respicite*, Paulus Arefius describens Ingratum pingit Corvum marinum, de quo refert Olaus Magnus quod ubi supra herbas vel frondes confederit, conspurcando eas arefacit, ob id ingratitude vitio notatus. Ferunt etiam Corvos ingratos esse suis parentibus. Quos senio confectos vocant, non uti Ciconiæ sovent, sed habemus in sacris literis delineatam Corvi ingratitude. Noë finito diluvio emisit Corvum ceu speculatorem, qui licet una cum cæteris volatilibus in arca durante diluvio habuerit alimenta, non est tamen reversus ad arcam, quod habet speciem ingratitude. Sed cur ego ingratis Corvum monstro? an ut ab eo discant ingratitude, & porrò pergant beneficiorum oblivisci? vel ea procrastinare & differre corvina voce CRAS CRAS? Non ideo; sed ut vel à Corvo ratione carente discant expiare, & (ut ita dicam) pœnitentiam agere de ingratitude. Nostis quod Eliæ Prophetæ corvus servierit deferendo panem, & idem Paulo primo Eremitæ multis annis alimentum attulerit, cur non potius columba, cur non Aquila, aut alia nobilior avis? cur voluit Deus ut hoc præstaret Corvus mali ominis, & rapax animal? nempe ut compensaret, quod in servitio Noë exhibendo quasi deliquerat, & quam debebat uni gratitudinem, alteri exhiberet. Non est hæc mea intentio, sed S. Augustini, qui ita factur: *Corvis ministerium Prophetæ præcipitur, ut culpam quam in diluvio commiserat, purgare illa avis videretur; dum fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens ac fallax fuerat Noë*. Ita si quis in vitium ingratitude incidit, si non ut, *Philomela Concertavit* cum benefactore, saltem ut Corvus concertet, purgand

Aref. lib. 6. Imp. 178. Olaus Magnus lib. 19. c. 25. e

S. Aug. de mirab. script. lib. 2. c. 25.

do culpam quam admisit, & quod neglexit studeat compensare.

X. *Respicite volatilia cæli.* Adhuc se jungunt PHILOMELÆ nostræ, aliæ volucres officiosæ, & pro acceptis beneficijs gratæ, quæ merito & ingratos homines confundant, & ad pulcherrimæ virtutis Gratiitudinis officium excitent. Non adduco autem fringillam cuius meminit Camerarius, quod alluefacta dimitti consueverit ex cavea, & alijs aviculis in aëre volitantibus se commiscere, easque ad suam caveam adducere ut caperentur, *Videtur autem* (inquit ille) *nutritio suo eam gratiam referre voluisse, ut prædam nonnunquam seu compensationis sustentationis præstitæ redderet.* Non adduco Gruem Hispani militis apud Busbequium, quæ nutritio suo maxima ostendebat amoris indicia, euntem ubique comitabatur, demulceri se patiebatur, stanti adstabat: Accipitrem accipite pro exemplo, de quo plures memorant, quod in regionibus frigidis capiat sibi alias aves (passeres nonnulli existimant) calidioris naturæ, quas nocte in nido retinet ut earum calore foveatur, & sequenti mane licet jejunos & famelicus, tamen velut beneficij accepti memor, liberis dimittat. Exclamare nunc libet cum S. Ambrosio: *Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ impertite alimonie servant memoriam, tu non servas salutis acceptæ.*

XI. Quare magni æquæ ac parvi, æquales pariter & conditione diversi si respiciant volatilia cæli, meritò eorum exemplo ad gratitudinem excitari debent, memores quod inter ipsos & feras magnum naturæ discrimen intercedat; *Nonne vos ma-*

*Camer. p.
2. hor.
succif. c.
81.*

*Busbeq.
Ep. 3.*

*Beyl.
Theat. lit.
G. Graf.*

*Picinell. l.
4. symb.
num. 287.
Lud. Granat
symb.
p. 1. c. 17.
S. Ambr.
Hexaom.
lib. 6. c. 4*

gis pluris estis illis? Unde Æneas Sylvius ingratos non quibuscunq; feris sed immanibus comparat. Scio non esse homines, sed atroces immanesq; feras, qui non his semper afficiuntur à quibus beneficia receperunt. Utiq; immanes feræ, cum nonnullæ mitiores feræ gratitudinem exercent. Econtra verò *Quid honestius quàm gratum esse?* ait Seneca. Dicamus & nos cum illo: *Omnia facienda sunt, ut quàm gratissimi simus: nostrum enim in hoc bonum &c. Virtutum omnium pretium in ipsis est. Non enim exercentur ad præmium: rectè facti fecisse merces est. Gratus sum, non ut alius mihi libentius præstet, priori irritatus exemplo, sed ut rem jucundissimam ac pulcherrimam faciam. Gratus sum, non quia expedit, sed quia juvat.* Et quidem si ingratum memori benefactor beneficiorum magnitudine coëgerit, non ero tamen prorsus ingratus, si gratitudinis officijs **CONCERTAVERO.** In hoc mutuum officiorum **CERTAMINE** utrumq; gloriosum est vinci & vincere: quod de Philomela, sive verum sive ingeniosè excogitatum cecinit quondam Favianus Strada, & alij post illum. Ferunt enim citharædum sub frondosa arbore consedisse, & attemperatis chordis suave melos fallendo temporis exorsum, cum id audiens è vicino nido advolavit Philomela, & *par pari* referre ausa, quidquid citharædus luderet, arguto sono imitata est. Delectatus hoc **CERTAMINE** citharædus, aliud & aliud iterabat melos, & illa aliud & aliud pertinax imitatrix respondebat. Exhausto demum lapsa spiritu, cum ille chordas ferire non desineret, mortua supra citharam concidit.

Maxima victricis præmia victa tulit.

Nam cadit in pletrum, dignum sortita sepulchrum

Non potuit tumulo nobiliore frui.

*Æn. sylv.
Epist. 98.*

*Sen. de
Benef. lib.
4. c. 19.*

*Sen. Ep.
81.*

*Engelgr.
Cæli P. I.*

*S. Am-
bros. in
cap. I.
Malach.*

Sic nos Principibus, parentibus, Magistris, superi-
oribus, amicis & quibuscunq; beneficia nobis con-
ferentibus grati sumus, quoad vivimus, Deo impri-
mis, *cuius laudem volucres modulata cantilena pronun-
tiant.* Amen.



DISCURSUS XVII.

Dominica XV. post Pentecosten.

Horologium Achaz.

T H E M A.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus
matris suæ. Et ait: Adolescens ti-
bi dico surge, *Luc. 7.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|---|--|
| <p><i>I. Licet tempus elapsum irrevocabile sit, possunt nihilominus senes juventutis suæ annos reparare, & reinvenescere si velint.</i></p> | <p><i>ciunt in vanitate nec computantur pro vita, sicut Semelis suo inscripsit sepulchro septem solos vitæ annos reputans quibus vivit ab aula liber.</i></p> |
| <p><i>II. Designatur hoc in Horologio Achaz, in quo sol retrocedendo umbram proiecit decem gradibus, quia probi recuperant tempus elapsum, & Deus illis vitam prorogat, impijs abbreviat.</i></p> | <p><i>IV. Achaz improbus perdidit decem gradus, quos recuperavit probus Ezechias, cui etiam opponere licet Anastasium Imperatorem ante tempus sublatum. Conservandum tempus, ut diutius vivamus.</i></p> |
| <p><i>III. Unde impiorum dies desi-</i></p> | <p><i>V. Sed temporiperdæ solliciti-
tan-</i></p> |

tantim sunt, ut tempus prætereat, hinc fit quod sepe moriatur Puer centum annorum, senex villosus. Qualis fuit Saul, cui duo tantum anni regni computantur.

VI. Quibus ergo multum temporis deperditum est, recuperare licet per virtutem, quia virtuose vivere est bis vivere: nec refert quot annos exigas, si modo ex virtute vivas, tunc enim explevisti tempora multa.

VII. Daniel juvenculus canos sensus habuit, dum senes proci Susannæ repuerascebant: ubi festinat virtus non expectatur ætas.

VIII. Serpens senex reparat sibi juventutem, item S. A.

quila: homines rejuvenescere voluit docere Medea, sed arte fallaci. Verior ars est per virtutem induendo novum hominem.

IX. Artem hanc licet discere à Phœnice, quæ è suis cineribus reviviscit, sic homo divini amoris incendio flagrans damnata præterita novâ vitâ compensare potest.

X. Hoc monebat Paulus, hoc SS. Patres, sic Martyres brevi tempore compensarunt quod longo neglexerant, hoc Christus hodie in clamat omnibus sub persona Adolescentis: Tibi dico surge in novitatem vitæ, si multum neglexisti Festina.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Et ait: Adolescens tibi dico surge. *Luca. 7.*

I.

Lapsum pridem tempus revocari, vel futurum anticipari posse qui dicat, ænigma videatur loqui & Sphingem agere. Quid enim fugacius tempore, quid jacturæ irrecuperabili magis obnoxium? Divitias perditas, honores ablatos labore & industria rursum recipere novum non est, sed diem quæ ante 30. an-

nos elapsa est recuperare hoc videtur omnem transcendere potentiam.

Nec quæ præterijt cursu revocabitur unda :

Nec quæ præterijt HORA redire potest :

Canebat olim Poëta exul. Quid rogo est Tempus? dicet Aristoteles: *Est numerus motus secundum prius & posterius.* Quod prius fuit non est amplius, quod futurum est, nondum est. Dividitur annus in menses, menses in hebdomadas, hebdomadæ in dies, dies in HORAS, HORÆ in momenta. Et quid tandem est momentum? *prius & posterius*, id quod fuit, & quod nondum est: *Dum syllabas loquor, si duas syllabas dicam, altera non sonat, nisi cum alia transferit. Ipsa deniq; una syllaba, si duas literas habeat, non sonat posterior litera, nisi prior abierit.* inquit Ven. Blofius Lætiensis Abbas. Et quis ista tam diversâ, tam fugacia valeat connectere in unum præsens? quis sperare audeat se quod dudum præterijt revocaturum? Certè si hoc homini concessum est, etiam facile fuerit senibus revocare annos præteritos adolescentiæ, & decrepitis reiuvenescere. Ita profectò nec impossibile est, nec fabulosum revocare *Tempus* præteritum, revocare in extremo senio annos transactæ adolescentiæ, non minus quàm in hodierno Evangelio possibile fuit Christo ad vitam revocare defunctum adolescentem. *Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.* qui cum audisset à Christo *Adolescens tibi dico surge*, illico surrexit, & cœpit porro vivere. In hoc adolescente vult signari Hugo Cardinalis senes peccatores, qui per peccatum annos suos perdunt, ut in grandæva ætate possint vocari adolescentes. Anni quippe in vitio consumpti computari non debent. Unde ait Hugo

Ovid. 3.
de Arte.

Arist. 4.
Physic.

Blof. Pfy.
chag. lib.
2. c. 17.

causam assignans cur Christus adolescentem expressè voluerit nominare cum illum resuscitaret ad vitam: *Ut ostendatur quod peccator per peccatum fit adolescens. Renovabitur ut aquilæ juvenus tua.* Quasi diceret, peccator inveteratus & senio confectus potest renovari ut Aquila, potest recuperare annos adolescentiæ suæ. Quod qua ratione in praxi fieri possit, erit thema præsentis discursus.

II. Ægrotabat ad mortem probissimus Rex Juda Ezechias, impij Achaz filius, & petijt à Deo vitæ prolongationem. Annuit votis Deus, & ut eum assècuraret, mittit Isaiam Prophetam, qui illi signum prorogatæ vitæ exhibeat. Observabat Isaias in aula Regis *Horologium* solare quod Achaz pater ad distinguendas diei HORAS erexerat: ad hoc igitur intendens digitum: *Vis, inquit, ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus.* Ezechias ut tanto securior sit promissi, vult manifestum miraculum, unde ait: *Facile est umbram decrescere decem lineis; neque hoc volo, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.* Torquent se ingenia eruditorum in hoc passu, & multas movent quæstiones, præsertim, an impetrato miraculo non umbra solum recesserit, sed etiam Sol ipsè decem gradibus, ita ut revocaret diem præteritum decem horis. Et quidem in sacro textu non fit mentio, nisi solum umbræ retrocedentis per decem lineas: *Reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in HOROLOGIO ACHAZ retrorsum decem gradibus.* Unde Hebræi Vatablus, Burgensis, Arias Montanus, & alij censent, solem nullo modo repedassè, sed solito tenore servato, umbram ab eo projectam in HOROLOGIO, ut aliam HORAM ostenderet in-

Hugo
Card. in
Luc.

4. Reg.
20.

Vatabl.
Burg. in
lib. 4.
Reg. Mont.
tan. in I-
saiam.
Gasp.
Sanct. in
Reg.

dex, alia re ipsa esset, secundum temporis cursum. *Alijs visum est nullo modo solem* (inquit Gaspar Sanctius) *retro fuisse conversum, sed cum institutum tene- ret cursum, umbram tamen ab eo sic fuisse projectam, ut decem lineis erraret ab eo spatium, quod juxta solis aspe- ctum ac stylum notare debuisset.* Econtra S. Augustinus, Glycas ex sententia Hyppolyti, & Dionysius putant non solum in umbra sed & in sole factum esse miraculum. *Sol* (inquit Dionysius) *cum decima ho- ra esset Deo precipiente repedavit ad orientem alijs de- cem horis designatis.* Consentit Abulensis agens de e- lectione signi Ezechiae: *Noluit quod sol staret, sed quod retrocederet, quia iam steterat tempore Josue, & volebat nunc miraculum novum.* Qui praeterea obser- vat mysterium quare expressè nominetur HORO- LOGIUM Achaz in quo miraculum retrogradien- tis solis ostensum est; dum ait: *Hebraei quidam di- cunt, quod propter malitiam Achaz dies in quo ipse mor- tuus est, diminutus fuit ab alijs diebus in decem horis: i- deo nunc cum liberandus esset Ezechias dies crevit decem horis.* Videtur per hoc Deus insinuare voluisse, quod impijs tempus vitae abbreviet, probis verò adijciat, & ideo signum dat Ezechiae prorogatae vitae in Ho- rologio, quod est quaedam mensura temporis, sed cur per repedationem, & non per cursum velociorem solis? nempe quia improbis multum tempo- ris effluit celeriter sine utilitate, probis verò etiam deperditum revocatur. *Sol Deo precipiente repeda- vit ad Orientem alijs decem HORIS designatis.*

III. Psaltes Regius hanc veritatem sibi ob o- culos statuens *Defecerunt*, inquit, *in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione*, quasi diceret In HOROLOGIO impiorum festinant umbræ in

occa-

S. Aug.
lib. 2. c.
28. de mi-
rab. Sac.
Script.
Glyc. p. c.
annal.
Dionys.
Epist. ad
Policarp.
Abulens.
in lib. 4.
Reg. q. 22.

Ibid. q. 23.

Pf. 77.

occasum; dies eorum sunt mera vanitas meræ umbræ, etiamsi vixerint & exegerint annos plurimos: non enim veniunt in computum vitæ, anni, dies, HORÆ, quæ otio, vanitati, delicijs, vitijs & peccatis impenduntur. Hoc serò licet, prudenter tamen advertit Semelis Hadriani Imperatoris Præfexus Prætorio, qui postremos septem annos vitæ privatus & ab aulicis curis liber exegit, & hoc sibi Epitaphium scripsit:

Semelis hic jacet, cujus ætas quidem multorum annorum fuit; septem tamen duntaxat vixit annis.

Non computabat iste inter dies & HORAS vitæ, quidquid temporis inter aulica disturbia exegerat, quia verè: *defecerunt in vanitate dies illius.* Rogo vos AA. concedite mecum in publica cœmeteria, inspicite illic vetusta monumenta, sepulchrales lapides, Epitaphia: legetis sine dubio magna nomina, magnos titulos (id est magnæ vanitatis hirco-cervos) & in fine inscriptionum. Vixit annos LXXVI. menses X. dies XV. vixit annos XC. menses VIII. dies V. vixit annos XCVIII. menses XII. dies IV. &c. Putatis hæc esse omnia vera? Falsissima sunt: mera mendacia sunt. Utinam aliquot dies, tot saltem HORAS vixissent, quot annos inscriptos præferunt! Non est vivere, malè vivere, non est vivere caduca sectari: non est vivere cupiditatibus indulgere. Audite Senecam: *Virvit is qui se utitur: qui verò latitant, & torpent, sic in domo sunt tanquam in conditivo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.* Ut verò intelligatis quid sapiens hic Philosophus intelligat cum dicit. *Virvit is qui se utitur*, ex alio eius loco advertite; ait enim in rem nostram: *Non ut diu vivamus*

*Curam.
Encyclop.
orat. 15.*

*Sen. Epist.
60.*

*Sen. Ep.
93.*

curandum est, sed ut satis. Longa est vita si plena est: impletur autem cum animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit. Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti? non vixit iste, sed in vita moratus est, nec serò mortuus est, sed diu. Octoginta annis vixit. Interest mortem eius ex quo die numeres. Et post nonnulla interiecta, subiungit: *Ætas inter externa est. Quamdiu sim alienum est: quamdiu vir bonus sim, meum est. Hoc à me exige, ne velut per tenebras ævum ignobile emetiar: ut agam vitam, non ut præterverbar.* O quam Christianè! vivere eum negat, qui malè vivit, & vitam non temporis lapsu, sed virtutum studio metiendam pronuntiat.

IV. Revertamur ad HOROLOGIUM Regum Juda. Achaz erexit, & filio Ezechiaë defervit in miraculum. Achaz homo sceleratus ex eo perdit decem gradus, Ezechias filius probus duplicat decem gradus. Nuntiata per Prophetam morte convertit se ad Dominum & orat divinæ eius dispositioni se committens. Benè impenduntur HORÆ, quæ in orationem insumentur. Retractat Deus sententiam, & addit vitæ quindecim annos. Opponamus Ezechiaë impium Anastasium, qui ad orientale Imperium, dolo & fraude pervenit, refractarius Romanæ Ecclesiæ, fidei juratæ proditor. Hic tandem audiit à viro terribili per visum nocturnum apparen-
Ecce ob per verstatem fidei tue annos quatuordecim vitæ tue deleo. Ergo vitam longam aut brevem non facit ætas, non facit tempus & motus secundum prius & posterius, sed virtus & eius exercitium. Etiam Corvi diu vivunt quos ad trecentessimum annum pervenire nonnulli arbitrantur. Hæc non est vita longa, sed duratio, sed mora. Quid juvat

Baron. ad
 an. 518.
 ex Zonar.
 & Cedren.

vat diu fuisse, & in longissima mora nil penitus egisse, quod veram vitam prodat. Non possum mihi temperare, quin iterum Senecæ suffragium advocem: *Centesimus tibi, inquit, vel supra premitur annus. Agedum ad computationem ætatem tuam revoca. Dic quantum cliens abstulerit &c. Videbis te pauciores annos habere quàm numeres.* Quasi diceret respice HOROLOGIUM tuæ vitæ, videbis per omnes HORAS evanuisse umbras, videbis ad ultimam perventum HORAM, priusquam crederes te attigisse secundam. Et nulla illarum signata est aliquo insigni facinore, aliquo actu virtutis. Exegisti multas horas, sed non vixisti. Vide annon tibi opus sit novo miraculo, ut revertatur umbra decem gradibus, ut quos oscitanter perdidisti, iterum solerter revoces Annos, menses, dies, HORAS.

V. Sed ecce Auditores mei, dum ego ita vobis persuadere conor ut temporis habitâ ratione, vivatis veram vitam, & attingatis senectutem laudabilem, audio in plateis turbam quandam petulantium, quos meritò vocemus *Tempori-perdas*. In gemisco eorum infelicitati cum S. Bernardo: *Libet consabulari, aiunt, donec HORA pertransseat. O donec prætereat HORA, donec prætereat tempus! donec HORA prætereat, quàm tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio conditoris indulget! Quid mirum si tales exactis multis annis efferantur juvenes, etiam si annum centesimum attigerint. Divinæ veritatis effatum illud est: Puer centum annorum morietur.* In quem locum D. Thomas: *Puer centum annorum id est qui usq; ad ætatem senectutis pueriliter vixit, morietur morte æterna.* Utpote vacuus me.

Sen. de
brev. vit.
cap. 3.

S. Bern.
de tripl.
cuss.

Isai. 65.
D. Tho.
in Isai.

meritis, vanus *Tempori-perda*, cuius Horæ prætereunt etiam sine umbra virtutis; unde numerari non debent inter horas vitæ; neq; ideò quia sunt multæ, efficiunt senectutem. Rectè Philo ad allegata verba Prophetæ: *Qui multum temporis sine virtute ac probitate vixerint, eos licet longi temporis pueros appellare.* De Saule Rege Sacer historicus asserit: *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset.* Quis nescit Saulem adultum cum quæreret alinas patris sui unctum Regem super Israël, & populo propositum eminuisse altitudine staturæ supra omnes cœteros? quomodo ergo dicitur fuisse *unius anni cum regnare cœpisset*? Addit textus quod magis mireris: *duobus autem annis regnavit super Israël.* Et tamen regnavit annis quadraginta, uti habetur in Actis Apostolorum ubi Paulus in sermone habito Antiochiæ Syriæ dicit: *Dedit eis Dominus Saul filium Cis annis quadraginta.* Cur ergo solis duobus annis regnasse asseritur? Nempe duobus tantum annis permansit in humilitate, & obedientia Dei, dignus regno, cœteri verò anni quos exegit in superbia & tyrannide computari non debent. Unde Hugo Cardinalis: *Duobus autem annis regnavit, idest iuste rexit populum. In reliquis annis quasi Tyrannus fuit, & non Rex.* Quid prodest ergo multos annos transigere, si malè & in malum impendantur? Malè autem impendantur otio, desidia, malitia, vitijs & peccatis, ut non mereantur numerari inter annos, dies, & HORAS.

VI. Jam verò cum multis non HORÆ tantum, sed & dies, & anni, & annorum decades evanescent & prætereant quasi non fuissent quid illis agendum est? adnitendum sanè, ut perditas
HO-

Philo lib.
2. Meliss.
c. 2.

1. Reg. 13.

Actor. 13.

Hugo
Card. in
lib. 1. Reg.

HORAS, perditos annos revocent, ut expleant vitam rectè factis. Neque enim hoc magis impossibile est, quàm Solem aut Solis umbram retrocedere decem gradibus, & quod præterierat revocare; imò solem retrocedere sine miraculo non est possibile, annos verò præteritos & perditos recuperare licet sine miraculo. Quod quidem Poëta Martialis illis versibus complexus est

*Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus, hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui.*

*Martial.
lib. 10.
Epigr. 22.*

Vir bonus igitur, & virtutis studiosus *Vivit bis*, quia tempus vitæ ex honestate traducit, & quod alij malis artibus perdunt, ipse rectè factis conservat. Siquid temporis illi excidit, alio duplicato compensat, ita ut intra minus spatium tantum amplectatur, quantum alius intra magnum. Nam ut Seneca ratiocinatur: *Quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus, sic & in minore temporis modo, potest esse vita perfecta.* Et certè sæpissimè in minori corpusculo plus virtutis deprehendimus, quàm in magno & giganteo, num igitur illum qui magnus est plus vivere credimus quàm parvum? Nihil ad longam vitam facit quantitas: sed neq; maior mora, quod idem Seneca eleganti expressit similitudine: *Utrum maiorem an minorem circulum scribas, ad spatium eius pertinet, non ad formam, licet alter diu manserit, alterum statim obduxeris, & in eum in quo scriptus est pulverem solveris: in eadem uterq; forma fuit.* Efformemus nobis in arena duos circulos, magnum alterum, parvum alterum, sinamus alterum die integra, alterum post horam confundamus: an ideo quia unus altero maior, aut diuturnior fuerit, etiam perfectior censendus? nequa-

*Sen. Ep.
93.*

*Sen. Ep.
74.*

Sen. de
brev. vit.
c. 7.

Idem sup.
Ep. 74.

Sap. 4.

quam. Uterq; perfectus fuit, sed non utriq; eadem duratio. Sic se habet vita nostra. Multi numerant multos annos, alij pauciores, non ideò dicam unius vitam longiorem quàm alterius, si ex æquo sibi commensurentur utriusq; rectè facta. *Non est quod quenquam propter annos aut rugas putes diu vixisse. Non ille diu vixit, sed diu fuit.* Ait alibi rursum Seneca. Cuius etiam illa ad Lucilium in rem præsentem illustria sunt: *Quod rectum est, nec magnitudine aestimatur, nec numero, nec tempore: non magis produci quàm contrahi potest. Honestam vitam ex centum annorum numero in quantum voles corripe, & in unum diem coage: æquè honesta est.* Ita verè sapiens Philosophus, planè ad sacri sapientis sensum, qui de justo scribens aiebat: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.*

VII. Quomodo in brevi multa? num etiam dari possunt Synopses temporis? respondet sapiens: *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Hinc est quod multi licet paucos annos vitæ transegerint, quia tamen meritis abundantes merito censeantur senes obijisse ut canebat: Poëta de juvene:

Non moritur juvenis qui sene digna facit.

Sap. 3.

Geminat sibi annos & HORAS, qui ita vivit, ut omnes horas expleat actibus virtutum. Econtra de impijs idem sapiens aiebat: *si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur,* quia scilicet malè vivere, non est vivere. Cani Capilli non faciunt senectutem venerabilem, sed cani sensus. Unde verò cani sensus, nisi ab extirpatione vitiorum, ab extinctione flagrantium cupiditatum: uti optimè obser-

observavit Hugo Cardinalis in hunc locum : *Sensus sunt cani hominis interioris, quia sicut cani corporis nascuntur calore naturali frigescente, ita cani spirituales, qui ornant caput hominis interioris, id est mentem, oriuntur incentivo vitiorum cessante.* Si hodie vobis exhiberetur re ipsa admirabile illud Susannæ judicium in quo duo senes canitie capillorum aspersi testimonium falsum deponerent contra Susannam & adolescens Daniel eius advocatum agebat, cui potius assurgeretis, senibus testibus, an adolescenti Danieli? Utrique Danieli: *cani autem sunt sensus Danielis, qui apprehendit senes in astutia sua, & fallitatis convictos ostendit sub cano capillitio, plusquam juvenilem ardorem libidinis latuisse.* Poterat dicere Daniel cum Davide: *Super senes intellexi; quia mandata tua quesivi.* Nam verè mandatorum Divinorum observatio facit senescere etiam in ætate juvenili, & brevi spatio explere tempora multa. Hæc fuit melliflui Doctoris cogitatio: *Multos juniorum videmus super senes intelligere, & moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, & quod ætati deest compensare virtutibus.* Unde & vetus orator laudans suum Principem aiebat: *Cursus ætatis expectari non debet in festinatione virtutis.*

VIII. Quæstio illa an tempus præteritum revocari possit, quod miraculosè factum in HOROLOGIO ACHAZ asseruimus, quantum ad thesim nostram coincidit cum illa: utrum Senes possint rejuvenescere, & recuperare juvenilem ætatem. Et quidem in animalibus videtur id defacto accidere. De serpente memorant Naturalium rerum scriptores quod senescens per angustias saxorum se protrudat & pellem exuat: Plinius ait hyberno

Hugo
Card. in
lib. Sap.

S. Bern.
Ep. 41. ad
Henr. Sen.

Plin. l. 9.
c. 27.

situ obductam pellem succo fœniculi abradere. De Aquila item, quod cum in senectute rostrum nimium incurretur, ut cibum capere non possit, tandem eam rostro saxum tundere, donec adunca prominentia decidat. De hominibus non una se offert fabula, sed fabula. Æsonem patrem Jasonis & ipsum quoq; Jasonem à Medea coctū & juventuti restitutū scripsit Pherecydes & Lycophron. De Bacchi nutricibus idem refert Æschylus. Et de illis hominibus qui furtum Promethei indicaverant Jovi cum ignem ē cœlo sustulisset, perpetua juventute donatos narrat Nicander. Relinquamus Poëtis fabulas, veritatem nihilominus ex ijs eliciamus. Rectè observavit Mythologus sub figmento Æsoni & Jasoni restitutæ juventutis latere quod sæpè fœmineum genus ipsos senes adeò sui amore dementet, ut rejuvenescere incipiant, & sicut juvenes amore exardescere, quod est potius vitam perdere quàm augmentare. Longè feliciter rejuvenescunt, qui cum Psalte Regio canunt: *Renovabitur ut aquila juvenituz mea*, nimirum ut ait Oddo Astensis: *veterem hominem exuta*. Et hoc est quod multoties inculcat Apostolus: *Induite novum hominem. Induite vos sicut electi Dei. In novitate vitæ ambulemus.* &c. Quod tantundem est ac rejuvenescere, & resumptis viribus currere viam mandatorum Dei, ac retrahere solem ad decursas lineas & de novo percurrere, quod præteritum & perditum erat revocare in HOROLOGIO vitæ.

IX. Videor mihi audire non neminem. Optanda prorsus esset homini ad supernaturalem finem tendenti eiusmodi renovatio juventutis, sed quis modus eam assequendi? Facilis; docebo. Psal-

mi-

Pherecyd.
Lycophron-Simonides.
Æschyl.
Nat. Com.
lib. 6 c.
8. Nicand.
in Therias.

Psal. 102.

Coloss. 3.
Rom. 6.

mistam audi. *Justus ut palma florebit.* Alij legunt: *Justus ut Phœnix florebit.* De Phœnice Tertullianus & Epiphanius tradunt, quod è pretiosis arbuſtis constructam pyram incendat, ac ad ſolis ardorem concuſſione alarum flammam excitet, ſeq; ipſam exurat, ex cuius poſtea cineribus rediviva juvenis reſurgit. Hinc ait Tertullianus: *Justus florebit ſicut Phœnix, quia Phœnix floret de morte ac de funere.* Quasi diceret qui mundo eiſq; vanitatibus moritur, qui divini amoris igne exuritur, rejuveneſcit ſicut Phœnix. Fuge peccatum, deſere vanitates, devota otium, ama Deum, & juventutem recuperasti, & pridem elapſos annos, dies, HORAS revocaſti. *Qui ſe erraſſe à Deo conſiderant, damna præterita, lucris ſequentibus compenſant.* Inquit S. Gregorius. Quid agunt viatores cum in longo itinere lento paſſu procedunt, & ſubinde otioſè conſident & fabulantur, jamq; vident inclinare ſolem in occaſum, ut ad terminum p̄veniant? duplicant paſſus, compenſant neglectum iter celeritate. Idem nobis agendum, quibus HORÆ multæ inaniter exactæ tranſierunt: ferventius operemur. *Nullum ut loquitur Seneca: nullum non magnis rebus tempus anguſtum eſt. Faciamus quod in itinere fieri ſolet. Qui tardius exierunt, velocitate penſant moram. Feſtinemus.*

X. Atq; hoc eſt, quod Paulus ſcribens ad Ephesios ſolicitè monebat: *Videte itaq; fratres quomodo cautè ambuletis? non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes redimentes tempus.* Quid hoc ſonat *redimentes tempus?* quod perditum vel oppignoratatum eſt ſolet redimi: nunquid tempus perditum redimi poteſt? poteſt omninò, inquit S. Anſelmus: *Dammum temporis redimimus, ſi ita vitam emendamus, ut ea bona qua*

Pſal. 91.

Tertull. de
reſurreſc.
c. 21. E-
piphani.
Phyſiol.
cap. 11.S. Greg.
hom. 34.
in Evang.Sen. Na-
tur. qq.
lib. 3.
praſat.

Ephes. 5.

S. Anſelm.
ap. Manſi
Bibl. To. 4.

olim facere negleximus, & ea quæ nunc facere debemus, faciamus. Igitur redimere tempus est compensare diligentia & fervore, quod ante per negligentiam fuit deperditum. *Quid est tempus redimere*, quærit S. Augustinus, & respondet: *cum opus est, etiam cum detrimento corporalium commodorum, ad æterna quærenda, & capessenda, spatia temporis comparare.* Quod alius facit extensivè (ut loquimur in Scholis) hoc nobis facere licet breviorè mora intensivè. Sic compensamus quod negleximus, sic revocamus HORAS præteritas, sic nobis retrocedit Sol per decem lineas. Huc tendunt illa D. Thomæ: *Aliquis per magnum tempus vitæ vixit in peccato, & hoc est tempus perditum. Sed quomodo redimet? dicendum est, quod tunc magis debet vacare operibus bonis, quanto prius institit malis.* Latro in Cruce brevi temporis mora, intensivè operando *explevit tempora multa.* Redemit tempus præteritum, refloruit sicut Phœnix, ut multiplicaret dies. Sic multi Martyres perditos annos vitæ antea-ctæ redemerunt, & intensivè operando quod extensivè non poterant, expleverunt tempora multa. Christus benedictus qui hodie adolescentem viduæ revocavit ad vitam ut reciperet per novitatem spiritus quod prius neglexerat, inclamat omnibus peccatoribus quorum ille adolescens typum gerebat: *Adolescens tibi dico surge. Quid hæremus? quid moramur? ambulemus non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus. In novitate vitæ ambulemus, ne nobis accidat quod Godefrido Spirensi tinctori lanarum, qui omne penè vitæ tempus absumpsérat jocus ac risibus excitandis scurram agens, ad omnes computationes & convivia adhibitus. Hic Anno 1321, die quadam*

in-

S. Aug.
hom. 1.
ex 50.

D. Tho.
in c. 5.
Ep. ad E-
phes.

Phil. Si-
monid.
de Episc.
Spir. in
Emicho.
53.

infirmatus, cum jam jam exspiraturus crederetur & diu exanimis jacuisset, inclamare cœpit: *Ve mihi qui tempus vitæ in jocis & ludicris facetijs male transégi, jam pergo ad eternitatem, ad damnationem.* Solabantur hominem adstantes ne desperaret, sed ad misericordiam divinam recurreret: ille verò indignum se misericordia Dei asserens, nihilominus vocato Confessario, peccata sua detexit & sacro vitatico munitus exspiravit. Demum ut moris tunc erat linteo insutus est postridie tumulandus. Noctu cum vigilantes ad eius cadaver circa secundam obdormissent, disrupto linteo erexit se denuo, clara voce Deo gratias agens. Accurrebat orto mane tota civitas ad spectaculum, sed interrogantibus nihil respondit. Soli Sacerdoti cum supra os formasset signum Crucis, dixit: *O ve! O ve!* Dein è domo exiens properavit ad Ecclesiam ubi ante altare prostratus duas horas exegit orando. Tum surgens mira de inferno & Purgatorio narravit. Vixit postea adhuc per duodecim annos, nunquam ridere visus. Felix iste qui potuit perditum tempus redimere, & explere pœnitentia tempora multa prius neglecta. Si qui nostrum eum imitamur in vita, imitemur in emendatione vitæ, redimamus tempus. *Faciamus quod in itinere fieri solet, qui tardius exierunt, velocitate compensant moram.*

FESTINEMUS.



DIS-

DISCURSUS XVIII.

Dominica XVI. post Pentecosten.

Gehenna Anticipata.

T H E M A.

Et ipsi observabant eum. *Lucæ. 14.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|---|--|
| <p><i>I. Virtus semper invidia obiectum est: hinc observatores proborum (sicut Mathematici qui maculas in sole) querunt, in virtute vitium, sed suo malo, quia invidia illis est in corde anticipata gehenna.</i></p> | <p><i>quia arrodit dicta, facta, cogitata, & à camporum Elysiorum ingressu arcet benemeritos.</i></p> |
| <p><i>II. Multe regiones carent serpentibus, nulla verò caret invidia quæ est ulcus anime, radix malorum omnium, cæstrum Dæmonis &c. carnifex internus &c.</i></p> | <p><i>V. Est etiam filia diaboli, quia per eius invidiam mors intravit in mundum, & ipse per invidiam decidit.</i></p> |
| <p><i>III. Eius Symbolum serpens adversus solem erectus & linguam vibrans, quia etiam vipere parricide comparatur invidia.</i></p> | <p><i>VI. Ex filia diaboli alius partus expectari non potest, nisi diabolus, unde invidus transmutatur in diabolum, & consequenter Gehennam anticipatam.</i></p> |
| <p><i>IV. A Poëtis pingitur ut furia, cui canis adstat: melius addideris ei Cerberum trifaucem,</i></p> | <p><i>VII. Si enim invidus dæmon est, necessario gehennam secum portat sicut dæmon.</i></p> |
| | <p><i>VIII. Dives Epulo maiorem gehennam habuit videndo Lazarum in cælo quam ardendo in inferno, unde non petebat ipse in cælum transfer-</i></p> |

ferri, sed Lazarum ad se mit-
ti, quod est invidiæ.

IX. Imò timuit ad Lazarum
ipse transferri ne sibi duplica-
ret gebennam, si enim à lon-
gè cælum afficiens torqueba-
tur, longè magis è propinquo
fuisset tormentatus.

X. Propterea dicitur Dura si-

cut infernus æmulatio.
Seu invidia, quia ubiq; tor-
quet; alia vitia in inferno
cessant: invidia ibi maximè
regnat & cruciat. Eius pater,
ut dictum, est dæmon, mater
verò superbia. Tolle matrem
& filiam suffocasti.

Et ipsi observabant eum. *Luce. 14.*

I.



Ullius unquam tanta fuit virtus, in-
nocentia, sanctitas, quàm livor & in-
vidia æmula virtutis non arroderet.
Nec Dei Filius ab ea tutus fuit. Quid-
quid ageret, vel loqueretur, invidi
Pharisæi perversi Inquisitores cona-
bantur in deteriorem partem traducere. Unde in-
gressus domum unius inter ipsos Principis *Sabba-
tho manducare panem*, illicò plures accurrerunt: *Et
ipsi observabant eum*. Ipsi gens subdola, secta hypo-
critica, genimina viperarum, aranæ venenum è
rosa fugentes. *Observabant eum*, veritatem sine fu-
co, Justitiam sine simulatione, puritatem sine defe-
ctu, *observabant eum*, an fortè, ut eius doctrinæ se
subderent, eius facta imitarentur? Sed *quæ conven-
tio lucis ad tenebras? Christi ad Belial? Observabant
eum*, an fortè metuentes ne elaboretur quem deli-
derabant occidere? *Sed Filius hominis vadit sicut
scriptum est de eo. Observabant eum*. An fortè ut cu-
riosi scrutatores, uti Astrologi observant Solem? I-
ta prorsus: non tamen ut metirentur eius altitudi-

Marci. 14.

Psal. 36.

nem, ut contemplerentur cursum, ut mirarentur operationes, sed ut maculas per tubos opticos invidiæ seprehendisse cavillarentur; *ut caperent eum in sermone.* De his canebat Psalter: *Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis.* Et rursum eodem Psalmo: *Considerat peccator justum, & querit mortificare eum.* Horum sequaces sunt omnes invidi, qui maculas etiam in sole quærent, in virtute vitium, in sanctitate defectum, & quod ipsis deficit, in eo proximos oderunt, sed suomet malo, quia Invidia nemini magis nocet, quam invidenti: ipsum torquet & cruciat, efficitq; ut in corde suo circumferat quandam GEHENNAM ANTICIPATAM, quod in hoc discursu ostendam.

*Tho. Lans.
in Consult.
Prov.*

II. Tam latè sparsum est malum invidiæ, ut nullus inveniatur locus, nulla gens, nullus status hominum, nulla ætas quæ huic non sit obnoxia, ut dicat nonnemo: *Non nova res est INVIDIA, neq; nunc primum in Europam ex alio orbe delata: omnis locus, & ætas fert illam, & feret.* Sunt loca & regiones quæ venenatis animalibus careant. In Hibernia nulli serpentes, & illati aliunde emoriuntur; in Creta nullæ feræ, sed INVIDIA ubiq;. *Regionem aliquam (ait Plutarchus) invenire licet, quæ feris careat, quod de Creta narratur: Respublica autem nulla adhuc extitit, quæ nullam INVIDIAM, nullam emulationem, aut studium contendendi, qui sunt affectus inimicitijs generandis fœcundissimi, protulisset.* Percurre omnem mundum invenies hoc venenum, hanc feram. Ingredere infernum: omnes damnatos videbis laborare invidia. Solum cœlum eam non admittit, sed eius tamen obiectum est. Quis digno nomine tantum malum exprimat? Socrates id appellavit

*Plut. de
cast. ex
host. util.
P. 1. Moral.
tal.*

Ulcus animæ & ferram, qua videlicet cor ipsum & animus invidi scinditur. S. Cyprianus id describens: *INVIDIA* inquit, *radix est malorum omnium, fons cladum, seminarium delictorum, materia culparum.* S. Gregorius Nazianzenus: *Livor invidorum tabes, venenum eorum, qui eo laborant, solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul & equissimus: illud quia bonis omnibus infestus est; hoc quia Dominos suos exest, & conficit.* Et S. Gregorius Neocæsariensis appellavit *INVIDIAM* *æstrum dæmonis.* S. Petrus Chrysologus: *INVIDIA* *suorum carnifex semper extitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit.* S. Gregorius Nyssenus invidos comparat miluis, quos *cada veribus pasci, & pretioso unguento emori aiunt.* Quia scilicet invidi quod in alijs vident illustre, egregium, pulchrum, honestum, eo torquentur ad divisionem animæ.

III. Placet Symbolum quod *INVIDIS* ponit Piccinellus: nam ad exprimendam eorum insaniam pingit serpentem apicantem erecto capite adversus solem hiante rictu, exerta lingua, cum lemmate: *ARDUUS ad solem.* Non potest Soli nocere serpens à quo uritur, quantumcunq; trifidam exertet linguam; sic invidus ei cui invidet non tantum nocet, quantum sibi ipsi. Nec abs re Christus Phariseos sibi invidentes nominavit *Genimina viperarum.* Nam & hæ sunt *ardue ad solem*: & Pharisei erant ardui ad solem justitiæ, *Observabant eum,* si qua ratione ei possent nocere, *Acuerunt linguas suas sicut serpentis:* sed nullæ eiusmodi linguæ Soli nocent, sibi nocent. *Sicut enim viperas dicunt* (verba sunt S. Basilij) *abrupto ventre matris nasci:* Sic *INVIDIA* *concupientem se animam corrodit, & tabe-*

Stob. ser.
36.
S. Cypri-
an. serm.
de livor.
S. Greg.
Naz. orat.
27.

S. Greg.
Neocæs. in
c. 4. Ecc-
les. S.
Pet. Chry-
sol. serm.
172.
S. Greg.
Nyss. l. de
beat. orat.
7.

Piccinell.
in Mundo
Symb.

Psal. 139.

S. Basil.
hom. 11.

S. Amb.
lib. de su-
ga sec.

facit : suppliciumq; suum est. Quo etiam referas dictum S. Ambrosij : *INVIDIA non solum alienos, verum multò magis eum, quem possederit, lacerare consuevit.* Ita prorsus Pharisei perstringebantur lumine Christi, eiusq; doctrinæ fulgore, ut adversus eum erecti linguas acuerent, sed interim seipsos lacerarent, ac disrumperent, quod etiam illis accidit quando Stephanum lapidabant : visà enim illius constantia & fortitudine *dissecabantur cordibus suis.*

Cas. Ripa
in Icon.

IV. Pingunt Poëtæ *INVIDIAM* macram, rugosam, lividam, habentem pro capillis serpentes, quæ proprium cor morsicat & devorat ; quam comitatur canis Symbolum *INVIDIÆ*. Est enim canis invidiosissimus, qui nec sui similibus quidquam favet, solus omnia appetens devorare. Unde Proverbium.

Dum canis os rodit, socium quem diligit odit.

Nat. Com.
Mythol.
lib. 3. c. 5

Bella representatio maximi vitij. Ego verò adpingeram huic spectro non canem simplicem sed tripitem Cerberum : qui tribus capitibus instructus, pro iuba serpentes habuisse dicitur, & alligatus ad Orci introitum volentibus ingredi blandiebatur, exire volentes, & ad Elyfios campos transire post expiata scelera, horridè allatrabat. Annon enim *INVIDIA* velut triplicem rictum aperit contra probos & eos qui in re aliqua excellunt, ac allatrare consuevit, *Dicta, Facta, Cogitata.* De Phariseis & Christo observavit S. Bernardus : *Habuit in factis observatores, in dictis contradictores, in tormentis illusores.* Adde ego in cogitationibus exploratores, de quibus etiam Psaltes : *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Omnia accuratissimè perscrutabantur, & cum aliud reperire

S. Bern.
ap. Ven-
lasq.

Psal. 27.

non

nōn possent, ipsas cogitationes, quæ videri non possunt, conabantur venari & in malum detorque-
re. Cum dæmonia eiiceret, tribuebant id non vir-
tuti divinæ, sed arti diabolicæ: *In Beelzebub prin-
cipe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Tribus veluti cani-
nis rictibus armati contra *dicta, facta, cogitata*: ve-
rè Cerberi infernales, ministri dæmonum. Nam
ut ait sapiens: *Invidia diaboli mors intravit in orbem
terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illi-
us.* Ex parte dæmonis Cerberus est qui arcet ani-
mas à campis Elysijs, allatrant eos qui sunt sine vi-
tiji ac nævis. Tales omnes invidi.

Sap. 2.

V. Parum adhuc dixi. INVIDIA est filia dia-
boli. Nam prima ipsius ruina fuit ex invidia uti SS.
Patres observant, & modo dictum ex sapiente. *In-
vidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Ad
quæ verba Chrysostomus: *Diabolus qui odio & in-
vidia morvetur, ferre non potuit tot ineffabilia beneficia,
quæ in hominem ab initio collata sunt, invidia ad deceptio-
nem stimulatus est.* Nondum erat in mundo mors, &
jam erat INVIDIA. Imò nondum erat plenè condi-
tus mundus, & jam erat INVIDIA. Ubi verò? in
ipso cælo. Adeo nullus locus omninò liber est ab
INVIDIA. Cum intellexit Lucifer Dei Filium as-
sumpturum carnem humanam, invidiæ stimulis a-
gitatus dixit: *In cælum conscendam, super astra Dei e-
xaltabo solium meum.* Putant verò Theologi Angelos
vel ante mundum creatos, vel tunc quando creati
sunt cæli, & non multo post Luciferum cum se-
quacibus corruisse. Igitur & ante mundum condi-
tum & in ipso cælo INVIDIA patrem agnoscit Lu-
ciferum, unde rectè Chrysostomus alio loco: *Nec
aberraverit quis hanc diaboli filiam appellans.* Eodem

S. Chry-
sost. ap.
Hæro.S. Chry-
sost. hom.
44. ad
pop.

S. Cypri-
an. serm.
de Zelo.
& liv.

collimabat S. Cyprianus: *Quale malum est (INVIDIA) quo Angelus cecidit; quo circum-veniri & subverti alta illa & præclara sublimitas potuit; quo deceptus est qui decipit? Exinde invidia grassatur in terris, sicut scriptum est: Invidia Zabuli mors introiit in orbem terrarum: imitantur ergo illum qui sunt ex patre eius.* Hoc itaque malum est quo deceptus, qui decipit. Evam decepit ex invidia, & decipiendo quasi per venenatum bolum pomi virus diffudit in posteros, ut statim in Evæ filijs primum vitium appareret INVIDIÆ. Hinc novæ fraternitatis odia (pergit Cyprianus) dum Abel justum Cain zelat injustus, dum bonum malus invidia & livore persequitur. Hinc tota posteritas hoc morbo laborat.

S. Chry-
sost. 41. in
Matth.

VI. Jam quæro ex vobis qualis partus expectari debeat à filia diaboli. Si verum est quod dici solet filios assimilari parentibus, filia diaboli non potest generare nisi diabolos. Annuit huic conjecturæ S. Chrysostomus, & plena phrasi applaudit: *Velut scarabæi alieno stercore, sic invidi adversa aliorum fortuna nutriuntur. Invidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem inmanissimum convertit.* Veniamus ad claram probationem. diabolus est qui circuit quærens quem devoret, qui odio summo persequitur humanum genus, unde sicut Deo propria & intrinseca est charitas, sic dæmoni odium, ex quo conficit robustum argumentum S. Basilius, quod sicut charitas est Deus ita INVIDIA est dæmon. *Si Deus (uti Joannes inquit) charitas est, ipsa INVIDIA dæmon sit oportet. Ut igitur qui charitatem habet, Deum ipsum in se manentem habet, ita qui INVIDIAM fovet, dæmonem baud dubiè in seipso nutrit.* Per effectum causa

S. Basil.
Orat. 1.
de Invid.

cognoscitur odium est effectus Invidiæ. Nam ideo dæmon odit hominem quia invidet eius felicitati, unde qui fovet *Invidiam*, fovet ipsum dæmonem, qui odio perpetuo adversus hominem flagrat. Non ergo miremur quod INVIDIAM S. Zeno Veronensis graphicè ita describat: est *obstaculum regni cælorum, via gehennæ, pignus quoddam pœnæ perpetuæ*. Quasi innumeret omnia vitia & peccata quidem hoc habent quod arceant à cælo, quod ad interitum ducant, quod disponant ad pœnam æternam, sed INVIDIA hoc habet per quandam excellentiam & antonomasiam. Nam absq; alio exemplo apparet in ipso dæmone quod sit *obstaculum regni cælorum*, quia dæmonem è cælo exclusit. Apparet etiam quod sit *via gehennæ* perpetuæ, quia est adhuc in terris quædam GEHENNA ANTICIPATA, & consequenter *pignus quoddam* pœnæ perpetuæ, quia adhuc in terris est pœna & tormentum gravissimum.

S. Zeno
serm de
livore.

VII. Diffundamus hæc nonnihil prolixiore probatione. Dixi quod INVIDIA sit GEHENNA adhuc in terris, & POENA. Et quis de hoc possit dubitare? si enim ut modo ostensum Invidus est quidam dæmon, & ubicunq; dæmon est ibi secum portat gehennam, planè evidentè consequitur Invidi hominis *Invidiam* esse quandam *gehennam*, & quidem non Imaginariam, non allegoricam, sed cui annexa est POENA gravissima sensibilis, qualem patiuntur damnati. Credunt Theologi, & suffragantur ijs Patres, quod multi dæmones manserint in aëre ibiq; habeant suam *Gehennam* & torqueantur potissimum ab invidia, respiciendo modo cælum ex quo deciderunt, modo homines propter quos

S. Bern.
serm. 54.
in Cant.

quos deciderunt. Melliflui Doctoris assertum est: *In pœnam suam locum in aëre isto medium inter cœlum & terram, de cœlo cadens sortitus est, ut videat ipsaq; invidia torqueatur. Scriptura dicente: Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* Ecce GEHENNAM ecce POENAM, quam vel ideò jure dixeris ANTICIPATAM, quia eadem pœna torquebitur post hanc vitam, quâ torqueatur defacto in hac vita homo invidus. Alia vitia & scelera post hanc vitam non reperient amplius in futuro locum, neq; affligent, uti superbia luxuria, gula: nullus in inferno superbit, nullus luxuriæ vacat, nullus gulæ & abdomini sèrvit; atverò INVIDIA continuat non minus in futura vita, quàm in præfenti, torquet non minus mortuos in inferno, quàm vivos in terra, & ideò est GEHENNA ANTICIPATA.

S. Pet.
Chryf.
serm. 122.

VIII. Translato Lazero in sinum Abrahamæ, mortuus est & dives Epulo & sepultus in inferno. Inde clamat ad Abraham: *Mitte Lazarum.* Petit Lazarum è cœlo mitti in infernum, non se ex inferno transferri in cœlum. Quod observans S. Petrus Chryfologus causam inquirit, *Lazarum mitte. Quo? ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum chaos. &c. Ut video, quod agit dives non est novelli doloris, sed livoris antiqui: & cœlo magis incenditur quàm gehenna. Est grave illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices.* Quasi diceret magis torqueatur felicitate Lazari invidendo, quàm pœnis inferni in eis ardendo. *Et cœlo magis incenditur quàm GEHENNA.* Vellet nimirum gravius supplicium Lazaro accidere, quàm sibi, quia delitijs cœlestibus prælibatis, gra-

vior foret pœna in inferno. Est hoc INVIDIÆ proprium, non tam videre mala sua, quàm felicitatem alienam, & magis torqueri de bono alterius, quàm de malo suo proprio: unde instar summæ voluptatis habent invidi, etiam cum suo damno nocere alicui, uti ille apud Tragicum Poëtam.

- - - Pelopis domus

Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.

Sente.
Thyest.

Quod insigni Apologo expresserunt antiqui: Aiunt Jovem cum diversos hominum sensus vellet explorare, misisse in terras Apollinem, qui voluntates humanas experimentis cognosceret. Incidit in duos colloquentes, quorum alter *Avarus*, alter *Invidus* erat. Hos comiter allocutus Apollo, non multo post collegit cuius ingenij uterq; foret ex ipso sermone; quare optionem illis dedit quidlibet petendi quod vellent, addita ea conditione, ut revera quod peterent consequerentur, sed quod unus sibi petisset, id alteri duplo obveniret. Ibi orta mox est contentio de primatu, quis prior peteret. Nolebat petere Invidus ne alter plus obtineret, essetq; felicior: nolebat petere avarus, ut si prior ipse peteret, æmulus duplum consequeretur. Tandem petitionem fecit Invidus, & optavit sibi unum oculum erui, ut avaro uterq; erueretur. Ita ut alter maiori damno succumberet, non curavit proprium & voluntarium damnum Invidus. *Quia cælo magis accenditur, quàm GEHENNA.* Imò Zelo & invidia, quæ illi tormentum maximum est, & instar GEHENNÆ ANTICIPATÆ. *Inæstimabile* (inquit Salvianus) *nunc in pluribus malum est: parum alicui est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix.*

Salvian.
Massil.
lib. 5. de
Prov.

IX. Non dimitto adhuc illam Parabolam de
Dom. Pars II. H h di-

divite Epulone, sed ulterius causam inquirō, cur petierit Lazarum ē sinu Abrahæ ad se mitti, non verò ut ipse ad Lazarum ex inferno deportaretur. Et puto unam ē cœteris hanc etiam esse, quia sciebat ex inferno nullam amplius esse redemptionem, & cum illic ingentia pateretur tormenta, ac refrigerium vel ab una guttula aquæ desideraret, hanc frustra se petiturum apud Lazarum si ad ipsum deportaretur in-cœlum, eo quod hoc ipso tormenta fuisset duplicaturus. Qua ratione? quia si à longè videns Lazarum beatum eius felicitati invidit, & ob id graviter se torqueri sentiebat, multò magis sensisset delatus in sinum Abrahæ, & de propinquo spectans eius felicitatem. Quo enim maior invidenti apparet felicitas invisī eo magis torquetur. Hinc S. Antonius de Padua acutè aiebat: *Magnam pœnam faceret Deus invidio, si ipsum poneret in gloria Paradisi inter Angelos nimirum, animasq; beatas*; quia scilicet clarior visio alienæ felicitatis, esset augmentum ipsius torturæ & infelicitatis. Et hoc quidem tanto maius quanto plures beatos conspiceret, quia ut arguit S. Pet. Chrysol. *Quot sunt prosperitates hominum, tot sunt tormenta invidorum*. Unde rectè idem S. Pater invidiæ tormenta tacitè comparat tormentis GEHENNÆ cum dicit esse *sine sine supplicia*. cum enim vocasset INVIDIAM suorum CARNIFICEM, addit: *Hanc qui suscepit sua sustinet sine sine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est, ubi cruciatus est aliena felicitas?* O itaq; ingens malorum, & tormentorum Ilias INVIDIA, quæ inferni pœnas incipit ante Infernum; & torquet suos ANTICIPATA GEHENNA! cui veri-

S. Anton.
serm. ser.
4. Pas.

S. Pet.
Chrysol.
ser. 172.
Idem. ib.

tati consonat illud D. Chrysofomi. *Invidi oculus consumitur dolore, morte vivit perpetua.* Damnatorum est vivere morte perpetua, ergo Invidus damnatus est ante damnationem, & ante mortem vivit mortem perpetuam, & secum circumfert ANTICIPATAM GEHENNAM.

X. Grave est hoc, & præ cæteris metuumdum vitium, quod dicitur perpetuum, quasi difficulter evellatur ex animo, idque innuit sapiens in illo Cantici Canticorum: *Fortis est ut mors dilectio: dura sicut Infernus æmulatio.* Per æmulationem intelligunt S. Gregorius Papa. Cassiodorus, Bruno Astensis & alij INVIDIAM, quæ ideò dicitur *Dura sicut Infernus*, quia sicut Infernus quos semel acceperit, non dimittit, sic INVIDIA quos semel invaserit & corripuerit, difficulter deserit. Propterea dicebat S. Chrysofomus: *Tam insanabilis est iste morbus, ut & innumeris medicaminibus superpositis propriam scaturiat tabem.* Heu me! quàm magnis erroribus rotatur hic mundus! Quàm multos credimus esse felices quos suspicimus & honoramus, quibus certatim obsequia deferimus, cùm sint infelicissimi, & clam in corde suo circumferant hanc pestem, hunc dæmonem, hunc Infernum & GEHENNAM ANTICIPATAM. *Invidia in eos servit maximè, qui Principum Amicitijs illustres sunt. Ipsis Regibus audet obloqui, cum homines sibi gratos cæteris anteponunt.* Ait non nemo. Sed qui nam istis invident, nisi qui ad talia aspirant? Et quàm multi tales, quibus vulgus omne infra genua decrescit! Unde rectè aiebat ille: *INVIDIA nascitur in aulis, educatur in domibus Religiosis, moritur in hospitali.* Tam latè spargitur hoc virus, sed nusquam magis gras-

S. Joan.
Chryf.
hom. 34.
in Joan.

Cant. 8.
S. Greg.
& Cassiod.
ap. Scherlog.
Bruno S.
in Cant.

S. Chry-
sof. hom.
53. ad
pop.

Barcl. in
Arg.

Drexel.
Joseph. c.
2. §. 2.

*S. Aug.
ser. de
verb.
Dom.*

satur quàm inter ambitiosos, unde monitum S. Augustini est: *INVIDIA est filia superbiæ: sed ista mater superbia nescit esse sterilis, continuo parit, suffoca matrem, & non erit filia.* Non contrariantur ista supradictis quod Invidia sit filia diaboli, quia S. Chrysostomus patrem, at S. Augustinus matrem assignat Invidiæ, ex diabolo igitur & superbia nascitur Invidia; tolle matrem, & resiste diabolo; vicisti malum. Concludo cum S. Chrysostomo, qui cum dixisset de Invidia; addit: *Quod igitur huius remedium? Communiter omnes oremus & unam pro talibus vocem emittamus tanquam pro energumenis: nam & ipsis hi miseres sunt, quantum & voluntarius est furor. Orationis enim indiget hic morbus, & plurimæ supplicationis.* Hoc unum esto remedium. Alterum porro suggerit idem S. Pater. *Fugiamus itaque pestem. Non enim licet illum ignem evadere diabolo paratum ab hoc malo non liberatis. Liberabimur autem si cogitemus quomodo Christus & nos dilexit, & alterutrum amare præcepit. Ite in pace.*

*S. Chry-
sost. hom.
53. ad pop.*

*Idem ib.
fin.*





DISCURSUS XIX.

Dominica XVII. post Pentecosten.

Statera Amoris.

T H E M A.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Matth. 22.*

SYNOPSIS.

- | | |
|---|---|
| <p><i>I. Bona animi preponderant bonis externis, si statera imponantur, Christus vero ponderat Amorem Dei & amorem proximi quasi ex equo, quia dicit secundum simile primo.</i></p> <p><i>II. Non habent homines justam Stateram, quia dicunt tenebras lucem, pluris faciunt terrena quam divina.</i></p> <p><i>III. Sapienter Demetrius pluris fecit studium Philosophiæ quam ingentem pecuniæ vim oblatam à Cesare, imò quam Imperium. Sic Deus sponsam suam orbi præfert.</i></p> <p><i>IV. Hinc illud præceptum Diliges Dominum Deum tuum</i></p> | <p><i>ex toto corde non ex dimidio, quia quidquid est extra Deum non satiat, uti expertus est David, qui satiandum se dixit cum apparuerit gloria Dei.</i></p> <p><i>V. Ita etiam expertus Augustinus. Unde juvenis qui audierat in schola Diliges Dominum Deum, recessit nolens plus discere donec hoc imple-ret opere.</i></p> <p><i>VI. Diligendus itaq; Deus qui prior dilexit nos, dilectionis verò Statera est impletio operis.</i></p> <p><i>VII. Ad hanc dilectionem hortabatur Sorores suas S. Maria de Pazzis, Crucifixum</i></p> |
|---|---|

velut in statera appensum ostentans.

VIII. Si verò totum Cor Deo impendi debet, quomodo potest diligere proximus? sed de diligendo Deo & proximo est unum mandatum & duo mandata quia nec Deus rectè amari potest sine proximo, nec proximus sine Deo. Et hæc est vera Statera Amoris.

IX. Quod Dorotheus expressit per figuram Circuli à quo plures lineæ ad centrum ducuntur, & quo propius accedunt ad

centrum, hoc propius accedunt ad invicem: sic tendendo in Deum, etiam invicem unimur.

X. Sæpe habemus occasionem hoc practicandi, sed sæpe cor dividimus, cum fratres non amamus. Per charitatem noscuntur Christiani, per hanc Pachomius conversus est; hanc jussus est predicare B. Marcus Ord. Min. vobis eam predicat Christus in Cruce veluti in Statera appensu.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Matth.* 22.

I.



Alpha Oratorum Cicero in suis Tusculanis Quæstionibus, sapienter inquit quantum bona animi præstent bonis corporis, & Fortunæ, appendens utraque in librâ Critolai Philosophi: *Quero inquit, quam vim habeat LIBRA illa Critolai; qui cum in alteram LIBRÆ LANCEM animi bona imponebat, in alteram corporis externa: tantum propendere illam boni LANCEM putat, ut terram & maria deprimat.* Dubio procul sententia fuit digna Philosopho præferentis animi bona, virtutes, & quæ has consequuntur affectiones, divitijs, honoribus, omnibusque extra ani-

*Cic. lib. 5.
Tuscul. 99.*

nimum corpori defervientibus. Id sensit & Seneca: *Bona illa sunt vera quæ ratio dat; solida ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrefcere quidem aut minui. Cætera opinione bona sunt; & nomen quidem habent commune cum veris, proprietates in illis boni non est.* In hodierno Evangelio nobis Christus ad LIBRAM & STATERAM appendit duplex bonum, geminum Amorem, Dei & proximi. Quæro quàm vim habeat LIBRA illa, quæ in altera lance continet *Amorem Dei*, in altera *Amorem proximi*. Neque abs re fuerit geminum hunc Amorem ponderare: non solum quia inter amorem Dei & proximi videtur maximum discrimen intercedere, quale inter Deum & hominem, & tamen Christus de secundo pronuntiat: *secundum verò simile est huic: verum etiam, ut qua ratione utrumque hunc AMOREM in STATE-RA appensum exercere oporteat, addiscamus.*

II. Conqueritur per Psalmistam Deus, quòd homines non adhibeant justam STATERAM in rebus dijudicandis. *Mendaces filij hominum in STATERIS.* Hugo Cardinalis hæc ad sensum moralem traducens primo ait querelam hanc esse de Ecclesiasticis de Curatis animarum: *quia hi aliter ponderant quando vendunt, aliter quando emunt. Quando predicant, tunc quasi vendunt, & venalia ostendunt cœlestia gaudia, & tunc satis faciunt ea ponderare, commendando ea. Quando autem operantur, tunc quasi emunt; & tunc faciunt cœlestia valde parum ponderare, quia aliquando nummus, vel delectatio transitoria, magis trahit eos, quàm bona cœlestia.* Deinde applicat idem Hypocritis, *quia opera eorum plus videntur, quàm in veritate ponderent.* Atverò S. Basilius universim ad omnes amatores sæculi respiciens, docet unicuique no-

strum

Sen. Ep.
74.Hugo
Card. in
Psal. 61.

strum à Conditore in occulto pectoris constructam esse quandam *STATERAM*, in qua possimus rerum naturas librare & discernere inter bonum & malum, unde inquit: *Mendaces igitur sunt homines corrupta habentes animi iudicia, quorum Propheta miseretur dicens: Vae vobis qui dicitis tenebras lucem &c. Male ponderas prava bonis præferens, vana veris potiora ducens, temporaria æternis præferens, prætereuntem voluptatem pro indefinente lætitia eligens.* Pari modo discurret Theodoretus ad illa verba Osæ Prophetæ: *Chanaan, in manu eius STATERA dolosa.* Ita inquit: *Et tu Ephraim imitans Chanaan malitiam, iniquam mentis STATERAM habes: justitiam semper vilipendis, iniquam potentiam exoptas, in divitijs elato spiritu es, & plurimum tibi arrogas &c.* Profectò si per orbem circumferamus oculos inveniemus plurimos eiusmodi Libripendes, in quorum manu *STATERA* dolosa, quos aliquando arguet Spirituum ponderator Dominus: qui aliam nobis *STATERAM* proposuit, in qua uti Critolai, videre est tantum propendere illam boni Lancem, ut terram & maria deprimat. Ait enim apud Evangelistam: *Quid prodest si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* quasi diceret, anima & eius bona intrinseca si appendantur in *STATERA*, præponderant universo mundo. Cordubensis Philosophus planè Christianè in hunc sensum: *Falleris & pluris quedam, quàm sunt, putas, adeoque falleris, ut quæ maxima inter vos habentur, divitiæ, gratia, potentia, sestertio nummo (id est minimi) æstimanda sint.* Quid ergo magnum censes mi Seneca? quid illud quod magni æstimandum? *Animus qui nunquam maior est quàm ubi aliena seposuit. Animus, sed hic rectus, bonus.*

*S. Basil.
in Psal.*

*Theodoret.
in Com-
ment.*

*Sen. Ep.
95.*

*Sen. Ep.
87.*

Quid

Quid aliud voces hunc quàm DEUM in humano corpore hospitantem? Hic sanè præponderat omnibus rebus creatis si cum illis STATERÆ justæ non do-
lofæ appendatur.

Idem Ep.
37.

III. Laudat idem Philosophus Demetrium vi-
rum magni animi, & justum eius libripendem.
Huic ingentem auri vim offerebat Cæsar, ut à Phi-
losophiæ studio revocaret. Quid ad hoc Demetri-
us? *Ridens reiecit, ne dignam quidem summam judicans
qua non accepta gloriaretur. Reddendum egregio viro
testimonium est, ingenti ore ab illo dici audi-vi, cum mira-
retur dementiam eius, quod se putaret tanti posse muta-
ri. Si tentare me constituerat toto illi sui experiendus im-
perio.* Nempè hic pluris fecit animum virtutibus
cultum, quàm totum Romanum Imperium. Imò
nobis Christianis præferendus animus Deum a-
mans toti mundo. *Exiguus tibi totus terrarum orbis
est* (inquit S. Ambrosius) *præ unius animæ dispendio.*
Tanti facit Deus ipsè unam animam. Quod sponsa
in Canticis expressisse videtur. *Ego dilecto meo & ad
me conversio eius.* Quæ digerens Theodoretus hanc
addit paraphrasim: *Ego ex eo pendeo, & illi me ipsam
dicavi, nam ipse me orbi prætulit, & sibi copularvit.*
Quasi diceret: una cum Deo me ad unam STA-
TERÆ lancem imposui, & ita per ipsum toti orbi
præpondero. Et ideò quidem ad ipsum me con-
verto, quia ipsè prior se ad me convertit, meq; or-
bi præposuit, & pluris æstimavit. Optima ratio ar-
gumentandi. Quia Deus pluris facit unam ani-
mam quàm totum mundum, æquum est, & à for-
tiori ut anima Deum pluris faciat quàm totum
mundum.

Sen. lib. 7.
de Benef.
c. 11.

S. Amb. l.
de bon.
mor. c.
51.
Cant. 7.
Theodor.
in Cant.

IV. Atq; hoc est quod hodie Salvator noster
Dom. Pars II. Ii do-

docere voluit : Hoc est primum & maximum mandatum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* non ex parte cordis, non ex diviso corde *sed ex toto corde.* Humanum cor figuram habet triangularem, non expletur nisi Triangulo, Deo Trino & Uno : quidquid aliud ingesseris, explere non potest : ne quidem toto mundo expleveris, quia mundus rotundus est, & non est proportio rotundi ad triangulare. Canebat olim Martialis :

*Mari. lib.
12. Epig.*

Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

cur nulli satis? quia terrena non satiant, omnis satietas mundi est nova sitis. Contemplemini Davidem. Fuit ille pastorculus & dedit illi Deus vires ac robur ut leonem & ursum dilaceraret : Quid amplius desideras mi David? Etiam giganteam molem Goliath prosternere. Stravit, & de Goliatho triumphavit David, illicò gloriosus apud omnem Israël. Quid amplius David? num expletum est cor tuum? Minimè per ista. Factus etiam Regis gener, factus intimus Regis filio : factus deniq; Rex in Israël. Jamne cor tuum satiatum est David? ex Pastore miles, ex milite victor gigantis, ex victore gener Regis, ex genero Regis Rex effectus: fatetur hæc omnia in mundo quidem magna, minora tamen esse quàm ut sufficiant ad Cor implendum. Quid ergo desideras mi David? *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Quasi diceret Cor triangulare non expletur nisi triangulo divino; omnia mundi bona leviora sunt quàm ut possint explere cor humanum. Satiabor cum possedero Deum : *Quoniam tanquam momentum STATERÆ, sic est ante te orbis terrarum.* Idest tanquam exiguum quid

Psal. 16.

*Sap. 11.
v. 23.*

&

& vix perceptibile quod STATERAM in æquipondio ad alteram partem inclinare potest.

V. Expertus hoc Augustinus, qui aiebat : *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Verè inquietum, ubicunq; fuerit, & quocunq; fruatur, extra Deum. Unde idem sanctus etiam donis Dei quibuscunq; negat Cor suum expleri posse nisi Deo accedente : *Omnino me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi seipsum Deum. Quid est Sol ? quid Luna ? quid exercitus Angelorum ? Creatorem sitio, ipsum esurio : ipsi dico : Apud te est fons vite, qui dicit ego sum panis vite : satiabor igitur cum apparuerit gloria tua.* Cùm ergo nihil sit extra Deum quod animum humanum possit satiare, enitendum nobis est, ut exclusis omnibus alijs creaturis ipsum solum amemus, quod adolescens ille Parisiensis fecisse dicitur, qui Academiam ingressus Professorem Scripturæ sacræ audivit explicantem verba illa : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, illicò abiit, & interrogatus, cur tam cito è schola se proriperet. Satis, inquit, Doctrinæ habeo, non peto plura discere, donec istud opere complevero. Certè hæc lectio talis est ut multorum annorum exercitatione indigeat : non minus quàm illa cui Paulus Anachoreta se impendit. Nam & ipse cùm illiteratus esset, ac Psalmos sibi ab alio legi peteret, audito illo primo versu Psalmi 38. *Dixi custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea.* Satis est, inquit, non peto plura. Unus hic versus sufficiet si opere implevero. Et post novemdecim annos adhuc fatebatur, vixdum se scire opere implere versum quem didicerat.

S. Aug.
ser. 16.
de verb.
Dom.

Psal. 38.

VI. Ad hanc dilectionem Dei ex totò corde

*Prov. 10.
S. Tho. O-
pusc. 61. c.
11.*

motivum unum nobis suggerit S. Thomas, dum illa expendit: *Multi sunt amici dona tribuentis.* Ait quippe: *Præponderat evidenter Deus, qui tibi communicans, & dat de suo, & se, de donis datis magna & multa donavit de præterito: donat & donare non cessat in præsentem: sed maxima & plura donabit in futuro.* Observate verbum *Præponderat.* Quo veluti beneficia divina & ipsum Deum ut nostri amantem ponit ad *STATERAM* cum nostro amore reciproco. Quantumcunq; amaverimus, quantumcunq; ei servierimus, nihilominus eius beneficentia & amor in nos maior erit & *Præponderat evidenter Deus.* Nam si vel unum beneficium Redemptionis consideres, hoc tantum est, ut omnibus omnium hominum amoribus & servitijs præponderet: & vix aliud æquè efficax est ad cor nostrum inflammandum amore divino: Ideo aiebat Eusebius Emiffenus: *In TRUTINA Crucis non aurum vel argentum, non aliquod corpus Angelicum, sed semetipsum passus est author salutis APPENDI, ut dum à perditione nos redemit, ad charitatem nos suam vehementius excitaret.* Diligamus ergo eum qui prior dilexit nos, non verbo sed opere hoc quippe est Deum diligere. *Æquissima AMORIS STATERA* præceptorum impletio est, inquit S. Laurentius Justinianus: nam hoc ipsum profitetur veritas: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.*

*Euseb. E-
misse.
hom. 2. de
symb. ap.
Mansi.
To. 1.*

*S. Laur.
Justin.
Fascic. a-
mo. c. 13.
Joan. 14.*

*P. Barry
in Favor.
Jesu.*

VII. Ad dilectionem assiduè hortabatur sorores suas S. Maria Magdalena de Pazzis, verbo & facto, dum ipsa divino amore æstuans sæpè aquæ refrigerio pectoris ardores sibi temperare cogebatur, & per monasterij ambitus arrepta Crucifixi effigie discurrens clamaret: *O amor! ô amor! ô amor!*

nunquam cessabo te vocare Amorem, spem nostram, & omnia. Dein conversa ad sorores: Nescitis mea sorores, quod noster JESUS non sit aliud quàm purus Amor? quod cum diceret, monstrabat Crucifixum: & rursus illum alloquebatur: O Domine da mihi tam fortem vocem, ut cum te Amorem voco, vox mea ab ortu ad occidentem, & in omnibus finibus orbis, usque ad inferos audiatur; ut omnes te ceu verum Amorem agnoscant, ament, & gratias tibi agant. Inter hæc apprimebat pectori Crucifixum, osculabatur, tergebat eius sudorem & sanguinem, ut mirum visum sit, strophia deprehensa tota madida, acsi verè Christo patienti id genus obsequij præstitisset. Hæc & similia, quæ in sanctis mira sunt, non requiro à vobis AA. suffecerit Amorem Dei in nos sæpius in memoriam reducere, & viceversa amorem nostrum erga Deum animare, & velut in STATE-RA appendere: Et si deprehenderimus nos minus multo redamare quàm amemur: nobismetipsis cum metu & tremore illud occinere: *Appensus es in STATE-RA, & inventus es minus habens.* Vide ergo ut quod hætenus neglexisti, compenses ardentius amando Deum tuum.

VIII. Dicebam supra Cor humanum triangulare esse & à solo Deo explebile; imò à solo expleri debere. Hinc possèt nonnemo quæstionem movere, ubi ergo locus erit proximo, aut quomodo possumus proximum diligere, si totum Cor debemus Deo diligendo impendere? *Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget.* Dicit ipse Christus. Sed qui penetrat naturam Amoris Dei & amoris proximi, facilè concludet, unum sine altero non posse subsistere. Id-

que ex gemino textu apparenter contrario elicitur. Nam Christus dicit: *Diliges Dominum Deum tuum. Et diliges proximum tuum &c. In his duobus mandatis, uniuersa lex pendet.* Econtra S. Paulus scribens ad Romanos aiebat: *Qui diligit proximum legem implet.* Num sibi mutuo aduersantur Christus & Paulus? Christus docet à duobus mandatis pendere legem, Paulus verò à solo mandato diligendi proximum.

*D. Tho. in
Ep. ad
Gal. c. 5.*

Obuiat dubio S. Thomas: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, & è conuerso proximum diligamus propter Deum; impletur ergo tota lex in uno præcepto charitatis.* Non potest esse vera dilectio Dei ubi abest dilectio proximi, nec vera dilectio proximi, ubi abest dilectio Dei. *Per amorem Dei (ut loquitur S. Gregorius) gignitur amor proximi, & per amorem proximi amor Dei nutritur.* Duo hi AMORES in una ponderantur STATE-RA, & quia utramque lancem Deus implet, licet in utraque accedat proximus, ideò æquipondium quoddam est, ut Christus dicat *Secundum verò simile est huic.* Simile dicit non æquale, simile, inquam, quia & homo ideò diligendus est, quia similis Deo. Hoc insinuabat S. Laurentius Justinianus dicendo: *STATERAM* quandam spiritualem diuini AMORIS, proximi voluit esse dilectionem.

*S. Greg.
lib. 7.
Moral.*

*S. Euseb.
Justin.
fasc. am
c. 1.*

S. Dorothe.

IX. Eleganti similitudine hoc expressit S. Dorotheus: *Circulum fingite mundum esse, centrum autem circuli Deum, lineas autem à circulo in medium deductas vias credite varias negotiationesq; mortalium. &c.* Omnes una in Deum velut centrum tendimus, & quo magis ad hoc centrum appropinquamus, hoc magis invicem unimur, sicut lineæ à circulo ad centrum ductæ, quo propius centro accedunt, hoc

magis sibi invicem appropinquant. Et non est *Qui-
es nisi in Centro*. Sic uno eodemq; Amore in Deum
ferimur & proximum. Sapiens Idiota id observans
aiebat : *Quid est quod scribitur, qui proximum diligit, le-
gem implet ; nisi quod qui diligit proximum, diligit & te
Deum, quia eadem est virtus & dilectio qua quis utrumq;
diligit*. Sed occurrit iterum dubium : si eadem cha-
ritate Deum & proximum diligimus, cur non di-
cit Christus : *Diliges proximum tuum ex toto corde
tuo*, cum tamen dicat de hoc præcepto : *Secundum
verò simile est huic* : sed addit solummodo : *sicut tei-
psum ?* Malè diligit qui seipsum diligit sicut Deum ;
malè igitur etiam diligeret proximum si diligeret
sicut Deum. Proinde inter *Amorem Dei*, & Amo-
rem proximi similitudo quidem est, non tamen æ-
qualitas, ut docet S. Thomas : *Sicut teipsum non est
referendum ad æqualitatem dilectionis ; ut scilicet aliquis
teneatur diligere proximum æqualiter sibi : hoc enim esset
contra ordinem charitatis, quo quilibet plus tenetur suam
quàm aliorum salutem curare*. A fortiori quilibet tene-
tur plus honorem Dei procurare, quàm suum, plus
Deum diligere, quàm seipsum. Hic enim est ordo
charitatis, Deum ante omnia diligere, tum suam
salutem, demum quantum licet etiam proximi sa-
lutem operari. Et sic ordinata charitas omnia de-
mum refundit in ultimum finem, in Deum, qui est
CENTRUM omnis AMORIS : sic appenditur di-
lectio Dei, & dilectio proximi in STATERA
AMORIS.

X. O quàm magnam & frequentem habe-
mus occasionem implendi hoc utrumq; præcep-
tum, & diligendi Deum, & diligendi proximum !
Non petuntur à nobis ecstasès & raptus quibus
sancti

Idiota lib.
de amo.
Dei.

S. Tho. in
c. 13. Ep.
ad Rom.

sancti in dulcedine charitatis divinæ absorbebantur : non requiruntur à nobis miracula. Facillimum est in praxim redigere : *Dilige proximum tuum sicut teipsum.* Nemo seipsum ita odio habet, ut sibi malum velit, quatenus malum est ; igitur saltem proximo nunquam malum facias, procures, optes. Nemo est, qui non sibi desideret sanitatem, divitias, honores, bonam famam, quietam vitam. Hæc ipsa proximo & optare, & favere, & procurare pro posse, est proximum diligere sicut teipsum. At sibi sanitatem, proximo morbum ; sibi divitias, proximo egestatem ; sibi honores, proximo contemptum ; sibi bonam famam proximo infamiam ; sibi quietem, proximo turbationes optare, procurare, & in ijs delectari non est diligere sed odisse, & dividere inter Deum & hominem. Dei jussu clamat Oseas : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Ad quæ respiciens S. Thomas inquit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Ex toto corde non dimidio : divisio cordis causat mortem.* Et Gillebertus Abbas scribens in Cantica : *Durum est amanti animum dimidiare cum Christo & mundo : durum est in dilectionis jura peregrinas admittere curas.* Durum etiam sui amore proximum odisse, suæ utilitati, proximi commoda succidere, sibi congregare, alteri invidere ; se nunquam negligere, ad damna aliorum lætari. *O Dura sicut infernus æmulatio !* Discamus à primis Christianis charitatem in proximum, quorum erat *cor unum & anima una*, quibus ita erant omnia communia, ut nemo quisquam plus possideret : qui ultro non rogati, & hospitales erant, & in necessitatibus large subveniebant, quorum charitatem suspexerunt etiam fidei Christianæ hostes. De S. Pachomio

Ose. 10.

*S. Thom.
Opusc. 61.
c. 10.
Gilleb.
Abb ser.
1. in Cant.*

mio narrat Baronius quod cum videret à Christianis largam stipem & annonam suppeditari militibus Constantini quos victui necessaria defecerant, miratus promptitudinem & alacritatem in largiendo, interrogaverit, quodnam hoc esset hominum genus, audissetque esse Christianos, illicò exclamans: *Non potest non optima esse illa Religio, quæ ita homines informat ad charitatem.* Et cum ipse tunc Paganus esset, vel ex hoc motivo Christo nomen dedit: ut scilicet conjunctus per charitatem proximo per eandem cum alijs dilectionem tenderet ad *Centrum Amoris*, quod est Deus. Beato Marco de S. Maria in Gallo Ord. Minorum oranti cœlestis vox allapsa est: *Frater Marce prædica charitatem.* Qua voce ita accensus est, non Dei solum amore sed proximi, ut per omnem Italiam discurrens, opera misericordiæ tam spiritualia quàm corporalia per annos quadraginta commendare non cessaverit, maximo cum emolumento Auditorum. Non egemus nos alia prædicatione de charitate. Aspicite ipsam charitatem Dei, Jesum in STATERA Crucis seu AMORIS appensum: hic propter nimiam charitatem suam, seipsum pro nobis obtulit. Ingratissimi sumus si non viceversa illum diligimus. Sed quomodo? *In Christi dilectione modus nullus esse debet; sine modo te dilexit, sine modo diligere debes.* Amen. Fiat.

Baron.
Annal.
Eccl., To.
3.

Bolland.
A8. SS.
Martij
To. 3.

S. Bern.
de dilect.
Dei.



DISCURSUS XX.

Dominica XVIII. post Pentecosten.

Venatio Muscarum.

T H E M A.

Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris. *Matth. 9.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|---|--|
| <p>I. Venatio belli tyrocinium, o-
tij profligatrix, multis fami-
liaris, Ecclesiasticis tamen
non commendata; nisi mora-
lis, qualis nunc placet, eritq;
Venatio muscarum, seu co-
gitationum.</p> <p>II. Nihil tam magnum est cui
non periculum à minutis.
Deus multa operatus est per
cynepthes, muscas, & eiu-
modi animalcula.</p> <p>III. He muscæ sunt Cogitatio-
nes, quæ perdunt suavitatem
unguenti seu gratiæ divini.
Tales habuit Prodigus qui cum
muscis suam consumpsit sub-
stantiam.</p> <p>IV. Tales habuit Nabuchodo-
nosor, & cum eo omnes su-
perbi qui velut aranearum</p> | <p>telis capiunt Muscas honores
& estimationem: Utinam il-
las venarentur & configerent
uti Domitianus.</p> <p>V. Fratres Iosephi etiam passi
sunt ab hisce muscis, quia
cogitaverunt eum occidere,
& hoc fuit illis instar actualis
homicidij.</p> <p>VI. sed vel in hoc facto offen-
dit Deus quam vana sint co-
gitationes hominum, qui dum
mala cogitant, Deus conver-
tit in bonum.</p> <p>VII. Dæmon illas immittit ve-
lut apes mansuetas, uti eas ap-
pellabat Heliogabalus, sed hæ
apes & muscæ sunt crudeles,
figunt aculeum, qui penetrat
ad interiora.</p> <p>VIII. Theophrasti opinio fuit
quo-</p> |
|---|--|

quorundam hominum mole-
storum & impudentium ani-
mas transire in muscas; &
re ipsa multi ijs adherent vi-
tiosi, sicut miles Hispanus qui
erumpens in blasphemias ca-
stigatus est aculeo Muscæ.

IX. Quia per quæ quis peccat
per ea punitur, uti experti
etiam Carolus Siciliæ & Phi-
lippus Galliæ Reges musca-
rum exercitu repulsi à sepul-
chro S. Narcissi. Ita etiam
Sapor Rex Persarum à Ni-
sibi.

X. Multæ muscæ ledunt ad
mortem, etiam cogitationes,
& vel una quam immittit
Beelzebub (quod significat
Deus vel Idolum Muscarum)
sufficiens est ad necandam a-
nimam.

XI. Auferamus ergo malum
cogitationum nostrarum, co-
gitemus rogos sulphureos in-
ferni, muscæ moriuntur o-
dore sulphuris. Sit anima no-
stra ut sacrarium, sinus nos-
tra ut Hercules; nulla muscæ
ingreditur fanum Herculis.

Ut quid cogitatis mala in cordibus ve-
stris. *Matth. 9.*

I.



Venationem proprium Principum &
Magnatum oblectamentum & quod-
dam veluti belli tyrocinium com-
mendant passim veteres, quia Soli,
pulveribus, equo, laboribus assuefa-
cit, otium malorum omnium origi-
nem proscibit, & cum sanitatem conservat, vires
auget ac roborat. Unde castam Dianam cum Nym-
phis venationi assuetam fingunt Poëtæ, quia casti-
tas inimica est otij, & viceversa, ut observat My-
thologus. Pompeius magnus post victorias in Afri-
ca reportatas, venationem aggressus est leonum &
elephantorum, ut etiam feræ (sic ille aiebat) vim
& fortunam experirentur Romanorum. Apud Per-
sas puberes semel quot mensibus ad venationem

*Nat. Com.
lib. 3. c.
18.*

*Xenoph.
in Cyro-
ped.*

procedunt. Idem præscripsit Lacædæmonijs Ly-
curgus ut discerent perferre militares labores. In
Ecclesiasticis tamen reprehendunt SS. Patres & Ca-
nones studium venationis. Petrus Blessensis refert
à Nicolao Papa excommunicatum Lanfredum E-
piscopum, quod venationi deditus esset. *Ab exor-
dio mundi (inquit) percurrite SS. Patrum seriem, nul-
lum invenietis venationi studium impendisse.* Et S. Hie-
ronymus qui refertur in Can. Esau. 86. dist. *Esau
venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non in-
venimus in scripturis sanctum aliquem venatorem, pesca-
tores invenimus sanctos.* S. verò Augustinus vena-
toriam appellat artem nequissimam. *Qui venato-
ribus donant non homini donant, sed arti nequissima.
Nam si homo tantum esset, & venator non esset, non do-
naret: honoras in eo vitium non naturam.* Nolo nunc
causas exquirere cur SS. Patres tantoperè abhor-
ruerint à venatione, & personas Deo dicatas ab ea
removeere voluerint. Ævi nostri indulgentia detra-
xit Venationi vitij nomen. Puto tamen quod bona
ipsorum venia mihi hodie licebit venari spirituali-
ter, & indicare quandam VENATIONEM MUS-
CARUM. Quod cogitationes pravæ, vanæ, otio-
sæ, malignæ sint quædam MUSCÆ, & ipsi scitis ex
vulgato loquendi modo, quo de homine perversa
cogitante solemus dicere *MUSCAS habet*, & ple-
nius id ex præsentis Discursu intelligetis, dum Chri-
sti exemplo profundas quorundam & inquietas
cogitationes rimabimur: *Ut quid cogitatis mala in
cordibus vestris.*

*Pet. Bless.
Epist. 56.*

*S. Hieron.
in Psal-
90.*

*S. Aug. in
Ps. 102. &
hab. c.
Qui vena-
torib. 86.
diss.*

II. Nihil tam firmum habet natura, cui non
possit creari periculum etiam ab invalido. Minima
sæpè maximorum sunt origo malorum. A cunicu-
lis

lis suffossum in Hispania oppidum Varrone teste, à talpis in Thessalia, à ranis in Gallia, à locustis in Africa. Ex Gyaro insula Cycladum incolæ à muribus fugati sunt. In Italia Amyclæ à serpentibus deletæ, à scolopendris abacti Trierienses, ut non debeant cenferi exigua, quæ ingentium damnorum sæpè causam dederunt. MUSCA insectum vile, exili corpusculo, molestissimum tamen hominibus, & non semel assumptum instrumentum à Deo castigandis peccatoribus, quanto robore polleat ex dispositione Dei, vel ipsæ sacre pagine testari possunt. Prædicat Isaias Propheta: *Sibilabit Dominus MUSCÆ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & Api quæ est in terra Assur, & venient. In illa die vadet Dominus in novacula conducta in bis qui trans flumen sunt.* &c. Prædem id fecerat dum castigaret duritiem Pharaonis. Ordiamur ergo VENATIONEM nostram in Ægypto. Induraverat cor suum Pharao resistens voluntati divinæ: congregavit Deus exercitus minorum animalium contra illum, ranas, cyniphes, MUSCAS. Magnam intulerunt calamitatem Ægyptijs cyniphes quas describens Origenes ait: *Hoc animal pennis quidem suspenditur per aëra volitans, sed ita subtile est & minutum, ut oculi visum, nisi acutè cernentis effugiat: corpus tamen cum insederit acerbissimo terrebat stimulo, ita ut quem volitantem videre quis non valeat sentiat stimulantem.* Magna hæc plaga fuit Ægyptijs, qua tamen Pharao non fuit emollitus. Supervenit MUSCARUM exercitus omnis generis. *Et venit MUSCA gravissima in domos Pharaonis, & servorum eius, corruptaq; est terra ab huiusmodi MUSCIS.* Hæ tandem expugnarunt du-

Isai. 7. 18.

Orig. in
Exod.Exodi. 8.
v. 24.

ritiam Pharaonis. Tantæ vires sunt etiam exiguis animalculis.

III. Non immoror literali sensui, sufficit moralis ad meam intentionem. Hugo Cardinalis in hunc locum insinuat per MUSCAS intelligi posse pravas COGITATIONES & curas sæculi, unde allegans S. Gregorium ait: *Nihil laboriosius, quàm de terrenis desiderijs aestuare. Ægyptus percutitur MUSCARUM multitudine. De his MUSCIS dicitur. Eccle. 10. MUSCÆ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Ad maiorem huius moralitatis explicacionem advocemus autoritatem S. Bernardi, qui hunc locum attingens adducit alium textum. *MUSCÆ morientes exterminant suavitatis unguentum. Pravi sunt sensus hominis & COGITATIONES in malum ab adolescentia sua.* Quasi diceret: hæ MUSCÆ, quæ cor hominis perturbant pungunt & molestant sunt COGITATIONES malæ impellentes ad superbiam, avaritiam, luxuriam, invidiam, &c. ad quæ natura corrupta de se proclivis est. Unde adducit idem mellifluus Doctor exemplum filij Prodigii, qui *Omnia bona sua dissipavit vivendo luxuriose cum meretricibus. Quæ nam hæ meretrices? vide ne ipse sint, quæ exterminant suavitatis unguentum carnales videlicet concupiscentiæ. Merito moriturus describit sapiens, quoniam & mundus transit, & concupiscentia eius. Hæ proxius MUSCÆ sordide & pungentes, quæ in nobis decorem naturæ sædant, mentem curis & sollicitudinibus lacerant, socialis gratiæ suavitatem exterminant.* Parva res est simplex objecti alicuius cogitatio, parva eiusdem consideratio, sed à parvis initijs ad magnam pervenitur ruinam, dum COGITATIO parit delectationem, delectatio consensum,

Hugo
Card. in
Exod.

S. Greg.
lib. 18.
Mor. c.
28.

S. Bern.
ser. 44. in
Cant.
Gen, 8.

consensus peccatum, peccatum exterminium gratiæ, & mortem animæ, *MUSCÆ morientes per-
dunt suavitatem unguenti.* Filij hominum ut *quid cogitatis mala in cordibus vestris.*

IV. Transeamus in Babylonem, ibi video Nabuchodonosoris animum plenum MUSCIS. *Ego Nabuchodonosor, fatetur ipse, somnium vidi quod perterruit me: & COGITATIONES meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me.* Quales visiones & COGITATIONES: nempe arbor procera, repente succisa; potuit illicò sibi imaginari suæ magnitudini & superbiæ imminere grave casus periculum: hinc COGITATIONES molestæ, quæ mentem sollicitudinibus lacerabant. Superbi & ambitiosi toti in eo sunt, ut altius semper & altius scandant, etsi non consequantur quod optant cruciantur, mörficantur, inquieti sunt. Petrus Blessensis conatus illorum & studia comparat labori aranearum, quæ magno labore telam texunt ut capiant MUSCAS, idest inanem gloriam, æstimationem, applausum. *Perditæ vitæ homines se laboribus torquent, cruciant curis, expensis eviscerant, telam texunt, ut capiant MUSCAM vilissimam. Quid est inanis gloria quam VENANTUR, nisi MUSCA?* Ita Blessensis. Et tamen quid non moliuntur, quantum temporis impendunt mundani in talium VENATIONE MUSCARUM? Filij hominum ut *quid cogitatis mala in cordibus vestris?* De Domitiano Imperatore meminit Suetonius, quod ferè quotidie secretam sibi horam sumere solebat, nec aliud agere quàm MUSCAS capere ac stylo præacuto configere, ut cuidam interroganti, essetne aliquis intus cum Cæsare, responsum sit à Vibio Crispo: *Ne*

MUS-

Dan. 4.

*Pet. Bless.
Epist. 14.*

*Suet. in
Domit.
Eutrop. l.
9. c. 3.*

MUSCA quidem. Hoc idem agunt honorum, titulorum, gloriæ *VENATORES*, evanescent in *COGITATIONIBUS* suis : atque utinam has *COGITATIONES* velut molestissimas *MUSCAS* configerent, & conarentur penitus extirpare, sed illis volupe est habere plenum cor ejusmodi *MUSCIS*, quæ exterminant suavitatem unguenti, pessundant gratiam Dei.

V. Venemur etiam in terra Chanaan, ibi fratres Joseph audito portentoso somnio junioris fratris : *COGITAVERUNT illum occidere*. Invidia dæmonis filia patet ejusmodi *MUSCAS* nulli magis noxias quàm possessori : sive enim effectum fortiantur, sive frustrentur ; lancinant & torquent animum. Job de se factus est : *Cogitationes meae dissipatae sunt torquentes cor meum*. Sic licet fratres Josephi non fecerint quod *COGITAVERUNT*, ipsum tamen propositum illis afflictionem attulit : unde post multum temporis : recordati injuriæ cùm in Ægypto vellent emere frumentum, & ab ignoto fratre detinerentur, aiebant : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*. Et Ruben unus fratrum : *Nunquid non dixi vobis nolite peccare in puerum, & non audistis me. En sanguis eius exquiritur*. Fuerunt illis tam amaræ *COGITATIONES* quàm factum, & quod facere *COGITAVERUNT*, quasi reipsa se putabant fecisse. Et ita est *COGITATIO* mala quasi ipsum factum reputatur. Unde in hunc locum S. Chrysostomus : *Sanguis eius exquiritur ; nam quantum ad propositum vestrum occidistis : Licet enim non per gulam gladium transmiseritis, barbaris tamen viris eundem vendidistis*. Voluntas & cogitatio mali pro facto reputatur, & *MUSCÆ* morientes

Gen. 37.

Job. 27.

Gen. 42.

S. Chry.
sost. hom.
65. in
Gen.

exterminant suavitatem unguenti. Ut quid ergo cogitatis mala in cordibus vestris?

VI. In hoc factō, vel potius proposito fratrum Josephi adverto, quomodo Deus COGITATIONES hominum dissipet, & ostendat sæpè vanas esse, quia *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Moliebantur fratres Josephi contraire visioni vel somnio fratris ne illum adorarent, sed erant *cogitationes eorum COGITATIONES inutiles.* Pagninus legit *Cogitationes iniquæ.* Nam quantumcunq; voluerint effugere quod somnium portendebat, in illud tamen ex improviso inciderunt. Unde cum iam adorassent fratrem ignari quem adorarent, & Joseph se illis manifestasset, dederunt tandem victas manus: *Veneruntq; ad eum fratres sui, & proni adorantes in terram, dixerunt: servi tui sumus.* Et ille solatus anxios egregio documento instruxit: *Num Dei possumus resistere voluntati? Vos COGITASTIS de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Incassum laboramus si volumus Dei voluntatem infringere: *Dominus scit COGITATIONES hominum quoniam vane sunt.* Nostra proposita, nostra consilia, præsertim mala & Dei consilijs contraria meræ MUSCÆ sunt, quas nobis immittit infernalis Venator, qui ideò appellatur Beelzebub, *Idolum Muscæ*, ut interpretatur S. Hieronymus, quia tales MUSCAS & cogitationes immittit homini, quibus eum perturbat, affligit, & ultimò tandem per eas exterminat gratiam divinam. *Diabolus in toto corpore hominis* (inquit S. Antonius Paduanus) *nullum membrum ita conveniens ad VENANDUM, ad speculandum, ad decipiendum invenit sicut COR hominis, quoniam ex*

Prov. 21.

Isai. 59.

Gen. 50.
v. 18.Ibid. v.
20.

Ps. 93.

S. Anton.
Pad. ser.
Dom. 1.
Quad.

ipso vita procedit. In corde VENATUR COGITATIONES bonas, immittendo MUSCAS COGITATIONES malas, ut unde vita procedit, ibi inferat mortem. Hoc est quod dicebat Christus. *De corde exeunt COGITATIONES male, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemie: hæc sunt quæ coinquant hominem.* Observare poteritis per experientiam quòd MUSCÆ nusquam libentius sedeant quàm in Albo, pariete, tela, papyro, & illicò ubi confederint maculant. Hoc molitur diabolus, ut immittendo MUSCAS malas COGITATIONES coinquant hominem, puram maculent Conscientiam.

VII. Et videte hostis maligni vafritiem dum malas COGITATIONES immittit, persuadet eas quasi bonas, imitatus Heliogabalum, qui suis Parafitis annua mittere solebat donativa in vasis occlusa: Uni meras ranas, alteri meros scorpiones, tertio serpentes. demum etiam uni claudebat (ut loquitur Lampridius) in eiusmodi vasis infinitum *MUSCARUM Apes mansuetas eas appellans.* In Paradiso dæmon invidens hominum felicitati hac arte usus est ad supplantandam Evam. *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis? Nequaquam moriemini: eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Ecce quales immittit MUSCAS, quales COGITATIONES, quasi meras *Apes Mansuetas*, & sunt pessimæ MUSCÆ, sunt peiores quàm Cynephes, sunt noxiæ vespæ, quarum morsus penetravit ad animam, & ad mortem totius posteritatis. Una cogitatio peperit delectationem *vidit igitur mulier*, delectatio peperit consensum: *& tulit de fructu*; consensus peperit actum peccaminosum; *& comedit.* Actus peperit mortem: *Pulvis es & in pulverem revertaris*

Matth. 15.

*Lamprid.
in Heliog.
c. 26.*

ris. Die iam Eva, die Adame has esse *Apes mansuetas*, quæ ita pungunt & vulnerant in mortem. Ponderans hæc D. Chrysoftomus : *Tales* (inquit) *sunt machinationes inimici, ut quando per deceptionem in sublime subduxerit, tandem & in profundum per præcepta deiciat. Igitur ut divinitatem mente sua imaginata est, ad esum properavit : & illuc postea fixit & COGITATIONEM & mentem.* In omni peccato primum est suggestio diaboli, velut quoddam donativum Heliogabali, mox COGITATIO mala, quam consequitur imaginatio delectationis, ut credantur *Apes mansuetæ*, quæ sunt MUSCÆ aculeo suo pertingentes ad interiora, & perniciem hominis. Obstandum principijs. *Ut quid cogitatis mala?*

VIII. Theophrastus docebat animas relicto corpore MUSCAS, & similia bruta sectari, quorum opera fuerint imitatæ. Potissimum verò eorum putabat MUSCIS adhærere, qui vagis & promiscuis molestis COGITATIONIBUS se immergerent, nullum enim MUSCÆ ordinem certum servant in volando, & ubique insident, mox iterum avolaturæ. Unde Euxitheus apud Æneam Platonicum, ut quendam Hyperbolum imprudentiæ notaret, respiciens ad Theophrasti doctrinam, aiebat. *MUSCA item Hyperbolum trahet.* Nihil quippe imprudentius est *MUSCA*, decies repulsa redit. O quam multos trahunt MUSCÆ malæ & noxiæ COGITATIONES, quas utinam repellerent, quoties redeunt : sed multi eas sibi sponte accersunt in suam perniciem. *MUSCA item avarum trahit*, dum noctes diésque COGITAT, quomodo fœnus exerceat, quomodo opes augeat per fas nefasque. *MUSCA item gulosum trahit*, dum nihil animo versat ni-

S. Chry-
soft. hom.
16. in
Gen.

Pier. Va-
ler. Hier.
vogl. l. 26.

si edulia, cibum & potum. *MUSCA* item blasphemus *trahit*, dum suis cupedijs delusi & in *COGITATIONIBUS* errantes demum maledicam linguam in Deum resolvunt, quos Deus cum punire posset eiusmodi minutis animalculis ut Pharaonem, clementer tamen dissimulat. Narrat Pelbartus de milite quodam levis animi in Hispania, cui cum taxillorum lusum malè cessisset perdita magna summa pecuniæ Deum tacitus precari cœpit, ut saltem jacturam resarciret. Hæ fuerunt *COGITATIONES* bonæ, sed alias illi dæmon immisit velut *MUSCAS* molestas: cum enim ludendo omnes loculi jam essent exhausti, ut etiam vestimenta perderet: vecors homo in *DEUM* exarsit, quia vocatus in subsidium noluit improbi lusoris causæ patronum agere, domum reversus arma induit, petus lorica, caput galea, cœtera membra ferro & chalybe munit: mox inscensò equo properavit in forum, & in confertum hominum cuneum progressus, rogat si quisquam præsens Numinis assertor esset, protinus arma indueret, & eques aperto campo congregeretur, nullum sibi esse numerum formidabilem, exciperet alter alterum, facturum se omnes succidaneam hostiam, & multiplici victoria demonstraturum nullum in cœlis Deum esse, quem vereri debeat. Hæc tam nefanda blasphemia, omnes reddidit attonitos, sed Deum provocavit ad clementem correctionem impij lusoris. Advolavit unica vespa vel *MUSCA*, quæ per fenestratæ galeæ foramen penetravit castigatura improbas *MUSCAS* malas *COGITATIONES* hominis desperati. Cœpit illa aculeo frontem figere, & tantum cum doloris sensu terebrare, ut puncturæ impati-

Pelb. ser.
10. in
Expos.
symb.
Germ. fid.

ens galeam capiti detractam humi abijceret. Sed bestiola liberiolem sic nacla aditum, grassari ulterius institit, omnemque vultum crebris infestare punctationibus. Non supererat alia evadendi via efronti provocatori, nisi ut equo desiliens faciem terrae applicaret: neque tamen sic amolitus est malum. Nam MUSCA ad occiput & sanam corporis partem iras convertit, donec insolens Thraso imbelli hosti herbam porrigeret, & clara voce gembundus confiteretur Deum esse ultorem sceleris. Atque ita per quae peccaverat, per ea punitus, meliores tandem in animum admisit COGITATIONES, exclusis MUSCIS blasphemiae quas daemon immiserat.

IX. Saepius id agit Deus, ut ostendat quam vanae sint COGITATIONES hominum, & quod nullum sit consilium contra Dominum, & *Abominatio Domini cogitationes male*. Experti id Carolus Siciliae & Philippus Galliae Reges, quando junctis copijs Gerundam urbem in Hispania occuparunt. Tunc enim milites ut est genus instar MUSCARUM ad obvia invadenda proclive, *COGITAVERUNT iniquitates in corde: tota die constituebant praelia: & parabant etiam violentas manus iniicere sepulchro S. Narcissi*. Cum ecce infinita MUSCARUM agmina provolarunt e sancti sepulchro, omnemque exercitum in turpem fugam egerunt. Unde apud Hispanos in Proverbium abiit *S. Narcissi MUSCAS laceffere*, quod idem sonat ac *irritare crabrones*. Idem ferè accidit Saporis Persarum Regi, qui Nisibin urbem obsidione cingens expugnare COGITABAT, sed Jacobus sanctus eius loci Praesul à Deo impetravit Cyniphum, culicum, & musca-

Prov. 15,

Harvius
in vita S.
Narcissi.
Beyvl. in
Theat.
Ps. 139.

Baron. ad
ann. 338.

rum copias, quæ equos & elephantos in rabiem efferarunt, ut præcipiti fuga discesserint, urbe intacta. Sic MUSCÆ pepulerunt MUSCAS malas COGITATIONES.

X. Coeterum, quod de MUSCIS in Sicilia & Italia referunt authores quòd sint tam acris & acuti morfus, ut necent ad quæ devolarint: & de Hispanis (ut Strabo refert) quòd eas semper comitetur pestilentia, id verissimum esse censendum est de COGITATIONIBUS pravis, quæ ad peccatum illi-
 ciant, & reipsa plerunq; sunt peccata. Unde S. Gregorius inquit: *Cum reproborum mentibus occasio perpetrandi peccati deest, desideriorum COGITATIONES eorum cordibus nullatenus desunt, & cum non semper diabolus sequuntur in opere, valde tamen se obligant illi in COGITATIONE.* Obligant, inquit, quasi vinculis quibusdam & ligaminibus obstringunt, ut non possint se ab eius potestate facile expedire. Unica sæpè COGITATIO nos illi obligat, & reos facit æternæ mortis. Comensis ille Civis de quo plures authores referunt post ritè peractam Confessionem dispositus ad supremum agonem, reversa in domum pellice, memor præteritarum voluptatum sola COGITATIONE deliquit, & expiravit, Sacerdoti pro se celebraturo ut horridum spectrum apparuit prohibens ne pro se Missam offerret, & affirmans se damnatum esse, quia post legitimam pœnitentiam in illicitam delectationem sola COGITATIONE consensisset. Una tantum MUSCA à *Beelzebub Deo muscarum* immissa sufficiens est ad perditionem animæ: quod in sacris literis adumbratum videtur, ubi Pharaonem afflictum MUSCIS sacer narrat historicus, *Et venit*
MUS-

*Jonstou.
Thaumat.
Class. 3. c.
17.*

*S. Greg.
lib. 14.
moral.*

MUSCA gravissima. Una tantum nominatur, la-
tet mysterium, quia una sufficit ad plagam. S. Gre-
gorius & Pagninus volunt per hanc MUS-
CAM intelligere pravam COGITATIONEM, quæ
vel una potuit turbare domum Pharaonis. Una fu-
it COGITATIO, quæ senes illos castæ Susannæ in-
fidiatores in interitum præcipitavit: *Venerunt &*
duo Presbyteri pleni iniqua COGITATIONE ad-
versus Susannam. Quantum malum operata est u-
nica iniqua COGITATIO! Simon qui volebat Spi-
ritum sanctum emere sola COGITATIONE pecca-
vit, & acerrimè reprehensus à Petro: *Pecunia tua*
sit tecum in perditione. Pœnitentiam itaq; age &c. si for-
tè remittatur tibi hæc COGITATIO cordis tui.

XI. Facetè dixit Cicero cum juvenem quen-
dam molestum sentiret *Abige MUSCAS* puer.
Nobis verò inclamat Propheta: *Auferte malum CO-*
GITATIONUM vestrarum. Et Christus in ho-
dierno Evangelio: *Ut quid cogitatis mala in cordibus*
vestris? Excludere penitus omnem COGITATIO-
NEM non possumus neq; facilè prohibere ne ulla
MUSCA nos impetat, sed possumus repellere. *Dum*
parvus est hostis interfice, nequitia elidatur in semine.
Monet S. Hieronymus. Irruentes non admitte, sed
illicò repelle, resiste, citò figunt aculeum. Traiano
Imperatori mortis omen fuerunt MUSCÆ insi-
dentes dapibus exercitus. Animæ negligenti, quæ
cum malis, ac præsertim carnalibus COGITATIO-
NIBUS moras trahit, consultat, nec protinus ex-
turbat, certum omen sunt spiritualis mortis. Vis
facile remedium? Cogita effectum peccati mor-
talis: cogita rogos sulphureos Inferni. *MUSCÆ*
odore sulphuris moriuntur. Monitum illud S. Chry-

Dan. 12.
v. 28.

Ado. 8.

Cice. 2. de
Orato.

S. Hieron.
Ep. 12.
ad Eustoch.
Cushin. in
Trai.

Beyrl.
Theat. lit.
O.

*S. Cbry-
sost. lib. de
repar.
laps.*

*Pier. Hie-
rogl. lib.
26,*

sofco mi altè in pectus demitte : *Quod momentaneum est, & leve delectationis nostræ, æternum ignis ac tormentorum pondus operabitur in nobis.* Conserva mundam conscientiam, Deum time, eius offensam metue, & erit Cor tuum instar sacrarij. *Ad Herculis delubrum nulla MUSCA ingreditur.* Nec tentator diabolus Belzebut MVSCARVM Idololum, audet irruere animam Deo coniunctam : advolantes malas COGITATIONES constanti animo repelle, si te Herculem senserint, fugient.



DISCURSUS XXI.

Dominica XIX. post Pentecosten.

Textilis Ventus.

T H E M A.

Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? *Matth. 22.*

S Y N O P S I S.

- I. Conviva hodiernus vocatur homo, vocatur amicus, & tamen ceu inimicus repellitur, solum quia non habuit vestem nuptialem. Cum hoc reiicientur qui vestitu superbo alijs sunt petra scandali.
- II. Cæteris animalibus natura providit de tegumentis, hominem nudum in terram abijcit, quem initio Deus pellibus vestivit, sed vanitas excogitavit vestimenta in luxum & fastum.
- III. Adeo ut vestes adhibentur aliquando pellucide, quasi & Textili vento ut aiebat Petronius.

IV. IN

- IV. In hoc maximè solent delinquere scemina, quin & juvenes libertini, quos ridet Seneca.*
- V. Videt etiam tales nostra aetas, sed Deus tales visitabit, quibus omne patrimonium in ornatu est, uti Lollie Paulinae, quae uno ornatu circumtulit decies centena millia coronatorum. Et Rgiolens 6600. aureos.*
- VI. Sed ex huiusmodi vestitu Pellucet vitia, rapinae, injuriae, male artes, saepè & occulta pauperies.*
- VII. Nec potest talis sumptuosus vestitus esse absque peccato, ut insinuat parabola divitis Epulonis qui bysso & purpura induebatur.*
- VIII. Deberent meminisse qui splendide vestiuntur originis suae, & pretiosum tempus non insumere in talem ornatum, in servitium diaboli.*
- IX. Neque enim aliud subesse potest huic vanitati. Pellucet enim internae cogitationes, quae sapiunt pudoris neglectum, & anime immunditiam.*
- X. Mollis vestitus Augusto est vexillum superbiae, nidus luxuriae, quem ideò non probavit in filia. Multae se excusant, ut placeant marito, sed in publico tantum se ornant, ubi non incedunt cum marito.*
- XI. Mutandi igitur habitus molles in asperos, fastus in modestiam, exemplo S. Paulae Romanae.*
- XII. Quamvis etiam aliquando in modesto habitu pellucet nonnihil ostentationis, dum nudantur quasi per negligentiam quae tegi deberent. Caveant qui & quae tales; ne audiant: Mittite cum in tenebras exteriores.*

Quomodo huc intraſti non habens vestem nuptialem? *Matth. 22.*

I.



Erribilis est hodierni Evangelij clausula, & lata in nuptialem convivam sententia, qui turpius eiectus quam non admissus, audire debuit: *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores ibi erit fletus & stridor*

dentium. Invitatus cum cæteris, accubuit cum cæ-

teris nuptiali Epulo, & repente jubetur abscedere, & eijci in tenebras exteriores. Nec alia causâ prætenditur, nisi quòd intraverit *non habens vestem nuptialem*. Quale hoc tantum piaculum, tam ingens delictum non comparuisse in veste nuptiali? si invitatus, si homo honestus, si non inimicus, cur non toleratur? cur cum tanto dedecore repellitur? appellatur homo, *vidit ibi hominem*, vocatur insuper à Rege amicus. *Amice quomodo huc intrasti?* Et tamen ceu inimicissimus, ceu indignus hominis vocabulo, ligatur & mittitur ad tenebras ubi fletus & stridor dentium. Fuere quidem apud antiquos multæ leges vestiaræ, quas transgredi piaculare fuisset. Apud Romanos cautum erat à Q. Galerio Consulari ne vestis serica viros sædaret, ut testatur Cornelius Tacitus. Theodosius. Arcadius & Honorius Augusti, pallia & tunicas sericeas, vestimenta holoserica, auratas paragaudas privatis inhibuerunt. Julius Cæsar conchyliatas vestes & margaritarum usum certis tantum personis, & certis diebus concessit, cæteris verò ademit. Ante sæsqui sæculum Ferdinandus & Isabella Hispaniæ Reges, juvenibus qui literis operam dabant, usum longarum & sericearum vestium, promissorumq; capillorum sustulerunt. Plures alij Principes idem laudabiliter agunt dum certa genera vestimentorum promiscuè usurpari vetant, & cuiq; pro statu decentem præscribunt habitum. Atq; utinam ita obtemperarent subditi, uti prudenter & amanter præcipiunt Principes! Sed quomodo hodiernus Evangelicus conviva tantoperè deliquit quòd non habuerit vestem nuptialem? deprehensus fortè in vico aliquo aut exitu viarum, uti Rex mandaverat, cum iam prandi-

*Tac. Annal. lib. 2.
1. Ep. 65
fin. de vestibus holo-
seric.
Suet. in
Jul.*

*Marian.
l. 19. rev.
Hispan.*

dium paratum esset, qualis inventus est talis accessit, talis admissus est à famulis, & velut indignus à Rege reijcitur? Sepono nunc glossas & varias Patrum interpretationes quid per vestes nuptiales Christus benedictus in hodierna Parabola intelligere voluerit. Sisto in literali rigore, reiectus est conviva licet vocetur. Amicus quia scilicet non erat infidelis, solum ideò quia erat *non habens vestem nuptialem*. Et cum hoc reijcientur in die illa multi, qui non sunt usi decenti Vestitu, qui per sumptuosum & nimium luxum in vestibus, sibi & alijs posuerunt petram scandali, & ideò digni effecti sunt, qui mittantur in tenebras exteriores. Unde suadet in hanc Parabolam scribens Author Imperfecti: *Homo itaq; aut secundum locum eligat vestem, aut secundum vestem eligat locum, idest aut secundum opera eligat professionem, aut secundum professionem faciat opera. Alioquin audiet Amice quomodo huc intrassi.* Et de hoc præsentis sermone discurremus.

Auth. Imperfecti. in Matth.

II. Providentissima rerum omnium dispensatrix natura nullum non animal, ab ipso natali vestire & tegere solet, unum hominem nudum, & alieno indignum tegumento producit. Alijs testas, cortices, coria, spinas, villos, fetas, pilos, plumas, pennas, squammas, vellera tribuit. Truncos etiam arborésq; cortice interdum gemino à frigoribus & calore tutatur. *Hominem tantum nudum* (verba sicut Plinij) *Et in nuda humo natali die abiicit ad vagitus statim Et ploratum. Et. Ab hoc lucis rudimento, que neferas quidem inter nos genitas vincula excipiunt, Et omnis membrorum nexus. &c.* Addit demum nobile hoc Epiphonema: *Heu dementiam! ab ijs inditijs existimantium ad superbiam se genitos. Primi parentes*

Plin. hist. nat. præfat. ad lib. 7.

cùm se nudos cognovissent, è folijs ficuum sibi contexuerunt modica velamenta, à Deo verò acceperunt tunicas pelliceas, è ferarum exuvijs, argumentum ferinæ vitæ, in quam prævaricando desciverant, uti observavit S. Gregorius Nyssenus; *Ut foris pelle belluinâ uterentur, qui intus belluinâ cupiditate animum deformarant.* Multis seculis in usu fuit vestitus pelliceus, aut si etiam alius è lino aut rudi panno, sanè modestus. A natura, & Dei dispositione luxus descivit, qui in horas seipsum incitat ingenio vitia promovente, ac primo supervacua cœpit concupiscere, inde nocitura, novissimè alienis oculis & libidini placitura, ut iam rusticitati tribuatur velle vestiri quantum satis pro conditione & tempore. Propertius canebat de Romanis:

*Curia prætextâ quæ nunc nitet alta Senatus
Pellitos habuit, rustica corda, Patres.*

Sericæ texturæ, quæ modo etiam plebeis usitatæ, corruptissimis planè seculis inventæ sunt. Justiniano Imperatore Magno circa annum 540. ex India in Græciam primum allati vermiculi ex quorum subtili textura ea quæ nunc serica appellamus contexti cœperunt. E Græcia in Italiam & Siciliam non ante annum 1148. artem hanc traductam memorant Historici. Illa quippe serica vel holoferica quibus usi sunt Romani Principes stabilito Imperio non è vermium filaturis sed arborum excrementis conficiebantur, è remotissima serum populorum regione adferri solitis. Unde querela & exprobratio sapientum eius ætatis de corruptela morum, quàm serica vestimenta inducebant.

III. Seneca Neronis Magister, agens de Possidonio Philosopho: *Quid si contigisset illi videre has*

S. Greg.
Nyffe. lib.
de vita
Moyf.

Propert.
lib. 4.

Sen. Ep. 90

nostri temporis telas, quibus VESTIS nihil celatura conficitur: in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est. Et alibi expressius: *Video sericas VESTES, si VESTES vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut deniq; pudor possit. Quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse jurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur: ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant.* A quibus verò gentibus hæc VESTES per commercia accerserentur exponit Plinius ubi ait: *Seres lanificio sylvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem: unde geminus foeminis nostris labor, redordiendi fila rursusq; texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona transluceat.* Hæc vestimenta tam erant subtilia & levia, ut modico ventulo disflarentur, præterquam quod pellucida & diaphana nihil ferè membrorum occultarent. Hinc argutè ea appellavit Petronius Arbiter TEXTILEM VENTUM. Neq; solis Ethnicis hæc morum corruptela placuit in ipsos etiam transfusa fuit Christianos. Unde Tertullianus aiebat: *Lenones & prostitutores VESTITUS ne in vos admiseritis.* Et alio loco describens Alexandri Macedonis Medicam VESTEM aiebat: *Pectus squammarum signaculis disculptum TEXTU PELLUCIDO tegendo nudavit.* Quasi diceret VESTES fuisse confectas ex TEXTILI VENTO, non tantum venti ludibrium, sed & pudoris, quem Tegendo nudabant. Idem questus est S. Hieronymus: *Expolitæ libidinis victimæ nuditate vestium nude oculis ingeruntur.* Usq; eo processit aliquando corruptela morum; nolo dicere nostris temporibus innovata. Illud scio non

Sen. de
Benef. lib.
7. c. 9.

Plin. hist.
nat. lib.
6. c. 17.

Petron.

Tertull.
lib. de
cultu scem.
Idem de
pall. cap.
4.

S. Hier.
ad Hel.
vid.

ante multos annos in populosa urbe magnam Coronam Nobilium utriusq; sexus ita celebrasse Liberalia seu Antecinerale dies, ut matronæ & domicellæ choreas ducerent cum magnatibus indutæ **TEXTILIVENTO, TEXTU PELLUCIDO.** Unde magnam Concionatores hauserunt materiam vitia reprehendendi, sed retulerunt fructum exiguum, quia non multo post communis facta in publico denudatio colli & pectoris etiam sine **TEXTU**, quæ passim adhuc perseverat.

IV. Hanc morum corruptelam & **VESTIUM** luxum ambiunt potissimum fœminæ, nam *Forma virum neglecta decet.* Nihilominus multos virorum invenias, qui sæpè magis in apparatu vestimentorum excedant quàm fœminæ: & licet non utantur **TEXTILI VENTO** per vanas nihilominus **VESTES** & superbas, & supra conditionem pretiosas transparet & **PELLUCET** animus mollis, effœminatûs, superbus. Irridet tales sapiens Seneca: *Quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur siquid proxima nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut dissecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur. Quomodo irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuit tanquam virum tonderet! Quomodo excandescunt si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia sua in annulos suos reciderunt! Quis est istorum, qui non malit Rempub. turbari quàm comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quàm salute? qui non comptior esse malit, quàm honestior. Quid diceret Seneca si hodie videret abrais proprijs capillitijs, adscititias mortuorum comas in cirrhos & crispatas strues calamistro subactas usurpari, quibus*

bus tota frons contegitur, ne videantur erubescere, quòd alieno superbiant; & quæ si viderent præcidi à cadavere, si scirent cuius hominis sint exuviæ, quali morbo, aut judiciali forte sententia defuncti, horrent non gestare solum, sed aspicere. Hæc tamen ambiuntur certatim: ut primum duo trësue comptuli se in publico ostentarint alienâ cæsarie turgidi, omnes illicò æmulos nanciscuntur. Nemo alteri vult cedere in vitio. Si quis præcæ modestiæ memor abhorret naturæ contumeliam inferre, quasi rerum ignarus, aut non satis sui compos, aut superstitiosus ridetur: cum interim longè majore risu digni sint, qui ad exterâs Provincias magnis itineribus, molestijs, sumptibus proficiscuntur, & nihil referunt nisi VESTIUM vanitates, TEXTILES VENTOS, capillitia reorum.

V. Quærit nonnemo de peregrinis: *Quis satis Germanus? quis satis vir demum revertitur* &c. *capillum in varios gyros frangere, mollitiæ corpus cum sceminis decertare, & immundissimis se excolere munditijs, ad numerum ire, garrire, salire; hæc nostrum peregrinatorum specimina sunt.* Annon de istis dixerit Deus per Sophoniam Prophetam: *In die hostiæ Domini visitabo super omnes qui induti sunt VESTE peregrina: & visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen.* Arroganter ingrediuntur qui ad numerum eunt, qui passus velut Euclidis dioptrâ metiuntur, & VESTE peregrina turgidi ostentant opes, quas alij melius abscondunt. Et multis *Sic omne in ornatu patrimonium est.* Omnis intentio spectari, monstrari, laudari, quod statuis artificum, magis congruit: hinc à viris etiam in simulacra migratur. Ferunt Cræsum Lydorum Regem, cum se

*Tbo. Lans.
in Conf.
Prov.*

*Sophon. x.
v. 8.*

*Eryc. Putea in
Como.*

Laërt.
in Solone

Synes. ap.
Lips. in
Polit.

Vita. S.
Severin.

Eumen. in
Pameg.

Plin. lib.
9. hist. c.
35.

Lans. de
conf.
Prov. mi-
hi pag.
654.

Drex.
Trismeg.
lib. 3. c. 10.
f. 5. med.

exquisitissimè omnium ornamentorum genere composuisset, sublimique in folio consideret, percontatum à Solone: an pulchrius unquam spectaculum vidisset. At Solonem subridendo respondisse: Gallos gallinaceos, phasianos, pavones; hos enim naturali & incredibili speciositate vestiri. *Veteres leviter* (ut ait Synesius) *& sine cura seipso habuerunt, non apparatu sed ab animo Reges & introrsum, à plebe differebant; extrorsum vel gregarijs similes.* Odoacer Herculorum Rex cum in Austria S. Severinum accessisset pelliceo habitu rudi indutus venit, qualem hodie multi Rustici apud nos publicè gestare abnuerent. Crescit semper vanitas: ævo nostro non æstimaretur supra statum opificis, qui non auro & argento ornatus *arroganter ingrederetur.* Nimirum ut aiebat Eumen: *Nullis muneribus Fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat.* Et quæ rogo ratio est, quæ prudentia facultates prodigere in VESTIUM apparatus, in TEXTILES VENTOS? Quid profuit illi Romanæ matronæ Lollia Paulinæ de qua Plinius his planè verbis: *Lolliam Paulinam: quæ fuit Caij Principis matrona, ne serio quidem, ac solenni cæremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam Sponsalium cœna, vidi in aragolis margaratisq; opertam alterno TEXTU fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisq; ; quæ summa quadringenties H. S. colligebat.* Hanc summam si ad nostratam valorem reducas, efficiunt, ut supputat Lansius: decies centena millia Coronatorum. *O monstrum!* exclamat ille, *una mulier in uno cultu, nec magna in festivitate, decies centena millia Philippicorum habeat!* Quid profuit Gualtero Raiolæo Anglicanæ Elifabethæ amasio, cæterum in-

infimæ fortis homini, quòd in aula crepidas gestare visus sit gemmis distinctas, ut sex milium sexcentorum aureorum pretio æstimarentur.

VI. Vultis scire quid his & similibus profuerit? per huiusmodi **TEXTILES VENTOS**, & **TEXTUM PELLUCIDUM** transparuit quid intus lateret, unde acceptæ tantæ expensæ: De Lolliæ addit Plinius, ornatum illum non fuisse dona Principis, sed erant *Avitæ opes, Provinciarum scilicet spolijs partæ. Hic est rapinarum exitus: hoc fuit quare M. Lollius infamatus Regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Caio Cesare Augusti filio venenum biberet, ut neptis eius cccc. H-S. operta spectaretur ad lucernas.* Tam superbus fœminæ ornatus testimonium publicum fuit rapinarum & acceptorum ab hostibus munerum à maioribus. Raiolæo sumptuosæ crepidæ testes erant quibus gressibus ad tantos Reginæ favores pervenisset, atq; ut olim per crepidam Rhodope meretrix maritum, ita Raiolæus crepidas per Anglicæ Cleopatræ favorem acquisivit. O si hodie liceret perspicacibus oculis rimari multorum superbos, & fastuosos vestium apparatus: quàm multas videremus sub holoserico & auro & argento creditorum syngraphas, & **VESTES** quibus pompaticè incedunt vix sexto post Consule solvendas: quàm multa videremus vestigia & indicia injustè acquisite, pauperum oppressorum, viduarum, pupillorum deprædatorum: quàm multas inveniremus largitiones & munera ab utraq; concertantium parte oblata, ut litigia in longum protracta promoverentur, ut justæ causæ impedimenta submoverentur. &c. quàm multis splendidis Vestibus assutam conspiceremus

*Ælian.
var. lib.
13.*

laciniam, quæ si loqui posset, diceret, de me nondum est solutus mercator nec unquam solvetur: de me nondum est solutus sartor, nec tam citò solvetur; & si solutus fuerit, detrahetur dimidium. &c. sed erit aliquando tempus quo hæc omnia apparebunt: *In die hostiæ Domini visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina, & visitabo super omnem qui ingreditur arroganter.*

VII. Jactat aliquis prodigus filius, quis mihi modum præscribat sumptuum, si quid profundo, de meo profundo, nec alium rogo: Dominus mearum rerum dispono de ijs, quid ad te? Multum fanè ad me, qui præcavere debeo ne præceps ruas in perditionem etiam tuas divitias malè impendendo. Quid enim si interim pauper Lazarus esuriat, si miserabiles subditi quos spoliasti non habent ut proles pascant, dum tu purpura vestiris & bysso, putas quod Deus in die hostiæ non visitabit? Audi Magnum Gregorium, si mihi succenses quod tibi verum loquar: *Sunt nonnulli qui cultum subtilium, pretiosarumq; vestium non putant esse peccatum, quod videlicet si culpa non esset, nequaquam sermo Domini tam vigilanter exprimeret, quod Dives qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset.* Dedit tibi Deus magnas divitias, non ut omnes vel reconderes avarè, vel prodigè in tuos folius usus effunderes, sed dispensares & non habentibus subvenires. Si omnia in fastum & superbiam convertas, agis contrarium Christianæ charitati, adeoq; noli te immunem credere à gravissimo peccato. Pretiosum corporis cultum & superba vestimenta in sacris literis sæpius delineavit Spiritus sanctus, sed nullum sanctum ex eo laudavit, nisi Juditham, quæ

S. Greg.
hom. 40.
in Evang.

pro patriæ conservatione se ornavit. Atverò Jeza-
bel pigmentis usâ, Babylonia meretrix in Apoca-
lypsi, Epulo in Evangelio malè audiunt. Econtra
Elias, Joannes Baptista pellibus vestiti celebrantur.
Advertit mysterium idem Magnus Gregorius :
*Nemo existimet in luxu & studio pretiosarum VESTI-
UM peccatum deesse : quia si hoc culpa non esset, nullo
modo Dominus. Joannem de vestimenti ipsius asperitate
laudasset. Si hoc culpa non esset nequaquam Apostolus scē-
minas à pretiosarum VESTIUM appetitu compesce-
ret.* Dicebat etiam Christus : *Qui mollibus vestiuntur
in domibus Regum sunt.* Jam eouq; progressa est va-
nitas, ut dici possit : *Qui mollibus vestiuntur, ubiq;
sunt, etiam in tugurijs, etiam in gurgustijs, ubi sæ-
pè nec panis habetur, superba tamen vestis habe-
tur, ut prodeuntes in publicum, alienis oculis fu-
cum faciant superbi & laudis alienæ aucupes. Et
hoc ipsum arguit peccatum & impuram conscien-
tiam. Velle videri quod non es, velle æstimari su-
pra merita. Sed alia adhuc curiosius inspicienti per
hos TEXTILES VENTOS per vestium TEXTUS
PELLUCIDOS sese offerunt, digna non iam risu
sed lacrymis.*

VIII. Juvenes alloquor utriusque sexus, nam
his maximè quodam fastus & superbix VENTO in-
flatis familiare est TEXTILEM VENTUM, pre-
tiosas vestes ambire : quid rogo cogitatis cum auro,
argento, gemmis, serico, caput, collum, pectus,
totum corpus non tam ornatis quàm oneratis ? An
nescitis originem vestram de terra, & terminum
vestrum putredinem ? Ecce quàm multi ante vos
fuerunt superbè vestiti, bysso, purpura, auro, gem-
mis radiantes, & ut Propheta ait : *Disperierunt om-*

S. Greg.
hom. 6. in
Evang.

Sophon. 1.

Hugo
Card. in
Sophon.

Guliel. in
vita S.
Bern.

Staplet.
in vita
Mori.

Tertull.
sup. cit.

nes *INVOLUTI* argento. In quæ verba Hugo Cardinalis ait : *ideſt divites, qui veſtibus deauratis vel deargentatis utebantur.* Quo fortè alluſit Andreas frater S. Bernardi, cum eius ſoror pompoſè & ſplendidè veſtita Claram vallem veniſſet, & ſancto viro fratri colloqui vellet, appellavit eam *Stercus INVOLUTUM.* nec ante in conſpectum admittit quam modeſtiore habitu indutam. Quid obſecro ornatus ſumptuoſus veſtium vobis boni confert? nec corpori prodeſt, nec animæ : nam corpus quocunq; etiam vilioſe tegitur, anima verò non ideo fit melior aut Deo gratior, quia corpus ſplendidius exornatur. Utquid ergo tanta cura & ſolicitudinè vos comitis & ornatis? ut quid pretioſum tempus in talia ornamenta inſumitis? Non ſufficiunt ſæpè horæ ut ſemel in publicum ornata prodeat mulier, totos abſumit dies, qui melius impendi poſſent & deberent. Thomas Morus prudenter comptulæ & multum temporis ante ſpeculum abſumentis puellæ, dixiſſe fertur : *Niſi Deus tibi pro hoc tanto labore infernum reddat, magnam tibi proſectò injuriam faciet.* Tempus nobis datum eſt ad ſerviendum Deo, & nos illud conſumimus ſerviendum diabolo!

IX. Ego certè in apparatu ſumptuoſo, ſuperbo, pretioſo veſtium aliud non invenio quàm ſervitium diaboli, hæc intentio comptulorum per *Veſtes* ipſas PELLUCET. Quasi per TEXTILEM VENTUM. Ideò Sancti Patres multi ſunt in exprobrando Christianis Luxum nimium veſtimentoſum. Tertullianus cum appellaiſet ſuperbas *VESTES lenones & proſtitutores,* dein monet. *Si quas vel divitiarum ſuarum vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit, ita pompaticas progredi, temperare ſaltem*

tem ab huiusmodi curate. Non negat pro conditione & statu usurpandum vestitum, sed temperandum monet, ne per excessum peccetur, & incurratur id quod alibi idem aiebat: *Messis ornatu decoris luxuria est, & profusior libido.* Clemens Alexandrinus in hanc thesim: *Laudo, inquit, & admiror Lacædemoniorum civitatem, quod solis meretricibus floridas VESTES, & aureum mundum gestare permisit; à probis mulieribus mundi studium auferens, quod solis meretricibus se ornare concederet.* Pulchrè etiam S. Cyprianus eodem ingenio: *Ornamentorum ac VESTIUM insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum serè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est.* De S. Paula Romana testatur D. Hieronymus, quod si quando videret fœminam ornatam & comptam vultus trititia illam arguens dicere consueverit: *Munditia corporis & VESTIUS, est animæ immunditia.* Longus essem si plura vellem conglomerare suffragia. Et tamen excusabunt se quæ ornatum amant: si nuptæ quia volunt placere marito, si innuptæ, quia volunt mereri maritum.

X. De Augusto Cæsare illud insigne dictum celebratur: Vestitus insignis & mollis superbæ vexillum est, nidusq; luxuriæ. Unde & Julia eius filia cum habitu licentiore offendisset paternos oculos, postridie mutato cultu lætum patrem amplexari permisa est, dicente ipso: *Quantum in filia Augusti probabilior est hic cultus!* Non defuit Juliæ patrocinium, quæ reposuit: *Hodie me Patris oculis ornari, beri mariti.* Et hæc est multarum excusatio mulierum planè frivola. Nam si marito placere soli volunt, domi solum se ornare deberent, non or-

Idem ad uxorem. cap.

4. Clem. Alex. Paedagog. l. 2. c. 10.

S. Cyprian. de discipl. & hab. virg.

S. Hier. in Epitaph. Paulæ.

Macrob. Saturn. lib. 2. c. 5.

nant autem nisi cum in publicum prodeunt, atq; ita per ornatum publicum PELLUCET occulta illarum intentio, placere multis, non tantum uni marito: Per quod sub honesti specie multis virus propinant, uti arguit S. Hieronymus eiusmodi ornatus non excusans à peccato. *Si vir (inquit) vel mulier se ornaverit, & vultus hominum ad se provocaverit, et si nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Adhuc severius intonat S. Cyprianus: *Si tu te speciosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis allicias, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te atq; Venenum videntibus præferas, excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica, redarguit te vultus improbus, & habitus impudicus.* Benè eiusmodi ornatus gladium vocat, quod etiam Tertullianus dixit: *Perit ille in tua forma si concupivit, & facta es tu gladius illi.* Nulli sufficit castum videri, sed esse; externa sunt interiorum indicia, & sine habitu frugali neutrum assequeris.

XI. Egregiè instruit S. Ambrosius Virginem lapsam, eique decentem præscribens habitum ita fatatur: *Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula dignâ castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxurie præstiterunt. Palleat facies, quæ quondam viruit impudicæ. Totum corpus cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat: quia malè sibi de pulchritudine placuit.* Talis mens fuit S. Paulæ Romanæ, quæ contempto sæculo post mariti obitum, ita secum loquens inducitur ab Hieronymo: *Purganda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & stibio sæpè depinxi. Astigendum corpus, quod multis vacavit delitijs, longus ri-*

S. Hieron.
ap. zebet.
verm.
Consc. lib.
4 c. 2.

S. Cyprian.
lib. de
Discipl.
& hab.
Virg.

S. Amb.
Epist. ad
virg. laps.
cap. 8.

S. Hier.
in Epi-
taph. Pau-
læ.

ius perpetuo compensandus est stetu, serica pretiosa asperitate cilicij commutanda. Hæc ego à matronis nostris non exigo, tametsi esset laudabile, solum id desidero ut memores sui status, ultra decentiam non se ornent, non velint placere oculis alienis, & maximum credant ornatum esse contemptum ornamentorum. Hoc suadens Virginibus S. Ambrosius contraponit ornatum vanarum mulierum ornatui modesto Virginum, cum ait: *Cernis ut pomparum ferulis similis incedat quæ se componit, ut placeat; omnium in se vultus & ora convertens, eo ipso quod studet placere deformior. Prius enim populo displicet, quàm placeat vivo. At in vobis rejecta decoris cura plus placet: & hoc ipsum quod vos non ornatis, ornatus est.*

S. Amb.
lib. 1. de
virg.

XII. Unum adhuc moneo, sæpè etiam ubi modestus est habitus & pro statu ac conditione non redundans, invenire tamen subinde vanitatem quo mundo placeat, Deo displiceat. Etiam sub humili & moderato vestitu se prodit superbia, & PELLUCET studium placendi, ut possis etiam lacernas appellare subinde TEXTILEM VENTUM. Observavit suo tempore hoc muliebre ingenium S. Hieronymus, dum ait: *Crispanti cingulo angustius pectus arctatur: capilli vel in frontem vel in aures destuunt: palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros, & quasi videri noluerit, celare festinat, quod volens detexerat.* Sic privignum Antoninum Caracallam Julia noverca in suam pertraxit massam: cum quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset. Ut loquitur Spartianus. Non digredior ad alias artes. Recogitent tales quod ad nuptias cœlestes invitentur, à quibus excluditur quisquis non habet vestem nuptialem. Vestis autem nuptialis est modesta, fru-

S. Hieron.
Ep. de
vit. contub.

Spart. in
Caracall.
cap. 10.

galis, non pretiosa, & fastum spirans. Qui sumptuose vestiuntur cum divite Epulone mittuntur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium: qui decenti habitu contenti sunt adhibentur ad Regales nuptias. Homo itaq; aut secundum locum eligat *VESTEM*, aut secundum *VESTEM* eligat locum. Finio verbis S. Chrysofomi: Quo supplicio non sunt digni, qui modis omnibus dant operam, ut sericis & auro intertextis induantur, & post se pompam trahunt in foro: Christum autem despiciere nudum. &c. Maxime autem sermo iste ad-versus mulieres congruerit. Maiorem enim apud eas invenimus ornandi cupiditatem & intemperantiam, cum auratis *VESTIBUS*, & auro in capite, in cervice, & in alijs corporis partibus ornantur, & in his quoq; superbiunt. Quot pauperum ventres poterant inde pasci, & quot corpora nudè agentium poterant contegi ex his, quæ à solo collo & humeris pendent, nullius alterius usus gratia, quàm in damnum & nocumentum animæ. Caveant ergo illi & illæ, qui & quæ in superfluum corporis ornatum substantiam expendent, quam à Deo acceperunt ut pauperibus subvenirent, ne audiant in illa die: *Mittite eum in tenebras exteriores.*

*Auth. Imp.
sup.
S. Chry-
sof. hom.
in Genes.
37.*



DISCURSUS XXII.

Dominica XX. post Pentecosten.

Carcinoma Voluntarium.

T H E M A.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur. *Joan. 4.*

S Y N O P S I S.

- I.* Heronum filij nota, ut in multis apparuit, præsertim in filia & nepotibus Augusti, quos appellabat sua Carcinomata. Et tales sunt quos negligunt parentes bene educare.
- II.* De cæco nato querebant discipuli quis peccavit, hic an parentes eius. Difficilis questio, quæ involvit aliam, an filij luant delicta parentum.
- III.* Pro parte affirmativa & negativa sunt testimonia scripturæ, Patrum & legum ut quasi problema efficiant.
- IV.* Conciliant hæc omnia Theologi dum fatentur indirectè puniri parentes in filiis, cum directè filij castigantur vel propter sua peccata, vel pro-
- V.* Quia non est illis commissa cura parentum, sed parentibus filiorum. Unde Heli punitus est propter suam indulgentiam in filios, filij verò eius propter propria peccata.
- VI.* Est enim obligatio parentum naturalis ut benè educent prolem non nimis durè ne exacerbentur, nec nimis leniter ne insolescant.
- VII.* Proinde dum tenelli, sunt formandi ad bonum, quod sit bono exemplo propria parentum vite, deinde Magistrorum & domesticorum, ac denique observatione inclinati-

onum, ut foveatur bonum, preveniatur malum.

VIII. Plerumque mala discunt filij à parentibus, quia putant se ijs debere conformari. Et tales parentes sunt filiorum parricide.

IX. Nota sunt exempla eorum qui rapti à dæmonibus, quia didicerant à parentibus blasphemare. Tales parentes faciunt suos liberos Carcinomata voluntaria. Anathema illis dicit Concilium Gangrense.

X. Sed maius liberis imminet

periculum à consortio domesticorum, qui non debent promiscuè deligi, sed procurari bonorum morum, uti moris erat apud Romanos, qui cognatis suos liberos committabant, vel ipsimet ijs invigilabant.

XI. Nostra verò etate sæpè parentes plus de equis, canibus &c. solliciti sunt, quàm de prole, Et hanc etiam subinde docent non docenda. Hi habent filios quales volunt, id est Carcinomata voluntaria.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur, Joan. 4.

I.



Heroum Filij noxæ vêtus adagium est tam frequentibus firmatum exemplis, ut vir bonus, ac sapiens felicem se debeat existimare, si filium similem post se relinquat. Marcus Antoninus Philosophus laudatissimus Cæsar filium reliquit Commodum Romano Imperio planè incommodum. Unde Capitolinus in eius vita: *Hic sanè vir tantus Et talis, ac Dijs vita Et morte conjunctus filium Commodum dereliquit: qui si felix fuisset, filium non reliquisset.* De Severo Imperatore agens Spartianus, tradit gavisum quòd duos filios Reipub. relinqueret; *sed illum (inquit) multum spes fefellit. Nam unum parricidium, alterum sui*

Jul. Capitol. in M. Anton. Pbil. c. 18.

Spartian. in Severo c. 20. Et seq.

*mores Reipub. inviderunt. Et demum concludit: Neminem propè magnorum virorum optimum & utilem filium reliquisse satis claret. Deniq; aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt pleriq; ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere. Ut præteream quos idem scriptor enumerat, unus Augustus exemplo sit, à cuius moribus Julia filia tantum degeneravit, ut à patre in Insulam deportata fuerit, nec in conspectum admissa: nec melior altera Julia prioris filia, & Agrippa nepos, quos appellare solebat *Tres vomicas, aut Tria CARCINOMATA sua.* Est hoc infortunij genus ubiq; obvium. Ex sapientissimis nascuntur sæpè stupidissimi, ex pijsissimis impij, ex sanis infirmi. In hodierno Evangelio legimus: *Erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur.* Et hic quidem felix quia recepit filium sanum per gratiam Christi. Multi verò parentes sani corpore & mente habent filios infirmos mente & moribus, & ægrotantes usq; ad mortem; neq; tamen uti hodiernus regulus illis procurare fatagunt bonam valetudinem, sed sinunt eos manere CARCINOMATA VOLUNTARIA, vel quia morbos non præveniunt, vel quia malunt habere improbos quàm probos. Cui tale infortunium imputandum nisi ipsismet parentibus?*

Ut quisq; Filium suum VULT esse, ita est.

Vis probum, morigerum, vitiorum osorem, virtutis amatorem? in tua est potestate, quod ostendam præsentis discursu.

II. Inter alia Miracula quæ Christus Hierosolymis exercuit narrat Joannes de cæco nato, quem cum vidisset, & sanare cogitaret, interrogarunt discipuli: *Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes eius,*

Suet. in
Aug. c.
66.

Terent.
Adelph.

Joan. 9.

ut cæcus nasceretur. Obscure scunt Patres quomodo hæc quæstio discipulis in mentem venerit, cum alias nusquam legantur quidquam simile interrogasse, cum pluribus, visum, auditum, loquelam Christus restituerit. Quomodo enim dubitare possunt an hic cæcus suo peccato meruerit cæcitatem, si sciunt cæcum esse natum : non enim peccare potuit nisi nasceretur, & si cæcus est natus non potuit peccato mereri cæcitatem. Unde Chrysostomus & Theophylactus censent absurdam fuisse hanc quæstionem. Leontius putat non interrogasse discipulos de peccato præterito, sed de futuro ; quasi prævidisset Deus hunc hominem peccaturum, & in pœnam prævisi peccati, pœnam illi cæcitatatis intulerit nascenti, & de hoc fuisse quæstionem discipulorum. Iterum Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius putant voluisse discipulos innuere, quòd nec ipse cæcus peccasset, quia ante natiuitatem peccare non potuit ; nec parentes eius peccasse, quia ut est apud Prophetam : *Filius non portabit iniquitatem patris*. Verum hæc interpretatio magnam habet difficultatem, quia supponit filios non puniri propter peccata parentum, cum idem Deus qui dixit : *Filius non portabit iniquitatem Patris*. Dixit alibi : *Ego sum Deus Zelotes visitans iniquitates patrum in filios, usq; ad tertiam & quartam generationem*. Poterant itaq; benè opinari Apostoli, quòd fortè cæcus natus punitus sit propter peccata parentum. Assignavit Christus aliam causam cæcitatæ : *Ut manifestentur opera Dei in illo*. Per hoc tamen quæstioni Discipulorum non est plene satisfactum, quia videntur dubitasse, utrum filij puniantur propter peccata parentum. Non erit abs

Chrysof.
Theoph.
ap. Mal.
donat.
Leont.
ibid.

Ezech. 18.

Exodi. 20.

re hoc loco hanc celebrem inter Theologos, Scripturæ interpretes, & Juristas quæstionem breviter discutere.

III. Pro parte affirmatiua habemus in sacris literis textum in exodo. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Idem repetitur in Deuteronomio. Christus ipse dixit ad Judæos: *Donec veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est.* & ipsimet clamant: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Nec defunt exempla scripturæ. In Sodomorum incendio absumpti sunt etiam infantes qui non peccaverant, sicut & in generali diluvio. Ob peccatum Achan præcepit Deus ut domus eius etiam cum parvulis deleretur. Filiolus Davidis mortuus est propter peccatum parentis. &c. Econtra pro negativa est alius textus apud Ezechielem: *Quid est quod inter vos parabolam veritatis in proverbium istud in terra Israël, dicentes: Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Vivo ego dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israël. Ecce omnes anime meæ sunt, ut anima Patris ita & anima filij mea est, anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Et rursum infra: *Filius non portabit iniquitatem patris, & Pater non portabit iniquitatem filij: Justitia justus super eum erit, & impietas impij erit super eum.* Neque deerunt exempla si percurras sacras literas. Ex impio patre probus filius Ezechias Rex à Deo dilectus, suæ justitiæ accepit præmia, Manassès verò filius scelestissimus Ezechiaæ suas etiam impietatis pœnas tulit: nec illi obfuit patris malitia, nec huic profuit patris probitas. Sanè laborat in hoc intellectus humanus & ratio,

Exodi. 20.

Matth. 24.

Gen. 7.

Gen. 19.

Josue. 7.

2. Reg. 12.

Ezech. 18.
v. 2.

Ibid. v. 20.

tio, ut capiat, quomodo alius pro alio luere ac pœnas subire debeat. S. Augustinus quæstionem hanc in Enchiridio attingit, & indecisam relinquit: alibi stare videtur pro parte negativa cum ait: *Quis locus innocentie relinquatur, si alienum crimen maculat ne-scientem.* Ex cuius discipulis magnus Theologus Ægidius Romanus perplexus in rei difficultate exclamavit: *Domine Deus iudex justus si omnes anime tue sunt, sicut anima Patris, sic & anima filij. Portabitne filius iniquitatem Patris? verteturne inter nos illud vulgare proverbium: Patres comederunt uvas acerbas, & dentes filiorum obstupescunt?* Jura insuper ita decernunt: *Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. Nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur.* Et Arcadius ac Honorius Augg. decreverunt: *Sancimus ibi esse pœnam, ubi noxa est; propinquos notos, familiares, procul à calumnia suramoveamus, quos reos sceleris societas non facit.* Quos tam claros textus præ oculis habuerit doctissimus Caramuel cum in sua Encyclopædia miratur mirabilem quandam Politicam Reipub. Atlanticæ (sic eam fingit sicut Morus Utopiam) in qua filij parentum delicta jubentur exsolvere. Ait ergo: *Video Arnoldum magni judicij virum, de tota Provincia benè meritum, multarum victoriarum pugilem, magnis virtutibus ornatum, nec tamen ad summas dignitates promotum. Heus tu Archon Atlantice, cur virum negligis qui possit publicæ rei servire? Montesium promoves quem nil fecisse boni scis, nil utile facturum speras? Erras in primis Politicæ facultatis principijs, præmiâq; & personas invertis, sed non quia tu ad leges Atlanticas judicas, nec debes ad alias judicari. Rem video. Arnoldi pater multorum conturbavit ani-*

S. Aug. in
Ench. ap.
D. Thom.
S. Aug.
Ep. 48. ad
Vincent.
Ægid.
Rom.
Traß. de
pecc. orig.
c. 1.

ff. de pœn.
l. Crimen.
l. Calli-
stratus.
l. 22. san-
cimus.

Caram.
Encyclop.

mos superbiâ suâ, & Arnoldus tametsi vitiorum hereditatem non adierit, futurus est velit, aut nolit, paternorum inimicorum heres. &c. Ergo tametsi æquus sit filius portabit iniquitatem Patris, & æquitatem tametsi sceleratus & iniquus. Rem non intelligo: video tamen Arnoldum virum capacissimum reiici, Montesium hominem nullius frugi assumi: illi innocio & innocenti maiorum crimina imputari, huic concedi liberam peccandi licentiam, ob parentum & avorum virtutes. Erras Archon Atlantice, etsi legibus duceris, illæ ipse errant.

IV. Quid vos ad hæc Theologi? premunt vos opposita scripturæ testimonia: recurretis ad solitas distinctiones & textus paraphrasés: sapienter sanè, quia sine his scripturæ loca non conciliantur. Itaq; fatentur S. Thomas. Albertus. Ægidius. Richardus. Durandus. Argentina. Gabriel & cum his alij puniri subinde filios propter delicta parentum pœna aliqua temporali: non autem pœna æterna vel spirituali. Sed quia videtur etiam hoc repugnare rectæ rationi quòd pœnam temporalem pro parente deberet portare filius innocens, communiter alij Theologi asserunt nullo scripturæ testimonio evinci, quòd etiam temporalem aliquam pœnam sustinere debeat per se filius pro delicto parentis; docent hoc Azor. Becanus. Felix. Pilosus, & alij, sed conveniunt cum prioribus, siquidem & S. Thomas eodem collimat distinguendo pœnam vindictivam à pœna medicinali, unde ait: *Si loquamur de pœna pro peccato inflicta in quantum habet rationem pœnæ, sic solum unusquisq; pro peccato suo punitur, quia actus peccati aliquid personale est. Si autem loquamur de pœna, quæ habet rationem medicinæ, contingit quod unus punitur pro peccato alterius.* Et infra paululum: *Si filius*

S. Tho. 1.
2. q. 81. a.
2. Alb. 2.
d. 23. Bo-
navent. in
2. d. 23.
a. 1.
Ægid. q.
1. a. 2.
Rich. a.
1. q. 2.
Durand.
q. 1.
Argent. q.
1. a. 4.
Gab. q. 1.
a. 4.
D. Tho. 1.
2. q. 87. a.
8.
Azor. To.
1. lib. 4.
c. 32. fin.
Becan.
Tr. 2. cap.
8. q. 3.
Felix de
pecc. cap.
18. diff. 6.

lius

n. 4. Pe-
loso.D.
147. art.
ult.

lius vel subditus est particeps culpæ, huiusmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ, quantum ad utrumq; scilicet eum qui punitur, & eum pro quo punitur. Si verò non sit particeps culpæ, habet rationem pœnæ quantum ad eum pro quo punitur: quantum verò ad eum qui punitur rationem medicinæ tantum. Hoc loco medicinæ nomine intellige medicinam in adultis curativam in infantibus præservativam, & intelliges locum illum Exodi: *Visitans iniquitates Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem;* quia vel filij similia parentibus admiserunt, & tunc puniuntur medicinaliter propter sua peccata, & indirectè puniuntur in illis etiam parentes. Vel non admiserunt personalia similia peccata, & tunc puniuntur medicinaliter propter alia peccata curativè, vel præservativè propter futura, unde & dicitur *raptus est ne malitia mutaret intellectum.* Atque ita non invenimus filios puniri propter delicta parentum simpliciter, sed propter sua directè, & propter parentum indirectè, quod si bene perpendas non sonat filios puniri propter parentes, sed potius parentes propter filios. Nam mors filioli Davidis fuit ipsi filiolo medicina & præservatio à futuris peccatis, Davidi verò fuit pœna, unde parvulus mortuus est secundum conditionem naturæ, nec fuit ipsi ulla pœna, sed parenti. Loquamur itaque magis propriè: filij non puniuntur propter delicta parentum, sed parentes puniuntur propter delicta non tantum propria, sed etiam filiorum: propterea dicitur *visitans iniquitates Patrum in filios,* non econtra. Et additur *in tertiam & quartam generationem,* quia olim Patres vixerunt ut viderent nepotes & pronepotes, quibus subinde repentè sublatis morte naturali, ipsi

quo-

quoque patres puniebantur poena promerita, videndo mori & pati nepotes, ac pronepotes.

V. Vis disparitatem? quia parentibus cura filiorum commissa est, quam si negligant, & permittant illos liberè in scelera prolabi, daturi sunt de illis rationem: filijs verò parentum cura non est commissa, hinc si pater sua culpa perit, filius ob id reus esse non debet; si verò filius pereat ob negligentem patris curam, perit cum eo etiam pater aut punitur. Ecclesiasticum audite: *Lacta filium & parventem te faciet, lude cum eo, & contristabit te. Ne corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui.* In quæ verba Hugo Cardinalis: *in novissimo idest in die iudicij, obstupescant dentes, ut nec te valeas excusare.* Heli summus sacerdos apud Hebræos duos habebat filios, melius dixeris duo CARCINOMATA, quia in gulam luxuriamque profusos, tametsi ipse parens esset vir sanctissimus teste S. Hieronymo: & quia non correxit eos uti debuisset, nimia in eos indulgentia usus, facti sunt illi CARCINOMATA VOLUNTARIA, propter quæ accepit sententiam à Deo per Samuelem: *In die illa suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius: incipiam & complebo. Prædixi enim ei, quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod non verat indignè agere filios suos & non corripuerit eos.* Et ita etiam factum est. Puniti sunt filij propter sua peccata: & occisi in prælio contra Philistijm cum capta esset arca: eoq; nuntio audito Heli cecidit de sella retrosum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. Punitus scilicet propter nimiam indulgentiam in filios, quos acriori correptione & disciplina ab impio vitæ genere evocare, & in bono

Eccle. 30.

S. Hieron.
in c. 6. ad
Ephes.

1. Reg. 3.

1. Reg. 4.

erudire debuerat. Unde B. Pet. Damiani de eo loquens ait: *Quos inimicos Dei videt, in perniciem suam filios recognoscit, & quos hostili ferire gladio debuit, paternæ blanditiæ lenitate palparit.* Severitate opus est, ubi insolenter agunt filij; & quos lenis correctio non emendat, rigidiore disciplina sunt castigandi. Heli proinde hoc negligens punitur & in se, & in filijs, filij verò propter sua tantum peccata.

VI. Intelligimus nunc potius parentes puniri propter filios, quàm filios propter parentes, ratione obligationis parentum ad prolem rectè & secundum virtutem educandam. Hæc quippe obligatio naturalis est, & à Deo sæpius in sacris literis inculcatur: *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Et rursum: *Filij tibi sunt erudi illos & curva illos à pueritia illorum. Filia tibi sunt, serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Magna hæc est obligatio, sed cum sit naturale proles suas diligere, amanti nihil difficile videbitur si perpendat quantum ex bona educatione boni sperandum sit. Illud fortè durum videtur documentum: *Non ostendas hilarem faciem tuam ad illos.* Quos amamus non libenter contristamus; torvus & severus vultus parentum contristat liberos: sed verus amor contristat ut conferret. Unde alibi dicitur: *Qui diligit filium suum assidue illi flagella.* Hilaris semper ad prolem vultus facit audaces & parit contemptum, ut cum proles videt se non castigari, tanto liberius feratur in vitia. Perpetuus rigor & severitas vel desperatos reddit vel obstinatos; perpetua dissimulatio temerarios & audaces: miscenda hæc sunt prudenter pro ratione circumstantiarum, ut lenitate non dissolvantur, &

Eccle. 30.
Eccle. 7.

Prov. 21.

rigore non indurentur. Id faciebat Job cum suis filiis : *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Quasi diceret : sciebant me rigidum aliàs censores morum, unde si ostenderem illis vultum hilarem per hoc non dissolvebantur, metuentes ne mutato vultu severitatem arriperem. O prudens & bona liberorum educatio quæ talis!

VII. Si ergo *Filij tibi sunt erudi illos.* Id est ut ait Hugo Cardinalis in hunc locum : *Erudi illos disciplina morum & fidei, id est extra ruditatem pone. Omnis enim malus rudis.* Tenera ætas in omnem partem flexibilis est, huic invigilandum ne deflectat in malum. *Ut aqua in areola* (inquit S. Hieronymus) *digitum sequitur precedentem, ita ætas mollis & tenera in utramque partem flexibilis est, & quocumque duxeris trahitur.* Et hoc ut observant morum Magistri, triplici potissimum modo licet assèqui. Primò ut ipsi parentes ita se gerant coram liberis, ne malo eorum exemplo ad malum trahantur. Secundò ut Magistros, vel saltem domesticos quibuscum versari debent filij habeant bonæ notæ, bonorum morum. Tertiò ut inclinationes eorum studiosè inquirent, et si ad bonum tendunt promoveant ; si ad malum, maturè præveniant & avertant. Non fiunt ista sine peculiari cura & diligentia : ubi vel unum horum defecerit, fiunt ex liberis mera CARCINOMATA VOLUNTARIA. Crates apud Plutarchum solebat dicere, se si fieri posset, altissimo urbis loco consensò proclamaturum. *Quo tenditis homines qui rei faciendæ omne impenditis studium : filijs, quibus opes vestras relinquetis, curam perparvam ?* subnectit Plutarchus : *quibus ego adderem : tales Patres perinde agere,*

Hugo
Cardin.
in Ecclt.

S. Hieron.
Ep. 12. ad
Gaudent.

Plut. To.
1. Mor.
de lib. e-
duc. num.
11e

acsi quis de calceo sit sollicitus, pedem nihil curet. Quod subinde filij degenerent non est naturæ vitium sed defectus educationis. Unde indignor Aristippo Philosopho, qui degeneres filios negligebat quasi non suos; & accusatus à quodam, dixisse fertur: *Annon & pituitam, & pediculos è nobis natos velut inu- tiles procul à nobis abijcimus?* Si enim veram secutus fuisset Philosophiam, effecisset prudenti filiorum institutione ut non degenerarent. Nulla tam desperata censeri debet natura, cui non aliquantum subvenire possit recta educatio. Bruta deponunt naturæ vitia, & mansuesiunt si doceantur, cur non homo?

Laërt.
lib. 2. de
vit. Phil.

VIII. Hoc ergo primum est præceptum parentibus, ne malis suis moribus liberos malè agere doceant. Magnam in hoc curam adhibuerunt Romani. Cato Manlium senatu movit quod interdium præsentem filia uxorem svaviaisset, asserens se à sua nunquam nisi cum tonaret præ timore complexum esse. Et Hieron Epicharmum Comicum multasse & pœna affecisse dicitur quod coram filia lascivos edidisset versus. O si vel Christiani tam cautè coram suis liberis agerent! sed passim

Valer.
Max.

Alex. ab
Alex.
Gen. dier.
lib. 2. c.
25.

A bove maiori discit arare minor.

Parents potator, lusor, blasphemus, quomodo habeat filium sobrium, continentem, Deum timentem? Mater vana, superba, curiosa, quomodo habeat filiam morigeratam, modestam, compositam? Totas horas absomit ante speculum: videt filia; putat præceptum esse ut idem agat. Ad omnem strepitum procurrit ad fenestras, spectare & spectari vult; subsequitur filia, magnam celocem minor cymba. Hinc tanta ubique in filiis & filiabus CAR-

CINOMATA VOLUNTARIA. Erro; non in filijs & filiabus sed parentibus: horum quippe id vitium & culpa est: & hi propterea plus quam filij & filiae punientur, quia causa illorum ruinae. S. Cypriani doctrina est: *Parentibus qui liberos in vitijs aut in haeresi educarunt, ut his qui illos Idolis obtulerunt, liberi possunt dicere Deo in iudicio: Nos nihil fecimus, perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas.* Acute dicit parricidas, quia dum filios, simul & seipfos perimunt. Et S. Hieronymus huiusmodi parentes vocat *Portas mortis*, quia per illos tam filij quam ipsimet parentes ad mortem aeternam saepe transeunt.

S. Cyprian. de laps.

S. Hieron. ap. suon. Parisin. To. 4. Dig.

IX. Vulgo passim noti sunt tragici illi casus duorum filiorum, quos e Patris sinu daemones raperunt alterum quinquennem, alterum duodennem; hunc cum patre alea ludentem, illum uti a Patre didicerat blasphemantem. De hoc narrat S. Gregorius, quod volens se abscondere in sinu patris clamaverit; Mauri homines venerunt qui me tollere volunt. Id cum dixisset maiestatis nomen iterum blasphemavit, & inter ea verba ultimum exhalavit Spiritum. Addit insigne documentum S. Gregorius: *Ut omnipotens Deus ostenderet pro quo reatu talibus fuisset traditus executoribus, unde viventem pater suus noluit corrigere, hoc morientem permisit iterare: ut qui diu per divinitatis praesentiam blasphemus vixerat, quandoque per divinitatis iudicium blasphemaret & moreretur: quatenus reatum suum pater eius cognosceret, qui parvuli filij animam negligens, non parvulum peccatorem gehennae ignibus nutrisset.* Alterum legere licet apud S. Cyrillum, & S. Augustinum in Epistolis. Quid dicemus de illis parentibus qui non solum

S. Cyrill. Ep. de mirac. S. Hier. S. Aug. Ep. 206.

exemplo malò suos liberos ad malum instigant, sed & à bono avertunt, adeoque gaudio exultant cum eos viderint lusibus, choreis, potationibus, voluptatibus addictos. Annon tales sibiipsis procurant **CARCINOMATA VOLUNTARIA**? Contra eiusmodi exclamat S. Bernardus: *O durum patrem! ô se-
vram matrem! ô parentes crudeles Simplices, imò non paren-
tes, sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quo-
rum consolatio mors filij est.* Lacones, ut refert Plutar-
chus duobus fratribus inter se dissidentibus, pa-
trem eorum multarunt, eo quod similitates in pri-
ma ætate nascentes non extinxerit. Deus severe a-
nimadvertet in parentes qui negligunt liberos in
prima ætate, qui non manuducunt ad bonum, non
abducunt à malo. Magna obligatio est parentum,
sed facilem eam deberet reddere naturalis in prolem
amor si scirent rectè amare liberos suos parentes,
& non præponerent transitoria & caduca æternis.
Ex hac consideratione olim Concilium Gangrense
decrevit. *Si quis suos liberos relinquit, nec eos alit, nec
quantum in se est ad convenientem pietatem religionemque
adducit, sed exercitationis prætextu negligit, sit ana-
thema.*

X. Multò vero maius & frequentius pericu-
lum imminet liberis à consortio domesticorum, &
aliorum quibuscum in tenera ætate versantur,
quàm à parentibus: & sæpè contingit parentes o-
ptimos, & virtutis studiosissimos esse, familiam e-
contra pessimam & vitiosissimam. Invigilandum i-
taque parentibus, nequid proles ab infectis ovibus
vitij trahat. Veterum Romanorum in educanda
prole morem & normam laudat Quintilianus (id a-
lij Cornelio Tacito adscribunt) Natus inquit filius

in

S. Bern.
Ep. 111.

Plut. in
Lacon.

Conc.
Gangr.
Can. 15.

Quintil.
Dial. de
Oratorib.

in gremio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domum, & inservire liberis. Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis spectatisq; moribus, omnis cuiuspian familiæ soboles committeretur: coram qua nec dicere fas erat, quod turpe dictu, neq; facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasq;, sed remissionem etiam lususq; puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Attiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. Quæ disciplina & severitas eo pertinebat, ut sincera & integra, & nullis pravitatibus detorta uniuscuiusq; natura toto statim pectore arriperet artes honestas. De Mammea etiam Alexandri matre Suidas testatur, quod ita filium educaverit, ut non pateretur eum adiri à quoquam malarum artium artifice, & persuadebat ei ut iam adultus longissimo tempore jus diceret, quo illa occupatione distractus tempus non haberet ad peccandum. Si Patres & matres omnes hac industria uterentur, & quibus facultates suppetunt, etiam probos & castigatæ vitæ magistrōs liberis assignarent, pauciora forent in mundo

CARCINOMATA VOLUNTARIA.

XI. Sed pro dolor! si veritatem fateri velimus, & populosiores civitates contemplari, videbimus hoc corrupto sæculo ferè omnia contraria: & cum gemitu dicemus, uti allegatus supra Quintilianus: *Nunc natus infans delegatur alicui ancillæ, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerunq; vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri statim & rudes animi*

Suid. ap.
Sabell.
lib. 6.
Ennead. 7.

*erudiuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante Domino aut dicat, aut faciat; quando etiam ipsi parentes, nec probitati, neq; modestiæ parvulos assuescunt, sed lasciviæ & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & sui alieniq; contemptus. Pudet dicere quod vidimus, quod centies audijmus, nobilis matrona per intervalla revisens urbem ubi filij sub aliena disciplina & modica cura educabantur, plus sollicita fuit de catulis Melitensibus quorum copiam alebat, quàm de filijs: & prima quæstio domum ingressæ fuit: quomodo valent caniculi, postrema quomodo se gerunt filioli: & sæpè de his ne quæstio quidem. Pudet dicere, quomodo matres decennes & duodecennes filios subinde doceant, quæ solis maritis nota esse deberent. Libet exclamare cum Chrysofomo: *Hos ego Patres* (has matres) *quod nemo tamen me commotius dicere, quàm verius existimet, parricidis ipsis immaniores sceleratioresque dixerim.* Dum enim causam præbèt filiorum ruinæ, sunt sibiipsis ruina, & dum filios habere volunt CARCINOMATA, ipsimet sunt CARCINOMATA VOLUNTARIA.*

S. Chry-
sost. hom.
3. adv.
vitup. vi-
te Monast.

Ut quisque filium suum vult esse, ita est.



DISCURSUS XXIII.

Dominica XXI. post Pentecosten.

Anthropophagi.

T H E M A.

Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. *Matth. 18.*

S Y N O P S I S.

- I. Populi quidam Indiae humanas carnes vorare soliti Anthropophagi dicti sunt. Similes ijs avari qui miseros subditos, viduas, pupillos, & alios excoriant eorumque substantiam devorant, & superant in crudelitate omnes bestias.
- II. Ut sapientes decernunt, sapienti lex opum mensuram praescribit, stulto praescribi non potest, sicuti nec Lunae vestis confici, aut canis domus construuntur.
- III. Tales stulti sunt exactores, qualis Evangelicus ille, qui videns sapientem Patremfamilias contentum parvo, ipse plus habere voluit & tenens suffocabat servum. Tales Dom. Pays II.
- sunt aliquando Principum ministri assimilati Scyllae & Harpyiis.
- IV. Deus homini inspiravit suum spiritum, sed ipse sua culpa ferinum assumit, quod Deus ostendit per virgam Moysis quae in serpentem versa est, ad insinuandum spiritum ferinum Pharaonis.
- V. Conquerebatur de hoc olim Salvianus contra exactores; sed non desunt similes adhuc hodie, qui latrant ut canes, rapiunt ut harpyie, vorant homines ut Anthropophagi.
- VI. In horum numero sunt Duces militum, praefecti annone, tributorum, vectigalium aliique officiales, qui ultra debitum & impositum exigunt,

vel defraudant. Unde vestigalium tractationem sibi appropriant demones juxta Basilium, eo quod ipsi collaborent ad exactiones inabitatas.

VII. Ab his omnibus exigit rationem homo Rex, & dum puniet non vocabitur amplius homo sed dominus: uti exegit ab Achab, cuius sanguinem lixerunt canes, ubi lixerant sanguinem Naboth.

VII. Clamabunt ad Dominum oppressores pauperum serâ penitentia, & non audientur, sicut Nobilis Hispanus, cui mortem accelerarunt preces oppressorum.

IX. Et sicut ille qui plus à vidualia exigebat quam dederat, accepta iniusta summa repente subtrahitur è vita. Meruit quia Anthropophagus.

Et tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. *Matth. 18.*

I.



Rientalis Indiæ inquilinos ad septentrionem Anziquios dictos humanis carnibus vesci solitos, cœteris gentibus in feritate palmam præripere ferunt. Non enim hostes duntaxat prælio captos, sed & amicos, & consanguineos devorant. Imò sunt apud illos qui gloriæ cupidi, ut videantur mortem contemnere, seipso mactandos & devorandos locant. Unde macella publica apud illos non pecuinas, sed humanas carnes venales exhibent. Idem in ea Americæ parte quam Brasiliam dicunt, ante adventum Lusitanorum consuetum fuisse memorant Historici. Veteres quoq; Hybernæ indigenas sylvicolas, parentum defunctorum corpora esitasse Strabo narrat. Et D. Hieronymus testatur se vidisse illius gentis quosdam humanæ carnis voratores. Phalarim Tyrannum

*Phil. Pi.
gasset.
hist. Ind.
Orient. de
regn. Cou-
g.*

*D. Hieron. ap.
Sabellic.*

num usq; eo provectum crudelitatis meminerunt Athenæus & Aristoteles, ut infantes lactentes avidè voraret. Taceo Poëtarum figmenta, quibus produnt, quod Lycaon & Tantalus proprios filios Dijs in epulum proposuerint. Taceo plures alios humanæ carnis voratores quos ANTHROPOPHAGOS dicimus. Illos hodie in scenam educam, qui infernalibus avaritiæ stimulis agitati, subditos suos, pauperes, viduas, pupillos, debitores crudeliter exagitant, exsugunt, excoriant, DEVORANT, de quibus per Psalmistam Deus conqueritur: *Qui DEVORANT plebem meam sicut escam panis.* In quæ verba Hugo Cardinalis: *Nota quod non dicit qui DEVORANT substantiam plebis sed dicit plebem meam, quia substantia pauperis vita eius est. Isti in crudelitate excedunt & superant omnes bestias.* Typus istorum potest esse hodiernus servus cui remisit Dominus magnam summam: ipse econtra suo conseruo non solum non voluit condonare parvam summam, sed neq; dilationem concedere solutionis. *Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Iste in crudelitate excessit & superavit omnes bestias.* Hoc thema esto nostri discursus, & incipiamus.

II. Inter cœteras quæstiones quas sibi sapientes in convivio apud Plutarchum discutiendas proposuerunt, illa genium Avaritiæ bellè exprimit. Quærebat Chersias: *Quis modus rei faciendæ sit sufficiens:* sive quod idem est: *Quantæ cuiq; opes sufficere debeant?* ad hæc Cleobulus: *Lex mensuram sapientibus præscripsit: ineptis fabulam narrabo.* Aiunt Lunam à matre petijisse ut sibi tuniculam congruentem texeret: ac matrem respondiisse: *Qui possum verò, cum te iam plenam, mox in cornua atte-*

*Aiben. lib.
9 c. 18.
Arist. lib.
7. c. 6.*

*Psal. 13.
Hugo
Card. in
Psal. 13.*

*Plut. in
Conviv.
sap. n. 37.
P. 1. Mo-
val.*

nuatam, rursus dimidio orbe videam? *Sic etiam* (inquit Cleobulus) *homini satuo & vitioso nulla mensura opum est: necessitates enim eius subinde cupiditatibus, & fortuitis casibus mutantur.* Additq; aliam fabulam de cane Æsopico, qui hyeme ob frigus se contrahens cogitat de domo paranda, æstate autem cum porrectus dormiat, magnus sibi videtur, neq; necessarium putat magno labore domum construere. *Nonne vides eos, qui modo humiles planè in arctum se cogunt, utpote præcise ac Laconicè victuri, paulopost nisi omnes privatorum regumq; res possideant, existimare se ob inopiam perituros.* Ita concludit Cleobulus. Et quis non veritati applaudit, quis non detestetur vitium à tot sæculis in consuetudinem traductum? sapientes, inquit, lege definiunt sua desideria, stulti nullos terminos habent, quia semper variant; unde modus illis præscribi non potest, sicut nec Lunæ vestes contexi, nec cani domus construui. Et qui sunt isti stulti?

III. In hodierno Evangelio de duobus Exactoribus narratur, unus est sapiens, alter stultus, unus est Dominus, alter servus: Dominus liberaliter remittit debitum, quasi ex lege sapientum cupiditatem augendi rem familiarem definiens: servus autem non contentus sua sorte, liberatus à debito sicut CANIS Æsopicus à frigore, incipit se extendere ad exigenda credita, ad augendas opes, & deprehenso creditore conservo: *Tenens suffocabat eum:* O genuinam repræsentationem boni Principis, boni Patrisfamilias, sed habentis malos & avaros ministros, quibus uti Lunæ nulla vestis, uti canibus nulla domus aptari possit, qui sicut Harpyiæ lucris & commodis suis sed cum detrimento subdi-

torum & conservorum inhiare solent. Qua de re monebat Hildebertus Turonensis Principem Angliæ Regis filium, ita ad eum præscribens: *Ex tuis ministris necesse est divinam metuas indignationem, qui circa pauperes, & sanctuarium Dei, quidquid impiè volunt impunè agunt. Huiusmodi bonos Principes, sed pravos habentes ministros scriptura nunc Scyllam, nunc Harpyias appellat. Etenim Scylla facie humana, sed CANINIS capitibus accincta describitur. Harpyie vultum habent virginum, ungues autem rapaces. His quidem boni Principes comparantur: ipsi crudelitatem abhorrentes, de injurijs proximorum conquerentes: cæterum ministri eorum odoratu prædæ CANIBUS, rapacitate similes sunt unguibus Harpyiarum. Monstrum est vultus virginis, & pedes unguibus aduncis horridi. Monstrum est Manticora bellua Indica, facie homo, corpore Leo, humanas carnes maximè affectans, ut tradit Plinius. Si verò etiam vultus humanus in ferinum transeat, & non tantùm Præfecti, Ministri, Oeconomi sed & ipsi Domini & Magistratus ad violentias ad rapinas, ad excoriationes miserorum propensi sint, & cooperentur, non amplius monstrum, sed monstrorum omnium compendium est. Isti in crudelitate excedunt, & superant omnes bestias.*

IV. Cum Deus crearet hominem: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ.* Quid suavius aut mitius oris flatu? corpus formavit non è duro saxo aut rupe, sed ex molli terra & limo: ut scilicet careret homo omni duritie & asperitate. Id expendens Oleaster inquit: *Adverte qualiter Dominus Deus tuus ex intimo suo flatu vitam tibi communicavit. Quod intra præcordia tua vitalis Dei status particeps es, quare*

Hildeb.
Turon.
Ep. 59.

Plin. lib.
8, c. 21.

Gen. 2.

Oleast. in
Gen.

ferinum spiritum iratus ut FĒRA emittis ? Hoc merito obieceris Præfectis, Ministris, Oeconomis magnorum Dominorum, qui præter voluntatem Dominorum subditos vexant, affligunt, & DEVORANT sicut escam panis. Hæc quippe est inhumanitas, & crudelitas quæ prodit in homine non esse divinum sed ferinum spiritum : qualem in Pharaone designabat Moyſis virga in serpentem versa ut observat Theodoretus: Quia Pharaos crudelitate in Hebræos usus est, ut quod in ipso divinum erat, belluinum esse declararet, ideò præcepit Deus virgam, quâ illum flagellaverat, in serpentem mutari ad convincendam illius feritatem. Et quid agebat Pharaos? opprimebat Israëlitas, cogebat eos ad continuum laborem, nullam concedebat requiem. Sic agunt cum subditis multorum Dominorum Præfecti & Oeconomî, dies noctesq; trahunt ad labores, ut à fatigatis, & frustra quiritantibus facilius pecuniam extorqueant, & donativa; ut mirum sit quod virgæ eorum, quibus uti solent ad compellendos subditos non mutantur in serpentes, qui ipsosmet Præfectos devorent.

*Theod. 4.
9. in E-
zod.*

V. Lamentabatur olim Salvianus Massiliensis de inhumanis & duris exactionibus Romanorum, à quibus nec sacra loca nec Ecclesiastici immunes fuerunt : quid verò mirum Romanos Ethnicos id egisse? nunc verò Christianos, & qui se tales profitentur idem exercere in Christianos, dignum est admiratione & stupore. Appono verba Salviani: *Quis ergo locus est, ubi non à principalibus civitatum, viduarum & pupillorum viscera DEVORENTUR, & cum his fermè sanctorum omnium? Nam & hos quasi viduas & pupillos habent, quia tueri se aut pro studio*

*Salvia.
Massil.
lib. 4. de
prov.*

pro-

professionis sue nolunt, aut innocentia atq; humilitate non possunt. Nemo itaq; tutus est, nec ullus admodum præter summos à vastatione latrocinij populantis immunis, nisi qui ipsis latronibus par est in hac conditione. Imò in hoc scelus res devoluta est, ut nisi qui malus fuerit, salvus esse non possit. Annon familia hodie in quibusdam locis per Christianos exerceri conspiciamus, ubi postquam subditi tributum Principi debitum, & jura suo domino exactè persolverunt: nihilominus consultò quæsitis causis, & confectis criminationibus, vel ob modicam transgressionem durissimè exagitantur, puniuntur, non jussu aut imperio dominorum, sed insatiabili cupiditate Præfectorum aliorumq; ministrorum, qui latrant ut CANES, rapiunt ut Harpyiæ: & suam inhumanitatem potissimum exserere solent in viduas, pupillos, velut maximè opportunos injurijs, quia se defendere non possunt: atq; utinam non etiam aliquando extenderent suos ungues in Clerum violando & calcando Ecclesiastica jura. Adhuc gravius idem Salvianus detonat in eiusmodi Harpyias, cum ait: *Illud est gravius, quod plurimi proscribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris est præda: qui fiscalis debiti titulos, faciunt quæstus esse privatos: Et hoc non summi tantum, sed penè infimi: non judices solum, sed etiam judicibus obsequentes. Quæ enim sunt non modo urbes, sed etiam mancipia atq; vici, ubi non quot Curiales fuerint, tot Tyranni sint? Quæ an & quomodo, & ubi potissimum nostris temporibus aptentur, relinquo in medio. Chrysofostomi sensum præterire non debeo, qui tyrannos inhumanos immitericordes censet lucris continuis inhiantes, & ex alieno malo sibi accumulantes divitias. Ita quip-*

Salvian.
cit. lib. 4.
de prov.

S. Chry-
sost. in
Ep. 2. ad
Cor. hom.
17.

quippe loquitur : *Est qui non acquirit nisi alius se-
verit, qui lucra non condit nisi alius genuerit ; cui
solum bonum est , quod publicum malum est , dum aut fru-
ctus servat , aut annonam captat , aut pretia inflat , aut
scenus exaggerat , dum acquirendi lucra pernocendi ex-
quirat ingenua. Potestne talis misericordiae implere offi-
cia, cui pupillorum dulcis est gemitus , & viduarum sua-
vis est fletus ? Potestne misericordia tangi , aut humani-
tate moveri , cuius avaritiae nec proprium sufficit nec a-
lienum &c. : Qui nulla movetur misericordia &
compassione , Tyrannus est , inhumanus est , cru-
delis est. Isti in crudelitate excedunt , & superant om-
nes bestias. Bestiae invicem non DEVORANT quae
sunt eiusdem speciei nisi lupi in extrema famis ne-
cessitate. Non enim alietus (ut loquitur Hugo Car-
dinalis) comedit alietum (intellige pullum aquilae vel
falconem) neque canis canem. Et tamen miser homo ho-
minem DEVORAT.*

Hugo
Card. in
Ps. 13.

VI. In horum verò censum refert Basilius eti-
am militum Duces , tributòrum , vectigalinum , te-
loniorum Praefectos : Hugo Cardinalis verò omnes
Principum officiales , qui vel curam aliquam vel
occasionem habent exactioinum : imò & *Ecclesiarum
Prelatos , Advocatos , Officiales* , ut ipse loquitur.
Hos omnes hodierna Evangelica concernit Parabo-
la : omnes aliquando rationem ponent cum domi-
no : & si durè ac inhumaniter tractaverintonser-
vos suos , habebunt severum iudicem , quem alias
sensèrunt misericordem Dominum. Verba Basilij
notatu digna sunt ad illud praèceptum : *Non furtum
facies* , ubi ait : *Non est intelligendum fures esse solum
bursarum incisores vel latrocinantes in balneis : sed & si
qui Duces legionum statuti , vel commisso sibi regimine*

S. Basl.
in Caten.
ad Luc.
c. 18.

civitatum aut gentium : hoc quidem furtim tollunt , hoc verò vi , & publicè exigunt. Idem agens de vectigalibus quæ subinde emuntur à terræ Principe, vel oppignorata suscipiuntur, acutè ait : *Vectigalium redemptio, cuius fructus aliorum lacrymæ, cuius thesaurus aliorum miserie.* Neq; hoc contentus, ut magis exprimat periculofam huiusmodi munerum tractationem, alibi asserit eam esse propriè diabolicam, si videlicet cum fraude, & proximorum injurijs exerçetur. Ad illa enim verba apud Matthæum, quæ dæmones Christo dixerunt : *Quid nobis & tibi ?* adiungit Basilius in persona dæmonum : *Quid nobis & tibi ? Te loquentem audiunt Publicani, & nostram vectigalium tractationem defugiunt.* Ecce dæmones tractationem vectigalium, tributorum, teloniorum, exactionum, suam tractationem appellant : quasi ipsi collaborarent Telionarijs, & alijs similibus exactoribus, nostram (inquiunt dæmones) *vectigalium tractationem.* Ergo non tantum subinde invifunt telonia, sed continè illis adhærent, & velut quidam officiales substituti illa tractant ; quomodo ? juxta ingenium suum : dolus, fraus, deceptio, furtum, rapina sunt inventiones diabolorum : *Isti in crudelitate excedunt, & superant omnes bestias.* Addo verba iterum Salviani, de ijs qui eiusmodi officia subinde caro emunt, *Quid aliud quorundam quos taceo prefectura quàm præda ? Nulla siquidem maior pauperum est depopulatio quàm potestas. Adhoc enim honor à paucis emitur, ut sanctorum vastatione solvatur. Sc. ut pauci illustrentur, mundus evertitur.* Notate hæc postrema verba ut pauci ILLUSTRANTUR : plerumq; enim per eiusmodi officia emergunt illi quos dicebamus fi-

*Idem S.
Basil. o-
rat. 35.*

*Idem S.
Basil. o-
rat. 23.*

*Salvian.
sup. cit.*

miles CANI Æſopico in hyeme in arctum ſe cogente, qui ſubinde appetente æſtate ſeſe longè lateq; extendunt, & cùm ſint nati obſcuriſſimis parentibus, illicò volunt ILLUSTRARI, vocari ILLUSTRISSIMI; tantum operatur *veſtigialium redemptio*, cuius fructus aliorum lacrymæ, cuius theſaurus aliorum miſeriæ! Et per iſta uti ſapientes poſſunt advertere *Mundus evertitur*: magnæ & antiquæ familiæ extinguntur, ſurgunt pro ijs Publicani: *Ut pauci illuſtrentur, mundus evertitur*. Orphani, viduæ, coloni, ſubditi ſpoliantur, depauperantur, DEVORANTUR, *ut pauci Illuſtrentur*. &c.

VII. Quid porrò putatis dicturum adhæc *Hominem Regem* de quo parabola hodierni Evangelij? Utiq; : *Ser ve nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogavi me : nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui?* Quando incipit rationem ponere cum ſervis & remittit debita, vocatur Homo Rex, quia agit manſuetè & humaniter, temperat poteſtatem modestia & humanitate; ſed cum ad correptionem delinquentis ſe accingit, non amplius homo, ſed Dominus appellatur. Non vacat myſterio, quia licet nullus inveniatur Rex aut Dominus qui homo non ſit, quando tamen plectit, & vindictam ſumit, non agit ut homo, ſed ut Dominus. Hinc Philip-
pus Macedoniæ Rex, ne fortè nimia ſeveritate uteretur in reos, quotidie ſibi voluit in memoriam revocari humanitatem, conſtituto qui ſibi aures obtunderet illis verbis : *Homo eſto Philippe* : qui tamen ubi requirebant delicta exuebat hominem, ſic faciet Evangelicus homo Rex, contra inhumanos, immites exactores, pauperum, viduarum, & papillorum oppreſſores, fulminabit *ſer ve nequam*, & tradet eos

tortoribus: uti fecit jam olim cum Rege Achab, quem diabolica avaritia impulit, ut canina rabie sæviret in Naboth, donec eius vineam raperet; sed suo exitio. Nam sententiam illi per Eliam Prophetam indicavit Deus: *Occidisti, insuper & possidisti. Hæc dicit Dominus in loco hoc, in quo linxerunt CANES, sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Et ita factum est: nam vulneratus in prælio: *mortuus est, & perlatus in Samariam, & linxerunt CANES sanguinem eius.* Ad quæ D. Ambrosius: *Quia pauperis vineam concupierat, nequaquam tantis opibus expletus Imperij, infra omnem inopiam redditus est à Domino. Non qui eius vulnera lavaret inventus est, non qui corpus operiret; desuit circa eum hominum humanitas: CANUM successit asperitas; dignos planè ministros funeris avarus invenit.* Nimirum quales antea ministros habuit, quorum auxilio oppressit pauperem, tales postea obtinuit executores justitiæ, & funeris curatores. Ipsa quoque Jezabel quæ malo fuerat cooperata, est lacerata à CANIBUS. *Quia Isti exactores avari in crudelitate excedunt, & sperant omnes bestias.* Et Cassiodorus in hunc sensum aiebat: *Ultra omnes crudelitates est, divitem velle fieri, de exiguitate mendici.*

VIII. Minatur illis Deus per Isaiam: *Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. Populum meum exactores sui spoliaverunt. Et vos depastis estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra.* Simili ratione per Michæam ait: *Qui COMEDERUNT carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriarunt, & ossa eorum confregerunt, & Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos.* Ad quæ Hugo Cardinalis apponit: *clamabunt ad Dominum op-*

3. Reg. 21.
v. 19.

Ib. c. 22.
v. 38.

S. Ambrosii
lib. de Naboth.

Cassiodorus
lib. 10.
var. 13.

Isai. 3.

Michæ. 3.

Hugo
Card. in
Michæ.

pressores pauperum sera pœnitentia, quia non exaudientur. Imò ne quidem tempus habebunt pœnitendi, si diu in malitia perseveraverint: quod accidit Nobili Birvescensi in Hispania. Hic miris modis subditos opprimebat, nulla humanitate delinitus, nullis precibus flexus. Si qui non haberent quo darent, jubebantur nudis pedibus per spinas incedere, seque cruentare. Misertæ maritorum suorum uxores, convenerunt ad Ecclesiam S. Casildæ Virginis in eius pervigilio, & Deum instantissimis precibus pro auxilio contra inhumanum Dominum exorarunt: sùntque exauditæ earum preces. Nam illa nocte nobilis ille crepuit, Anno 1121.

*Godfr.
Hensch. ad
9. April.*

IX. Nempè Cor durum habebit malè in die novissimo, uti etiam expertus est alius inhumanus exactor, de quo in vita S. Iventij Episcopi magni pauperum & viduarum patroni. Ad hunc accurrat vidua, dum à creditore quodam premeretur, & crudelis nummularius duplum ab ea pecuniarum exigeret, quam dedisset. Vir Dei cognito negotio, Diaconum suum Exuperantium misit cum vidua ad creditorem mandans: vade ad eum qui hanc viduam crudeli vexatione opprimit, admone eum vice meæ postulationis dicens: Pater tuus rogat, sufficiat tibi quod tuum est; nec exigas quod minime dedisti, ne id quod habere videris, amittas. Si autem te audire noluerit; ecce do tibi summam pretij, porrige ei, & revertere. Jussa sancti illicò implevit Diaconus, accessit avarum creditorem, sed reperit Marpesiam rupem: non enim ab injusta exactiōe se abstrahi passus est. Igitur Diaconus uti mandatum acceperat, pecuniam quam vir Dei pro vidua miserat, illi porrexerat: quam ut primum

*Eccl. 3.
27.*

*Paul. Di.
ac. in vi.
ta S.
Ivent. c.
14. Suri.
us ad 12.
Septemb.*

accepit, miser exactor corruens in terram exspiravit. *Cor durum habebit malè in die novissimo.* Et Psalmista hos intellexisse videtur cum canit: *Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos.* Nam Ecclesiasticus explicat quinam sint viri sanguinum: *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Cœtera divinate vos ipsi qui estis ANTHROPOPHAGI.

Eccle. 3.
27.
Ps. 54.

Eccle. 34.

DISCURSUS XXIV.

Dominica XXII. post Pentecosten.

Meum & Tuum.

T H E M A.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. *Matth. 22.*

S Y N O P S I S.

- I. Felicem judicabat Plato civitatem à qua excluderetur Meum & Tuum, felix etiam tale coningium. felix quælibet communitas quæ his caret. Quia talis vita similis est cœlesti ubi non est Meum & Tuum. Hoc proscribunt, qui
- reddunt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.
- II. An hoc liceat querebant Pharisei à Christo, sed deprehensi sunt in astutia, quia plus ille respondit quàm quæsierint.
- III Sic deprehensus est nobilis à Monaco simplici, coactus red-

- reddere quæ malè acceperat.
- IV. Reddendum dicit Christus Cæsari quod ei debetur, & postea Deo, quia nisi reddatur alienum mundo, non potest satis fieri Deo. Nam Deus ipse precipit temporali Domino dandum tributum.
- V. Non enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, idq; de necessitate salutis: nec valet confessio vel absolutio sine restitutione.
- VI. Unde inter Græcorum errores computatur, dicere quod ex inique ablati solum pars dari possit Ecclesijs, quia totum reddendum est. Vsurarius suo damno didicit, quid sit non restituere.
- VII. Deo etiam reddendum quod Dei est, anima, pietas, observatio mandatorum, & potissimum si quid Ecclesijs ablatum est.
- VIII. Si enim Oza punitus est quod arcam tetigerit auxilij causa, quanto magis direptores Ecclesiasticorum bonorum. Punit Deus similes extinguendo illorum familias, & alias penas infligendo.
- IX. Uti accidit illi qui bovem Ecclesie devoraverat, factus perpetuo claudus, & quadrupes.
- X. Basilius Macedo in summa necessitate accepta ab Ecclesijs reddenda censuit, & obligavit successores.
- XI. Godefridus Cappenbergensis Comes cum videret prædas agi à suis gemebat, metuens ne pro illis deberet dare rationem Deo, & jubebat rapta restitui. Unde omnibus illud altè demittendum in pedus. Reddite Cæsari, Reddite Deo. Sic eliminabitur MEUM & TUUM.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Matth. 22.*

Plato apud Stob. ser. 72. & Plut in Amatorio. P. 3 Mor. §. 42.



Reddite sapientes censēbat Plato, qui urbem illam felicem & beatam pronuntiavit, in qua non audirentur hæ voces MEUM & TUUM. Id etiam ad felix coniugium extendit Plutarchus inquiring: Cui coniugio amor adspiraverit, primum tanquam è Platonica civitate eiecit voces:

ces: *MEUM, TUUM*. Non enim simpliciter communia amicorum, sed corporibus tantum definiunt animas vi conducunt, & colliquant, cum neque velint duo esse, neque duo se esse censeant. Felix sine dubio & civitas, & coniugium, ubi quod unus habet alter habet, quod unus patitur alter tolerat, quod unus vult, alter anhelat. Si verò superba uxor quæ magnam marito dotem attulit inclamet hoc *MEUM* est, si læso marito, uxor sine sensu prætereat, si parsimonie operam dante marito, rem domesticam uxor dilapidet, profectò ibi infelix est coniugium, & dominatur *MEUM TUUM*. Tradunt Medici (ut est apud Plutarchum) *ictus sinistrorum in dextris partibus sentiri: ita affici ijs quæ viro eveniunt mulierem par est, atque adeò vicissim*. Divus Chrysostomus doctrinam hanc applicat domibus Religiosis, *Quasi de terra in coelum, ita ad sancti cuiuslibet viri monasterium de proprijs domibus itur: mundus est locus ille, alta ubi quies atque silentium est. MEUM & TUUM inde prorsus eliminatum est*. Alibi quasi è solo cælo hac voces exulare supponeret, inquit: *Postquam hinc demigraverimus facillè compotes erimus eius boni, cum hæc omnia sublata fuerint, adversa valetudo, morbi, peccandi materia; ubi non est MEUM ac TUUM frigidum illud verbum, quidquid est malorum in vitam nostram invehens, innumerèque gignens bella*. Rursum alio loco: *Ubi enim MEUM & TUUM, illic omne litium genus, & contentionis occasio*. Subscribit aureo oratori Martinus Dumienensis, ubi ait: *Quietissimam vitam aquirent homines in terris, si hæc duo verba à natura omnium rerum tollerent MEUM & TUUM*. Scio vos omnes AA. desiderare vitam quietam, & si est serium desiderium, utique optabitis etiam icire modum

Plut. de coniug. præcept. §. 10.

S. Chrysost. in Ep. 1. Tim. hom. 14.

Idem S. Chrysost. orat. de S. Philog. To. 3. op.

Idem hom. 33. in Gen.

Mart. Dumien. lib. de morib.

quomodo hæc duo MEUM & TUUM eliminatis : non eget res multis præceptis. Ecce in hodierno Evangelio paucis complexus est doctrinam Christus : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Qui hæc duo ritè præstat, hic proscripsit à suo animo MEUM & TUUM. Quod ne vanè à me dictum existimetis, non tam aures quàm animos attentos huic discursui exhibete.

II. In hodierna Legatione Pharisaorum, quam inito prius Consilio adornarunt ad Christum ut caperent eum in sermone, verificatum est quod de Deo Job assererat : *Aprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat.* Sphingem agebant, deprehenderunt Oedipum. Existimabant se excogitasse Cornutum Syllogismum, in quo quidquid concederet defendens, in eo caperetur ; sed inciderunt in eum, qui dixit : *Omnia Cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* In eo ipso si quidem capti sunt, in quo capere conabantur. *Licet censum dare Cæsari, annon ?* versuta quæstio : ad quam si respondisset Christus negativè, illicò arguissent reum læsæ Majestatis, quod postea de illo mentiti sunt accusantes : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari.* Si respondisset affirmativè, poterant inferre ergo tu non es Messias, qui promissus es venturus ut liberares populum Dei à servitute & tributo pendendo Gentilibus, ut ipsi putabant. Quid ad hæc Christus ? plus respondet, quàm petatur ; nec kedit Cæsarem, nec suæ quidquam derogat potestati : Et in hoc ipso ostendit se justissimum iudicem, qui tribuit *cuique suum.* *Reddite :* inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Nihil illi

Job. 5. v.
13.

Psal. 74.
v. 11.

Luca. 23.

interrogabant de Deo : Christus respondet de Deo simul & de Cæsare. Nihil aliud quærebant illi, quàm an liceat dare : ipse respondet non solum quòd liceat, sed quòd debeant : non solum date, sed *reddite*, quorum illud fuisset arbitrij, hoc verò justitiæ. Damus enim quæ nostra sunt, reddimus verò quæ aliena sunt, quæ aliunde accepimus. Unde quod quis debet *Reddere*, de eo non potest dicere hoc est MEUM. Confusi tam sapienti responso, non habuerunt quod opponerent. *Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.*

III. Multa in hoc Christi responso latent mysteria & documenta, quæ sermonem nostrum nimium protenderent. Duo potissimum sunt expendenda *Reddite Cæsari, Reddite Deo*. Cuiq; suum. Sed in antecessum percipite, quomodo Deus ut eliminet MEUM & TUUM apprehendat sapientes in sua astutia. Narrat Cæsarius rem jucundam & mirabilem, quam à Widone Abbate Cisterciensi accepit. Erat fortè domus Cisterciensis Ordinis in ditione cuiusdam nobilis parum curantis Deum, quiq; omne TUUM libenter fecisset MEUM. Multis ille modis vexabat Cænobium per præfectos & ministros suos, annonam, vinum, pecora, usurpando per vim, & rapiendo. Diù ea tyrannis duraverat, & penè lex erat nullum jus esse Monachorum, eorumq; jura sine injuria posse violari. Accidit ut armenta monasterij palam aggressus, non exiguam partem prædæ instar abduceret. Abbas loci mittendum unum è Fratribus censuit, qui erepta repeteret, sed nulli tantum animi, ut legatione fungeretur. Tandem designatus ex obedientia unus inter omnes simplicissimus, qui in habitu quæsijt ex

*Cæsar. lib.
6. cap. 2.
Steng. de
Judic. To.
1. c. 21.*

Prælato: Quid tibi, si non totum sed pars duntaxat eorum, quæ ablata erant, restituatur, faciendum? respondit Abbas paucis: *Quidquid REDDIDERIT, accipe in nomine Domini. præstat aliquid recipere quàm amittere totum.* Sic instructus abit, accedit Nobilem, petitionem exponit, repetit ablata. Audit lupo ovem, & ridet: Video, inquit, mi Pater te esse famelicum, prande igitur prius, & tum responsum accipies. Sed *infirmam mundi eligit Deus ut confundat fortia.* Agebat hic nobilis prædo quod Pharisei cum Christo, hi ut caperent in sermone; ille, ut caperet in facto: sed deprehensus est in astutia sua. Non abnuuit Monachus esse conviva, in summa simplicitate memor Abbatis sui præcepti: *Quidquid REDDIDERIT accipe.* Accumbit mensæ, apponuntur carnes quas ex regula & consuetudine non comedebat, sed cum non dubitaret eas esse ex pecoribus Monasterio ablati, memor præcepti: *Quidquid REDDIDERIT accipe,* intrepidè eas non tantum ad satietatem, sed etiam ultra appetitum ingerere institit. Nobilis interim in diversa mensæ parte cum uxore accumbens tubercinantem observans, mirari, suspicari, & tacitè violatorem regulæ condemnare. Absoluto prandio seductum ab arbitris Monachum alloquitur: Dic mihi bone vir: *Solèntne vester Conventus manducare carnes?* Nequaquam ait Monachus. Quid verò extra claustrum? Neq; domi neq; foris, inquit ille. Jam ratus nobilis se in nassa habere hospitem: *Cur igitur tu hodie?* Milo mihi factus bovem propè integrum devorasti. Reposuit simplex Monachus: Cum Abbas me huc mitteret, præcepit: *Quidquid REDDIDERIT accipe.* *Constabat mihi carnes appositas fuisse*

fuisse mei monasterij : metuebam nihil amplius mihi restituendum nisi quod dentibus arriperem, comedi propter obedientiam, ne omnino vacuus redirem. Hoc responso tam simplici & sincero fractum pectus adamantinum Nobilis; & sensit se captum qui captabat, & qui nihil REDDERE proposuerat, jam se REDDISSE advertit. Ergo mutato animo. Vade, inquit, venerande senex, metuo vindictam Dei: Monasterio abacta pecora restituo, & quidquid damni intuli resarciam: quod TUUM est, MEUM non est, sed & quod MEUM est TUUM erit.

IV. Quorsum hæc dicta putatis AA. eo tendunt quo Christi sententia: *REDDITE quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quid sibi vult hic ordo inversus, quòd Christus jubeat prius REDDENDUM Cæsari quàm Deo? annon potius dicendum erat *Reddite quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Nempe qui non REDDIT quæ sunt Cæsaris Cæsari, non potest REDDERE quæ sunt Dei Deo: & qui REDDIT Cæsari, reddit etiam Deo, quia Cæsar in ijs, quæ ad temporale regimen pertinent nobis est loco Dei: Audite super hoc moralizantem S. Ambrosium: *Bene prius quæ sunt Cæsaris reddenda decernit, neque enim potest quis esse Domini, nisi prius renuntiaverit mundo.* Addo ego: nisi satisfecerit ei, quem Deus loco sui præposuit; nisi obediverit Principi, cui obediendum præcepit Deus. Egregiè nobis hoc documentum inculcat Apostolus cum ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. &c. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est. &c. Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter con-*

S. Ambrosius
in c. 20.
Luc.

Rom. 13.

Scientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Medium ad REDDENDUM Deo quod Dei est inter cætera est REDDERE Cæsari, aliisque Principibus temporalibus quæ eorum sunt. Observavit vim verbi REDDITE Theophylactus:

*Theophyl.
in Luc.*

Vide, inquit, quia non dixit Date sed REDDITE Debitum igitur est. REDDE igitur debitum. Custodit te Princeps tuus ab hostibus, vitam tuam pacatam facit, debes itaque ei pro his tributum. Et quidem huius debiti persolvendi Christus ipse exemplum dedit. Nam Capharnai cum esset requisitus Petrus à

Matth. 17.

Telonarijs: Magister vester non solvit didrachma, idque retulisset Christo: præcepit illicò Christus. Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius invenies staterem, illum sume, & da eis pro me & te. Duo hic insinuantur. Unum promptitudo in persolvendo tributo, quod omnibus subditis convenit. Unde S.

S. Ambros.

Ambrosius in hunc locum ita fatur: Si censum Dei Filius solvit, qui tu tantus es, qui non putas esse solvendum? Et ille censum solvit, qui nihil possidebat; tu autem qui seculi sequeris lucrum, cur seculi obsequium non recognoscas? Alterum verò observandum maximè exactoribus. Habebat sine dubio Christus ex elemosynis collectam aliquam pecuniam, ex qua non voluit didrachma solvere, ne quod erat Dei daret mundo, sed misit Petrum piscatum, ut de eo quod ex industria acquisitum erat, solveret. De hoc bonus author: Quam sæpè tributorum exactores extrahunt ex ore pauperum cibum, ut solvant tributum

*Vega in
cap. 1. su.
dic. §. 70.*

tum

tum. Bonus autem Princeps, qualis fuit Christus Dominus, suorum pecunias in proprios usus non infumit.

V. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Hoc dixit Christus ad Phariseos & eorum legatos qui erant subditi Cæsari, sed idem intelligendum est etiam de alijs Principibus, de quibuscunque dominium & superioritatem Magistratus exercentibus; ut docet S. Thomas: *Cum principes nostri suo regimine Deo ministrent, à populo debent tributa suscipere, tanquam stipendia sui ministerij.* Imò à fortiori hæc vox REDDITE extenditur ad eos qui quacunque ratione quidpiam ab alijs acceperunt, vel acceptum retinent: vi, fraude, dolo, incuria, furto: *neq; enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Ut est communis Theologorum sententia cum S. Augustino. O gravis obligatio! quæ multos cæteroquin integerrimæ vitæ in interitum præcipitat, dum vel REDDENDUM non putant, vel per solam pœnitentiam se arbitrantur satisfacturos. Audiant isti S. Thomam loquentem: *Cum conservare justitiam sit de necessitate salutis: consequens est, quòd restituere id quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.* Atq; adeò non minus de necessitate quàm de peccatis pœnitere, in gratia Dei è vita decedere, quam nemo adipiscitur qui non REDDIT, quæ injustè retinet. *Si res aliena, inquit Augustinus, propter quam peccatum est REDDI possit, & non REDDITUR: pœnitentia non agitur sed simulatur.* Frequentia divina mysteria assidue, sacrificio Missæ interfis quotidie, corpus macera jejunijs, flagellis, cilicijs, exerce opera charitatis erga proximum, imple ad amissim Dei præcepta, si hoc unum negligas, & aliena possidens non REDDAS suo Domino, incas-

D. Tho. in
Ep. ad
Rom. c.
13.

S. Aug.
Ep. ad
Maced.

D. Tho. 2.
2. q. 62.
4. 2.

S. August.

sum laboras : *Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Neq; tibi blandiaris si in Confessione nactus Sacerdotem ignorantem, vel laxum ei quidpiam immurmures, ac recenseas quantum alios defraudaveris, quantum de alieno retineas : & ille vel supponens te paratum REDDERE, vel oblitus monere ut REDDAS, in confessione te millies absolvat, nulla est absolutio si non REDDIS. Accidit aliquando casus quo pœnitens fassus est Confessario se tria millia alieni sive per fraudem obtinuisse, sive per vim rapuisse, non posse tamen suo Domino facile REDDERE absq; infamia, non esse eum cui subtractum est adeò indigum &c. & Confessarius libertinæ conscientiæ vel exiguæ scientiæ injunxit pœnitenti. REDDE saltem meæ Ecclesiæ trecentos pro tribus millibus, eumq; absolvit. Imò nequam absolvit, sed turpissimè decepit : hoc enim est ut vulgo jactatur : *furari corium, & calceos dare pauperibus.* REDDENDUM est, quidquid ereptum, & si vel ille eiûsq; hæredes non supersunt, REDDENDUM Ecclesijs aut pauperibus : cœterum prudens Confessarius facile modum inveniet, quomodo ad proprium Dominum revertatur quod ereptum est, si pœnitentis seria voluntas fuerit REDDENDI quod eripuit.

VI. Inter Græcorum errores numeratur quòd eorum Sacerdotes non jubeant REDDERE ablata per rapinam vel furtum, sed pœnitentes absolvant, modo partem ablatorum sibi & Ecclesiæ tribuant. Hanc Doctrinam magni nominis Theologi hæresim censent ; & Confessarium Catholicum, qui tale quidpiam suaderet, meritò Ecclesiasticis censuris feriendum existimarem : utpote qui pœ-

ni-

nitentem exponit periculo damnationis æternæ. Alexander Papa III. quosdam excommunicatos propter detenta bona Ecclesiæ & per Confessarium absolutos, iterum excommunicari mandavit nisi illicò restituerent. Optimè siquidem callebat quantum animabus periculi immineat si non REDDANTUR injustè acquisita. Carolus Scribanus solebat dicere; tria potissimum flagitia esse quæ homines in barathrum inferni deturbent. Superbiam, luxuriam, avaritiam, eo tamen discrimine, quòd per pœnitentiam ex centum superbis quinquaginta, ex centum luxuriosis fortè octoginta, ex centum verò avaris vix tres subinde resipiscant, idque solum propter restitutionem, quam ne faciant, avaritia insatiabilis illos impedit; adeò ut malint multi animæ quàm bonorum jacturam facere. Recenset Guilielmus Peraldus de usurario qui duos filios habuit, & deductus ad extrema in confessione monitus à Curato necessarium esse ut restitueret quod iniquè congestisset. Intellexerunt statum parentis etiam filij, & hortabantur, ut Confessario obtemperaret, at ille miserandus: si supervivam mendicandum mihi est facta restitutione eorum, quæ iniquè possideo, si moriar, vobis ad Xenodochium recedendum esset, quia nihil relinquerem. Cui filij: Ne sis de nobis sollicitus, prospice tuæ salutis. Tacete, inquit ille, potius ad Dei misericordiam mihi respiciendum est, quàm ad hominum mercedem, hi enim immisericordes, ille clementissimus est. Atque ita sine restitutione exspiravit. Eo mortuo filij de divisione agebant: alter sano consilio hortabatur fratrem: Restituamus nos ne eadem cum patre pœna involvamus: alter verò: Ego u-

furas

*Cod. Vatic. lib. 2.
Ep. 99.
Baron.
To. 12.*

*Car. scrib.
ap. Engel-
gr. Luc.
Evang.*

*Perald. de
vit. &
virt. To.
2. tr. 4.
cap. 15.*

furas non feci, fruar eo quod mihi pater reliquit, de futuro quid sit, nescio. Itaque prior partem suam restituit & incerta erogavit pauperibus factusque est religiosus: posterior duxit in bonis dies suos & obiit. Prior aliquando orans vidit ante se terram dehiscere, & in rogo infernali patrem cum altero filio ardere: Pater filio exprobrabat: Maledicte fili propter te in hunc ignem projectus sum, qui iniusta bona acquisivi & retinui ut te ditarem: econtra filius ad Patrem. Maledicte pater propter te damnatus sum; si enim non reliquisses male parta, ego ijs male usus non fuisssem. Quo viso animatus alter ad servitium divinum: Patris vero & alterius filij interitus omnes iniquè retinentes aliena permovere deberet ad REDDENDUM, quia non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

VII. *Et quæ sunt Dei Deo.* Ergo etiam Deo restituendum est? omnino etiam Deo. Variè super hoc disserunt Patres: D. Paschasius: *Vosmetipsos REDDITE Deo, quod omnino non potestis nisi vos primò exuatis à censu Cæsaris, quatenus deinceps liberi sitis, & ideo prius REDDITE quod alienum est.* Euthymius verò: *REDDE Deo pietatem & observantiam mandatorum.* Theophylactus in hunc locum: *Deus dedit tibi mentem illam REDDE ei, juxta mentem operans; dedit tibi rationem REDDE & illam, ne fias brutis insipientibus similis.* Et S. Hilarius: *Deo, quæ eius sunt propria reddere nos oportet, corpus, animam, voluntatem, ab eo enim hæc perfecta atq; aucta retinemus.* Omnia hæc & verissima sunt, & utilissima instructioni fidelium documenta, sed si in illo præcepto: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* non tantum intelligimus tributum & censum solvendum

prin-

S. Pasch.
in Matth.

Euthym in
Matth.
Theoph. in
Lul.

Hilar in
Matth.
cap. 25.

principibus, sed etiam REDDENDA ac restituenda esse aliena, dolo, vi, rapina, aut quacunq; iniqua ratione ablata : inquirendum nobis etiam est quid ita Deo debeamus quasi iniquè ablatum & retentum. Certè nihil possumus immediate Deo eripere. Occurrit tamen quod Christus dicebat apud Lucam : *Qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Ergo etiam pariter licet dicere : *Qui vobis eripit mihi eripit & eripit ei qui misit me.* Ad quos hoc dictum est ? ad Apostolos : ad animarum pastores, ad Ecclesiasticos, quibus sine dubio quidquid auferitur censeri debet esse ablatum Deo : & multò magis siquid auferitur ipsis Ecclesijs habitaculis Dei. **REDDITE quæ sunt Dei Deo.**

Luc. 10.
v. 16.

VIII. Res sacras olim in testamento veteri attingere profanis summum erat scelus. Oza solùm auxiliij ferendi causa arcam tangens corruit, & expiravit : *Extendit Oza manum ad arcam Dei & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam ; iratusq; est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.* Si tam severè punit Deus manus adiutrices, quàm severè punit violatrices ? voluit per hoc docere posteros, quàm intacta à profanis & sæcularibus vellet illa quæ Deo sunt consecrata, Ecclesias nempe, & Ecclesiarum ministros. Postquam Saul non expectato Samuele se ingesserat in sacrificium & sacrificaverat, superveniens Samuel reprehendit eum & avertens se volebat cum indignatione discedere : sed Saul apprehendit *summitatem pallij eius quæ & scissa est.* Non videtur intendisse ut laceraret pallium, sed retinere solùm abeuntem, & tamen

2. Reg. 16.
6.

1. Reg. 15.

fulminat super hoc sententiam Samuel : *Scidit Dominus regnum Israël à te hodie.* Ob tam parvum delictum, tam magna pœna! sed nihil parvum est quod in res deo dicatas committitur. O quoties inter nos Christianos admittuntur quæ non magnæ estimantur, & magnas post se trahunt calamitates! Quod multæ illustres familiæ magnis opibus, & divitijs sultæ repente subinde vel in extremam deducantur inopiam, vel penitus extinguantur investigamus causas, & non advertimus, quòd extenderrint manus suas ad res sacras, quòd sciderint pallium Sacerdotibus. Possèm in hac patria nominare familiam nobilem, cuius maiores ante annos non planè centum cum primis floruerunt, sed unus eorum partim avaritia, partim odio Catholicorum Sacerdotum Beneficium Ecclesiasticum cuius Patronum agebat, ita circumcidit, ut vix nomen Beneficio remanserit. Non multò post eius posterì ad extremam redacti inopiam, non bonis solùm avitis cedere, sed ipsa patria excedere coacti sunt, & jam solo nomine nobiles ægrè vitæ alimenta habent. Possùm nominare aliam familiam Illustrem, quæ ante totidem annos magna audiebat; è qua unus aliquis eodem Patrociniij titulo Beneficium Ecclesiasticum filio suo velut futuro Ecclesiæ ministro (idest Lutheri porcario) cum ad scholas Wittembergenses mitteretur, attribuerat : qui tamen una cum copiosa prole nondum evolutis triginta annis ita extinctus est, ut ne fama quidem illius superstit. Cavete, iterum dico, cavete qui hoc morbo laboratis : Deus non irridetur : Deus ad arcam profanos non admittit, Sacerdotum pallia impunè scindi non patitur. Cavete! adhuc adhuc . . .

IX. Quid autem remota confector? Proxima sunt, recentia sunt, & penè hesternæ, quæ vix non oculis hausi. Fidem tamen habeo fide dignis. Unum è pluribus refero: possem digito monstrare personam, locum, tempus, conscios: sed fatis sit rem adducere. Villanus certæ Ecclesiæ Oeconomus, seu uti communiter nunc appellamus syndicus, ut est etiam hoc genus hominum quò stupidius, hoc lucri undecunque captandi avidius, bovem aluit spectantem ad Ecclesiam, de quo ipsi ratio reddenda erat; sed quia reddita ratio coram inscijs, facile diffimulavit, quod se solum scire existimabat. Ergo destinatus abdomini Patrisfamilias & familiæ ad macellum ducitur & *procumbit humi bos*. Non latuit res filium ægrotum, qui ob id patrem reprehendens pro responsò tulit calumnias. Pater interim mensæ accumbit, apponitur pars mactati bovis; glutit, vorat, nudata carnibus ossa filio ægro transmittit, *Date, inquit, has reliquias illi cada-veri*. Penetravit cor filij & ægroti acerbè dictum, ut invalescente ægritudine post paucos dies elatus sit ad sepulchrum. Eadem hora qua filium sepelivit sacrilegus fur, ad sylvam vadit, ut ligna secet; vix cœperat: cum fallente ictu securim in genu proprium impingit modico ictu, ut ne quidem dolorem sentiret, adeoq; nec de emplastro cogitaret. Sed malum die sequenti accrevit, ut lecto affixus adhibitis diu medicamentis post multas hebdomadas vix surrexerit non bipes amplius ut ante, sed quadrupes (nempe quadrupedem voraverat) grallis innixus, quibus adhuc utitur. De pœnitentia ipse mihi non constat, pœnam retuli: vicini agnoverunt hoc à Deo vindice ipsi evenisse, unde jactant

quasi proverbium : S. Michaëlis (ita vocatur Ecclesia) *bos nostro vicino N. pedem fregit.* Heu me si videremus multorum Syndicorum & Oeconomorum & Aedituorum conscientias ! Petrus Ecclesie N. Oeconomus easdem pro Ecclesia fecit expensas eosdem accepit redditus quos Paulus eius successor, & tamen Petrus de residuis numeravit Ecclesie florenos centum, Paulus econtra facto calculo quali quali ostendit se pro Ecclesia centum florenos amplius exposuisse, quàm acceperit. Quis credat hunc esse diversum ab Evangelico servo ? Andreas Oeconomus alterius Ecclesie habuit paratæ pecuniæ florenos trecentos spectantes ad Ecclesiam, distribuit illos ad censum suis vicinis : accepit è censu unius anni florenos octodecim, & tamen in rationes Ecclesie non retulit nisi trecentos. Ubi sunt è censu octodecim ? nempe hi spectant ad propriam industriam : itane verò ? ubi conscientia ? serò, serò ingemiscet, quando Dominus inclamabit *REDDE quod debes.* Quando dicet hoc non est TUUM, sed MEUM.

X. Non possum sine magna admiratione legere auream Bullam Alexij Comneni Imperatoris Orientalis, qui cum extrema compulsus necessitate, in subsidium belli Ecclesiarum thesauros acceperat, quod fieri posse admittunt Theologi & Canonistæ, huic tamen usurpationi bonorum Ecclesiasticorum causam attribuit calamitatem quas fuerat expertus ; atque ideo sapientissimè decrevit : *Quamobrem ut sit erranti medicina Confessio coram Deo & hominibus Imperatoria se majestas prolapsam fateatur, veniamque delictis, quæ temere admisit, ex intimis animi adytis postulat : seque omnia quæ sui sunt Imperij,*
di-

divino Numini mancipaturum, eaque viribus imperatoris denuò restitutum pollicetur, quæ in bodiurnum usque diem ab Ecclesijs Deo sacris oblata in publicos usus male versa sunt, si modo quæ orbem universum exagitat, procella deservierit. Hæc enim persolvenda nihilojecius, quam privatim aliquod debitum in se recipit, nec se sanctis obæratum Ecclesijs inficiatur. Quare in posterum tum sibi, tum post se futuris Christiani dogmatis Principibus aureâ hac Bulla legem non minus observandam imponit, quam si à Deo ipso dictaretur. **NE QUIS POST HAC SACRA TEMERE CON-TRECTET**, etiamsi Cadmea necessitas urgeat. Hæc Comnenus. O saltem quæ clam & injustè ablata & surrepta sunt **REDDANTUR!** & non tam magni Principes, quam eorum subditi quicumque duo illa altè in pectus demittant. **REDDITE** quæ sunt *Cæsaris Cæsari*: **REDDITE** omnia aliena: & **REDDITE** quæ sunt *Dei Deo!* sic quippe **MEUM & TUUM** ab orbe eliminaretur.

XI. Qua in re sanè excelluit Godefridus Comes Coppenbergensis, qui cùm aliquando videret suos prædas agere & aliena diripere, sic Dominum est deprecatus; obsecro immensam bonitatem tuam bone **JESU**, ut me è medio iniquitatis huius eripias, & in die Judicij purum & immaculatum me tibi exhibeas. Scio enim æquissime Judex in meum redundare caput, quidquid à meis delinquitur, & si quid à me dissimulatum fuerit, te id severe vindicaturum. Et accidit ut in dissidio cum urbe monasteriensi quidam ex ministris eius multa extra urbem pecora abigeret, & stante in porta Comite cum præda gloriabundus adventaret. Sed vir pius animo commotus ad famulos conversus: Ite,

*Sur. in
vita. To.
7. die 13.
Jan.*

ait, ad nefarium raptorem, & dicite ne unquam in meum conspectum veniat, donec satisfaciat ijs quos præter jus & fas læsit. Etsi enim cives monasterienses nobis in præsens infesti sint, non debuit tamen temerarius ille homines ruricolos & innocentes sub nostri nominis prætextu vexare. Territus ille quæ abstulerat anxie REDDIDIT. O si talem nostri militum Tribuni & Colonelli disciplinam servarent cum suis: si Judices quando videt factam innocentibus injuriam, severè castigarent reos! non ita dominaretur in Provincijs, in urbibus MEUM & TUUM, facilè redderent rationem Deo & Cæsari. Si omnes Judices & Magistratus agerent quod Alphonsus Aragonius, remaneret *Cuique suum*, Alphonso Regi Aragoniæ questus est aliquando homo villanus contra nobilem militem Gallæciæ à quo per vim sua fuerat exutus hæreditate. Rex delatorem ad loci Judicem remisit, qui quod muneris sui erat audivit partes, definivit causam, pronuntiavit contra militem. At ille suæ potentæ fidens risit sententiam Judicis. Iterum ergo villanus Regem adiit petens Justitiam. Nihil super hoc moratus Alphonsus equum conscendit Toletò Gallæciam celer properavit: accepta informatione Judicis Nobilem acciri iussit, & crimen confessum ante portam propriæ Nobilis domus suspendi iussit. Addit Historicus: *Tantus invasit terror omnes magnates ex hoc facto, videntes zelum & animositatem Regis in justitia facienda: ut non facilè amplius aliena bona quisquam præsumeret rapere.* Proinde repeto ad omnes, qui per fas & nefas congerunt MEUM & TUUM, qui suis non contenti appetant aliena: REDDITE Cæsari, REDDITE proximo *Cuiq; suum.*

Luc. Tu-
den. in
Chron.

Ut possitis etiam de conscientijs vestris REDDERE
quæ sunt Dei Deo.

DISCURSUS XXV.

Dominica XXIII. post Pentecosten.

Musica ad Taetum.

T H E M A.

Domine filia mea modo defuncta est, sed
veni impone manum tuam super
eam, & vivet, *Matth. 9.*

S Y N O P S I S.

- I. Maxima fuit apud veteres Musicae estimatio, & non cenfebatur eruditus, qui eam ignoraret. Mundus totus putatus est constare ex concetn. Ad omnes animorum motus excitandos idoneam esse probat experientia. Ideo adhibetur in Ecclesijs, & quidem ad taetum.
- II. Hanc docet Deus dum nos tangit sicut hodiernum Archisynagogum adversitate & tribulatione, ut solvamus linguam nostram velut Citharam in orationes, ut nihil opus sit Orpheo vel Amphione.
- III. Expertus id David qui in prosperis non ita canebat sicut in adversis, sed debent voces concordare cum opere.
- IV. Vulgo dicitur, qui nescit orare vadat ad mare. Nautæ ludunt cum serenum est, orant cum turbatur cælum, & canunt Deo.
- V. Maximè verò necessaria nobis est hec Musica in tentatione demonis: unde Job ad taetum tribulationis cecinit.
- VI. Taetn Cithare serunt demones pelli ab obsessis. David certè sic repulit à saule. Chorda ex pelle ovina seipsis sonant.

nant cum prope sunt chorda
 ē pelle lupina, sic orandum
 nobis cum tentat dæmon.

VII. Ita fecit Iosaphat Rex a
 tentatione dæmonis impug-
 natus: ita iusti in Eremo &
 alij, quia psalmus & lra
 sunt arma contra dæmonem.

VIII. Intendenda sunt autem
 chorda per mortificationem
 & alia bona opera, usu talis
 Musicæ deponitur feritas ani-
 morum, uti deposuerunt
 Cynitenses. Si David cantas-
 set psalmos quando prospexit
 ē solaris, non fuisset factus a-
 dultus & homicida.

IX. Rarus est qui divina Mu-
 fica repente ē bellua & A-
 thiope evadat candidus homo
 sicut nobilis quem vidit S.
 Paulus simplex, quem Deus
 ad Tactum inspirationis &
 cantus in Ecclesia edocuit
 Musicam.

X. Deus etiam profitetur Mu-
 ficam, concertandum est no-
 bis cum illo: saltem tunc
 quando nobis dat Tactum
 per Concionatores, per exem-
 pla, per internos inspiratio-
 nes, per adversitates sicut ho-
 dieo Archisynagogo.

Domine filia mea modo defuncta est:
 sed veni impone manum tuam
 super eam & vivet. *Matth. 9.*

I.



A fuit apud veteres, potissimum ve-
 rò Græcos Musicæ æstimatio, ut sine
 ea nec celebrarent convivia, nec
 funera suorum prosequerentur, nec
 eruditos censerent qui hanc ignora-
 rent. *Summam eruditionem* (inquit
 Cicero) *Græci sitam censebant in nervorum, vocum-
 que cantibus. Igitur & Epaminondas, princeps meo ju-
 dicio Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur: Themis-
 toclésque aliquot ante annis, cum in epulis recusasset ly-
 ram habitus est indoctior. Lycurgus tametsi severissi-
 mas leges suis Lacædæmonijs condiderit, Musi-*
 cam

*Cic. 7.
 Tusc. 99.*

cam tamen est amplexatus. Pythagoras & sequaces : mundum ipsum non citra Musicas rationes concinnatum coaptatumque argumentorum subtilitate ostendere sunt conati. Et Plato dicebat : *Mundum Deus tanquam Citharam concinnavit.* Ad omnes animorum motus esse accommodam convinbit experientia. Nam & milites cantu animantur ad prælia, & nautæ celestimate delectantur, & viatores, quique manus laboribus applicant, molestias resoluta in cantum voce discutunt, & nutrices infantibus cantu somnos conciliant, fletumque arcent. Timotheus tibicen cantu impulit quo voluit Alexandrum Magnum, ut subinde dum mensæ accumberet, audito tibicine velut furens & in rabiem actus ad arma prosiliret. Cur & in veteri testamento in sacris adhibita sint instrumenta Musica & cantus vocalis, & hodie in Catholicis Ecclesijs usurpetur, non invenio causam aliam, nisi ut animi ad devotionem impellantur, & animentur ad laudem Dei : propterea etiam sancti in cælo dicuntur canere ut in Apocalypsi meminit Joannes, quia occupatio illorum est laudem & gratiarum actionem referre Deo. Hinc David toties hortatur : *Cantate Deo, Cantate Domino omnis terra : Cantate, & exultate, & psallite Domino in Cithara & voce psalmi.* Porrò quia instrumenta non sonant sine TACTU, nequè Musica sive instrumentalis sive vocalis concinna esse potest nisi AD TACTUM : docet nos hodie Deus gemino exemplo in prælecto Evangelio quomodo AD TACTUM canere debeamus : quo sensu id accipiendum, ex præsentis discursu intelligetis si attentas aures præbueritis.

Plato. in
Tim.

Alex. ab
Alex. Gen.
dier. lib. 4.
c. 2.

II. Digna & consideratione conversio hodi-
Dom. Pars II. U u erni

erni Archisynagogi non solum quod cum eo tempore Christus, Phariseis, scribis & Sacerdotibus odio & contemptui haberetur, hic tamen accedens adoraverit, verum etiam quod nos doceat quid nobis agendum sit in tribulatione. Ægrotat ad mortem filia, desperatur à Medicis unica hæres, solatium patris : quid agat Pater ? quod illi apud Psalmistam. *Cum occideret eos, querebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Nisi filia infirmata fuisset, & tanto infortunio afflicta Domus fortè Archisynagogus nec cogitasset accedere Christum. Percussus gravi malo, *accessit & advocabat eum,* & solvit insuper linguam in voces velut cantum quendam Musicum, quo aures benignissimi Domini demulceret : *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam, & vivet.* Unde hæ voces ? unde hoc melos tam insolitum Sacerdoti & Synagogæ Principi ? *Filia defuncta est.* Linguam adhibet loco Citharæ, quod Libanius ad Elpidium scribens aiebat : *Nequè enim aut Arfacidis sagittam tibi exquirendam putes aut Orphei CITHARAM. Lingua CITHARÆ loco tibi est.* Tribulatio & afflictio cum hominem TANGIT, fit homo MUSICUS & AD TACTUM canit. Pulchrè Sidonius Apollinaris ostendens quales esse debeant animæ iustorum cum in misérias, in tentationes, in adversitates inciderint : *Cantum (inquit) similes fuerint olorinorum, quorum modulatio est clangor in pœnis : similes etiam chordæ Lyricæ, violentius tense que quo plus torta plus MUSICA est.* Nihil opus est inquirere quis sit inventor MUSICÆ, num Mercurius, qui testudinem putrefactam inveniens cuius nervi scuti & pulsati sonum ediderunt, sumptâ similitudine

Psal. 77.

Liban.
Ep. ad
Elpid.

Sidon. lib.
8. Epist. 9.

dine ligneam ipse sibi lyram confecit : num Orpheus, vel Amphion, quorum hic saxa, ille fera animalia canendo ad se traxit : melioris MUSICÆ inventrix est tribulatio.

III. Expertus hoc David multoties fatetur se factum MUSICUM per tribulationes. *Ad Dominum cum tribularer clamavi & exaudivit me.* Et rursum : *In die tribulationis meae Deum exquisivi manibus meis.* Non dicit in prosperitate, & delitijs, quia istæ mentes obcæcant, inducunt oblivionem Dei, sed cum Deus TANGIT, tunc aperiuntur oculi, tunc accurrimus, fimus vocales & MUSICI, Deum quærimus & invocamus. Augustinus in hunc locum : *Nunquid dicit David in die deliciarum mearum Deum exquisivi ? fortè cum habet delicias non quærit Deum : dedit illi tribulationem, statim quæsit eum.* Sed cur dicit Psaltes *exquisivi manibus meis* : an fortè innuit se manibus suis Psalmos cantasse ad CITHARAM, neque hoc esset absque mysterio : quia Deus quærendus est non tantum voce sed & opere. Qua de re S. Bruno Astensis in hunc locum. *Plus est manibus Dominum quævere, quàm voce. Illi manibus Dominum quærent, qui benè operando ad eum venire contendunt.* Eodem collimant, illa quæ ait : Augustinus. *Mores volo non voces, lauda vivendo non sonando sed consonando.* Quasi diceret : talem MUSICAM vult Deus, in qua opera voci concordent, & consonent. Hinc Archisynagogus cantaturus suave melos orationis, adiunxit opera : *accessit, & adorabat eum.* Nullum suavius plectum, nullæ chordæ sonantiores, quàm quæ iungunt opera verbis. Unde hortatur S. Ambrosius : *Sume & tu CITHARAM,*

*Psal. 119.
Psal. 76.*

*S. Aug.
lib. de
vera in-
noc. c.
102.*

*S. Bruno
Ast. in Ps
76.*

*S. Aug.
ser. 115.
de divers.*

*S. Ambr.
in Luc. c. 7.*

Et pulsata spiritus pleetro interiorum chorda venarum, boni operis sonum reddat.

IV. Vulgari proverbio iactari solet: *qui nescit orare, vadat ad mare.* Hoc inde ortum habet, quia nautæ cum serenum est, cum ventus propitius, hilares & læti iocantur, & rident; cum verò contrarius ventus eos adflat, cum tempestas insurgit, cum mare fluctus adversus navem conglomerat, & minatur eam evertere; confugiunt ad preces, recordantur Dei opem illius implorant, tribulatio facit illos MUSICOS. Hugo Cardinalis ad illa supra allegata verba Psalmistæ: *Cum occideret eos querebant eum: faciebant*, inquit, *sicut nautæ, qui cum serenum est tempus, vacant lusibus: cum ingruit tempestas, invocant Deum: sic homo serè quilibet dum est in prosperitate nullum bonum facit, dum est in infirmitate, promittit quidquid potest. Sic clamabat David: saluum me fac Deus quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, & tempestas demersit me.* Multis necessaria est tribulatio, alioqui non cogitent unquam de emendatione vitæ, de quibus aiebat David: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Non antequam infirmarentur, sed postea, compulsi angustijs. Unde D. Thomas ad hunc sensum. *Post tribulationem homo currit ad Deum.* Quod & Oseas aiebat: *In tribulatione sua manserunt ad me; venite revertamur ad Dominum.* Utilis est infirmitas, utilis & multis necessaria tribulatio, ut revertantur ad Dominum, AD TACTUM canant.

V. Nusquam verò magis necessarius nobis hic cantus hæc MUSICA est, quam cum Deus nos permittit tentari, ne succumbentes erumpamus in
can-

Hugo
Card. in
Psal. 77.

Psal. 68.

Psal. 15.

D. Tho. in
Psal.

Oseas. 6.

cantum dissonum, & absonum, qualem tentator desiderat. Patientiæ & solidæ virtutis typus Job, licet bonis afflueret, licet in prosperitate ageret, non cessabat tamen suave melos Deo concinere : *conspurgensquè diluculo offerebat holocausta*. Speravit sathan tentatione & tribulatione impellendum ad suum tonum, ad blasphemiam, quemadmodum Timotheus Alexandrum ad arma, ad furorem; unde aiebat ad Dominum : *Extende paululum manum tuam, &* **TANGE** *cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*. Erras sathan, qui putas Jobum assuetum Deo canere sine TACTU, ignarum fore MUSICÆ AD TACTUM. Nam si Deus extendit manum suam super Job, errare non poterit. *Extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua*. Inquit Psältes. An fortè cùm adstes inter filios Dei, factus es Propheta, sicut Saul inter Prophetas. *Nisi in faciem benedixerit tibi*. Inquit : & omninò benedicet, non uti tu speras maledicet; Ecce enim jam afflictum & percussum, spoliatum omnibus fortunis, orbatum liberis, ulceribus plenum vide & audi : *Manus Domini TETIGIT me*. Et tamen : *sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum*. Et rursum : *Ipse scit viam meam, & probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. Vestigia eius secutus est pes meus; viam eius custodi-vi, & non declinavi ex ea*. O dulce melos! O MUSICAM sine errore! quod ponderans S. Chrysoſtomus de Jobo aiebat : *Merces calamitatum adoratio: pulsatus ærumnis benedicat, oppressus gratias agit*. Dum nos Deus *pulsat ærumnis*, quasi chordas ferit, ut suavem melodiam & concentum efficiat : **TANGIT**, ut resonet CITHARA, qua demon repellatur.

Job. 1.

Ps. 137.

Job. 19.

v. 21.

Job. 1.

Job. 23.

S. Cbry-

sost. in

Psal. 148.

VI. Teste Hugone Cardinale refert Boëtius

U u 3

Pbi-

Hugo
Card. in
lib. 1.
Reg. c. 16.

1. Reg. 16.

Philosophum quendam **TACTU CITHARÆ** demonium ab obsesso corpore repulisse. Verius est quod habetur ex sacris literis, quod David pulsando **CITHARAM**, abegerit à Saule spiritum malum. Quandoquæ spiritus Dei malus arripiebat Saul tollebat David **CITHARAM**, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul. Quæ ad moralem sensum accommodans Hugo Card. apponit **CITHARAM TANGERE** est carnem mortificare, & orare. Et hæc duo cogunt diabolum exire. Si proinde tentator accedat, tibi quæ immittat cogitationes ambitiosas, qui est spiritus malus, præcinens *Fa, mi, Re*. Responde cum Michaële: *Quis ut Deus?* si immittat cogitationes invidiæ & avaritiæ, ut persuadeat corradere quatenus solus omnia habeas, nulli alteri quidquam favens præcinendo *sol fa mi* responde: *Quid prodest homini si univrsam mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Erit hæc gratiosissima Deo **MUSICA**, & recedet à te spiritus malus, qui per **CITHARAM** resonantem divinas laudes, & **AD TACTUM** divinæ voluntatis concordatam in fugam agitur. Tradunt rerum naturalium scrutatores quòd si chordæ ex pelle ovina attractæ in **CITHARA** suspendantur prope alias chordas ex pelle lupina confectas, seipsis nullo tangente ovinae sonum edant, quasi naturalem ovis cum lupo antipathiam ostenderent. Idem evenit justis: ut primum advertunt lupi infernalis per tentationes accessum; illico sonant, & conversi ad orationem suam contra suggestiones malas protestantur antipathiam.

S. Io. Dama-
sc. in
vita c. 30.

VII. Josaphat adolescens Avenir Regis Indiæ filius, à sancto Eremita Barlaam conversus, sed in medio Idololatrarum versatus multas sustinuit ten-

tentationes & à parente, & à domesticis, & ab ipso dæmone quem magus submiserat, ita ut periculum consensus metueret : nullum verò efficacius remedium invenit resistendi, quàm orationem, qua veluti MUSICO concentu dæmonem repulit. Orabat autem : *Domine Deus omnipotens qui solus potens es, & misericors : Domine inquam spes desperatorum & carentium adjutorio, mei quæso servi tui inutilis in presentia recordare, & benigno ac propitio vultu me respice, nec me in hostium meorum manum incidere permittas. Non supergaudeant mihi, qui oderunt me iniquè : neq; me in iniquitatibus corrumpi sinas, corpusquè meum quod tibi castum exhibere promitto, probro & contumelia affici. Te enim concupisco, te adoro Patrem, & Filium, & spiritum sanctum in secula. Amen.* Vix dixerat Amen cum fugit tentator, dissipatæ nebulæ cogitationum, & supervenit divina consolatio, uti de eo testatur S. Joannes Damascenus. Eadem arte canendo lingua usi pro CITHARA fugarunt tentationes veteres Eremitæ inquilini S. Antonius, S. Abramius, Sara Abbatissa Thebaidis, aliique complures. Bellè ait de cantu Ecclesiastico & Psalmidjs S. Justinus Martyr : *Excitat hæc CANTIO cum voluptate quadam animum : & flagrans ad eius quod carmine celebratur desiderium : affectiones & concupiscentias carnis sedat : cogitationes malas inimicorum, quos cerne non est, suggestionem oborientes amolitur.* Hæc Justinus. Atvero D. Basilus per hunc cantum & MUSICAM Deo gratam quæ est oratio non solum dæmonem tentatorem fugari, sed & nobile trophæum erigi affirmat. Loquens enim de Citharædo David, sic ait : *Psalmus & Lyra, & gratia arma sunt in dæmonem. Loquebatur tantum & hostis vince-*

S. Inft. q.
107.

S. Basil.
Selen. 8.
rat. 1.

batur, & lyra melos veluti telum jaciebatur in dæmonem. Quis audivit Trophæum cantibus excitatum? Sane trophæum mirabile, sed mirabilior eius erectio,

VIII. Porrò Isaias Propheta hortatur etiam impios & qui per peccatum recesserunt à Deo, ut hac *MUSICA* utantur, & redeant cum Deo in gratiam: *sume tibi CITHARAM, circui civitatem meretrix oblivioni tradita: bene canta, frequenta Canticum, ut memoria tui sit.* Per meretricem oblivioni traditam intelligunt SS. Patres animam quæ per peccatum Deum deseruit, facta amatrix mundi & concupiscentiarum: suadet igitur Propheta, ut sumat *CITHARAM*, idest incumbat sedulo orationi, quatenus in memoriam Dei veri amatoris redire possit. Exigit verò Hugo Cardinalis in hunc locum conjunctam orationi mortificationem, aliarumque nexum virtutum. Ait quippe: *sume tibi CITHARAM habentem chordas bene tensas, & bene siccas, idest carnis mortificationem cum exercitio virtutum, ut omnes afflictiones consonent in laudem Dei. Circumi civitatem Ecclesiæ per orationem & peregrinationem. Bene cane laudes Dei corde, ore, opere. Frequenta canticum orationis, confessionis, & laudis. De Cynitensibus indigenis Arcadiæ refert Polybius, quòd quamdiu MUSICÆ fuerunt amantes, mansueti & humani manserint: hac verò relicta penitus efferati & multis sceleribus immerfi. Cynitenses cum interjecto tempore hæc spernere cœpissent, ad cupiditatem ambitionemque conversi, in tantam brevi tempore feritatem devenere, ut in nulla Græciæ civitate maiora scelera committerentur.* Suadet postmodum ut possint humanitatem deperditam recuperare: *MUSICAM* amplectantur, qua relicta in eam feritatem

Isai. 23.

*Hugo
Card. in
Isai.*

*Polyb.
lib. 9.*

tem de venerere. O quàm multis hoc documentum necessarium est, qui vitijs immergi possunt dicere cum Davide: *Intra verunt aque usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi*: hi proinde *MUSICAM amplectantur*, repetant pristinum orationis fervorem: canant, frequentent canticum. *Multi* (inquit S. Augustinus) *in novitate conversionis sue ferventer orant: postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi sint. Vigilat hostis: dormis tu.* Si David quando conscendit solarium domus, accepisset CITHARAM & Psalmos cecinisset Domino, pro eo quod otiosè deambulans cœpit prospicere, non incurrisset adulterium: si Apostoli in monte oliveti à Christo moniti: *Vigilate, & orate*, paruisent, nec somno se obrui fuissent passi, perstitissent postea fortes in tentatione nec deseruissent suum Dominum. *Vigilat hostis, dormis tu?* sed fortassè TACTUM desideras? solet Deus varijs modis peccatores TANGERE, sed illi non semper TACTUM recipiunt, ut canant AD TACTUM internæ inspirationis, proximorum exempla. Concinatorum doctrina TACTUS sunt, sed hos sæpè negligimus, & non canimus ut optaret Deus.

IX. Inter raros ille computandus est, de quo nuperus author ex antiquioribus miram refert conversionem factam occasione publicè indictæ orationis. S. Antonius Anachoreta discipulum habuit Paulum simplicem, qui per assiduas orationes, vigilias & corporis asperitates usquè eo profecerat, ut gratiam fuerit consecutus à Deo penetrandi hominum conscientias, & videndi qualis quisquè esset coram Deo. Hic cum esset indicta publica in Ecclesia comprecatio sedit ad limen tem-

Psal. 68.

S. Aug. in
Ps. 65.Gen.
Steng. de
Indic.
To. 3. c.
32.
Vite PP.
parte. 1.Car. Sen-
gel. in
stemmate
Chri. p. 2.

pli singulos ingredientes contemplatus: pleròsque vidit vultu radiante, alios plus alios minus prout scilicet vel Deo chari vel à noxis immunes, & parati ad orationem veniebant. Inter còeteros ingressus est vir nobilis splendidè uestitus, cui còeteri de via cedebant, deponebant pileos, flectebant genua. At Paulus longè alium videbat, quàm vulgus externa intuens. Nam illi apparuit vultu niger & squallidus instar *Æthiopsis*. Circa illum fremebant catervæ dæmonum, quæ vincitum illum catenis tenebant, & unus còeteris immanior capistro per nares traiecto frænabat: Comitabatur etiam Angelus custos, sed à longe tristis, & decussatis in crucis formam brachijs, oculis in cœlum erectis. Postquam hæc Paulus simplex vidit, lamentabili eiulatu cœpit lacrymari & pectus tundere. Et quia nota erat omnibus eius sanctitas, circumsteterunt eum mortalium plurimi causam tanti luctus scire cupientes: metuebant enim ne quid vidisset, quod in omnibus templum ingredientibus reprehensione dignum foret, orationesque ingratas Deo efficeret; idquè tanto magis suspicabantur, quòd ipse in limine permanens nollet ingredi Ecclesiam. Sed iussi illi cum còeteris intrare ac Missæ interesse, nullum tunc ab eo obtinuerunt responsum. Perseverante interim Paulo in lacrymis, & finitis divinis officijs, denuo singulos exeuntes vir sanctus contemplatus, & illum quoq; antea visum, quem vix agnovit, repentè jam alium factum. Non enim jam *Æthiops* videbatur, sed candidus & luce circumfusus. Angelus lateri comes proximè incedebat: dæmones frementes procul inde remoti. Paulus simplex inspecta tam subita viri mutatione, præ gaudio exiliit,

in divinas laudes effusus exclamare cœpit: *O ineffabilem Dei bonitatem & misericordiam!* stetit hæc exclamatio totam exeuntium multitudinem, quæ & Paulum currentem ad Ecclesiam rursus secuta est. Tum ille supremo altaris gradu conscenso in hunc modum loqui cœpit: *Venite, & videte opera Domini, quàm mirabilia & terribilia sunt, venite & videte illum qui vult omnes homines salvos fieri, & venire ad agnitionem veritatis. Venite adoremus & procidamus ante Deum, & dicamus quoniam potens est peccata dimittere.* Ingens ad hoc exordium auditorum attentio. Tum ille ordine recensuit quid sibi Deus in ingressu & egressu Ecclesiæ de illis revelaverit. Et digito monstrans virum repente mutatum obestatus est, ut ad Dei gloriam, & populi utilitatem causam tantæ mutationis manifestaret. Et ille partim oratione Pauli, partim interno spiritus impulsu commotus in has voces erupit: *Heu miserrimus ego sum peccator! & diu pro dolor in peccatis hæsi. Vixi hactenus in luxuria, de impuris rebus audire MUSICA mea fuit, de spurcitijs loqui HYMNUS mei: seduci & seducere mihi perinde fuit: quasi equus ad omnes scæminas adhinniebam, nequè secus ad templum ipsum festinaui, ac si freno ductus ab insidente calcari- bus urgerer. Nequè mens mea fuit in templo orare, more cœterorum: sed illuc properavi non secus ac ad locum chorearum, ut puellarum & reliquarum scæminarum formas & vultus contemplerer. Et talis fui etiam hodie, quando hoc templum subiivi. Sed ô Dei infinitam bonitatem! talis è templo non exiivi. Qui enim fulmine, & morte, & igne æterno dignus eram, ecce audiivi CANTARI verba Isaïæ Prophetæ, imò ipsius Dei: Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab*

oculis meis : quiescite agere per-versè : discite benefacere : querite iudicium ; subvenite oppresso ; iudicate pupillo , defendite viduam. Et venite & arguite me dicit Dominus : si fuerint peccata vestra ut coccinum , quasi nix dealbabuntur. Sc. Hac voce ego impurissimus mortalium ita percussus sum , ut magno cum animi mei dolore ac penitentia ad Deum tacitus clamaverim : Tu es Deus , qui in terram venisti ad liberandos peccatores : & qui hoc quoq; quod nunc *CANTATUM* est per Prophetam tuum promissisti : imple igitur nunc opere in me gratia tua , indignissimo peccatore. Ex hoc enim temporis momento promitto voveoque tibi , me mala illa non amplius patratutum , quibus ex animi mei sententia renuntio , tibi mundo corde & corpore serviturus. Hoc igitur die , atque hac hora ò mi *DEUS* suscipe petitionem *PRECES*que meas. Tali animo propositoque vitæ meæ emendanda è templo exivi. Hæc ubi dixit unanimiter à populo acclamatum est : *O Deus* quàm magnificata sunt opera tua. Omnia in bonitate fecisti. Misericordia tua plena est terra. Quis hic non agnoscat suavem *MUSICAM AD TACTUM*. Orationem brevem ad Deum cor *TANGENTEM* cantu Ecclesiastico ; qualem nobis quotidie licet audire in templis ? sed non curamus. Non resonant *CITHARÆ* nostræ : qua de causa ? sunt remissæ , non sunt intensæ ; non intendimus chordas intellectus & voluntatis. Chordæ quæ tensæ non sunt. Frustra *TANGUNTUR*. Ita malumus esse in conspectu Dei *Æthiopes* quàm *Nazaræi*. Ingredivimur templa , movemus labia , sed cogitationibus discursamus per objecta varia : sicut vox sine modulatione , est quasi vox porcorum , ita oratio sine devotione , est quasi mugitus boum. Inquit *Isidorus*.

X. Si non sponte nostra propensi sumus ad ORATIONEM, quæ coram Deo est gratissima MUSICA, saltem tunc caneremus quando nobis TACTUM dat per infirmitatem, per infortunia, per adversitates, per diversa pericula, per aliorum exempla, per inspirationes internas, per concionatorum monita &c. ô quàm ordinatus esset concentus omnium virtutum in anima nostra, quàm Deo grati MUSICI sensim evaderemus & cum ipso CONCERTAREMUS, nos agendo gratias ille tribuendo, nos orando, ille benè faciendo. Nam & Deus se Musicum profitetur apud Isaiam. *Venter meus ad Moab quasi CITHARA sonabit.* Ad quæ Hugo Cardin. *Venter meus, id est cor meum compatiens, sonabit consolando CITHARA enim suo sonitu mentes audientium letas facit.* Sic hodie concertavit cum Archisynagogo qui pro filia sua mortua flebili voce canebat: *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam & vivet.* Quid ad hæc Christus, statim se accinxit, & solatus est Archisynagogum curando Hæmorrhoißam, ex cuius curatione spem haurire potuit, etiam cum filia sua futurum miraculum. Et cum venisset ad domum, dixit: *Non est mortua puella, sed dormit.* O dulce melos in corde parentis iam iam recepturi filiam. Nos quoque singuli filiam habemus animam nostram, quæ sæpius obdormivit per peccatum. Canamus ergo *Domine filia mea*, anima mea, nudius tertius, heri, hodie, *modo defuncta est*, sed veni *imponere manum tuam* feri & TANGE cor meum ad pœnitentiam, ut resurgat quæ fuit mortua, ut deinceps tanto alacrius tibi AD TACTUM canat, inspirationes tuas admittat, & ijs obtemperet, tibi-

Isai. 16.
Hugo
Card. in
Isai.

que suavem MUSICAM efficiat, eamque continu-
et usque dum ad chorum, & consortium beatorum
admissa cum illis tibi accinat gloriosum trifagium.
Hæc AA. mei vobis hodie dicta sint, & opto ut fer-
viant AD TACTUM: neque aliud adijcio quam
verba Apostoli. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes & commonentes vosmetipsos Psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, in gratia CANENTES in cordibus vestris Deo.*

*Coloss. 3.
v. 16.*



DISCURSUS XXVI.

Dominica XXIV. post Pentecosten.

Paroxyfimus Salutaris.

T H E M A.

Orate, ne fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. *Matth. 24.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|---|--|
| <p><i>I. Sabbatho fugere est sine operibus bonis in securitate noxia evocari ad tribunal, cuius recordatione omnes deberent contremiscere, salutari quodam Paroxyfimo, non lethali.</i></p> <p><i>II. Mala conscientia inducit multis uti Flacco paroxyfimum & metum cen febrem</i></p> | <p><i>continuum, sed in solo metu herent, nec quid porro agendum sit cogitant.</i></p> <p><i>III. Horum paroxyfimus lethalis est & malus, quia medici docent quando febricitantium corpus non minuitur esse indicium longi aut lethalis morbi. Minuenda vitia omni timemus iudicium, &</i></p> |
|---|--|

vacuanda conscientia ut sit Paroxysmus salutaris.

IV. Sed obese ob humorum crassitiam & male discurrunt, & ad labores inepti sunt, sic carnales homines ad poenitentiam, cum interim probi se extenuent sicut aranea.

V. Pinguis minervæ sunt stupidi, incrassati recalcitrant, unde incurrunt paroxysmum lethalem sicut Balthasar videns iudicium exercitum in patrem nihil cogitavit de evacuatione malitiæ, unde etiam sicut vixit perijt.

VI. Agnus quocunque pabulo refectus, si prope lupum videat macrescit; & nobis prope est iudicium, prope infernalis lupus, neque tamen à desiderijs carnalibus à vitijs extenuamur. In cura morborum prima est evacuatio.

VII. Macarius Abbas nunquam pinguescere potuit, quia semper cogitabat diem ultimum, idem in nobis operari

deberet timor Dei si non filialis, saltem servilis, qui extenuaret animam evacuando vitia.

VIII. Beatus censendus est qui timet Dominum, & mandatis eius obtemperat. Verus enim timor conjunctus est cum operibus bonis.

IX. Et hic evacuavit urbes implevit eremos, implet adhuc monasteria quo impulsimulti descendunt in infernum viventes ne descendant morientes, ut Arsenius, Elias Abbas, & alij.

X. Si tales timerunt ultimum diem viri sancti, quid nos decet plenos vitijs? si stelle cadunt de caelo, quia non timerunt perseveranter, quid nobis metuendum, qui modicè timemus aut nihil.

XI. Summa nostræ felicitatis in hoc sita est Deum timere & mandata eius observare, & hæc est hominis definitio nova apud sapientem.

Orate, ne fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. *Matth. 24.*

I.



Abbathum postrema hebdomadæ dies est sicut hyems postrema pars Anni. Sabbatho requiescimus à laboribus, & velut coronidem imponimus curis ac sollicitudinibus per hebdomadam exantlatis. Monet Christus: *Orate*

Theophyl.
S. Anselm.
ap. Man-
st.

S. Aiban.
q. 83.

Os. 7.

ne fiat fuga vestra in hyeme vel Sabbatho. Quæ fuga ? quali Sabbatho ? Theophylactus in hunc locum : Sic intelligito, quòd oporteat precari ne fiat fuga nostra ex hac vita, hoc est mors in Sabbatho, otiosis nobis à bonis operibus : Eodem sensu S. Anselmus : In Sabbatho fugit qui otiosus in divino opere torpescit. Quin & S. Athanasius : Vocat Sabbathum securitatem : dicit ergo : ve animæ in peccati securitate vel socordia constitutæ. Sed quomodo in securitate possit constitui peccatrix anima, si ea audiat & intelligat, quæ in hodierno Evangelio Christus futura prædicit ? Quis non conhorrescat ad tam mirandam naturæ totius confusionem ? Erit, inquit, tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet. Sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, ita erit adventus filij hominis. Sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum, & stelle cadent de cælo. &c. Heu me ! quàm horrendum chaos totius universi ! Anne possit excogitari maior confusio, terribilior tribulatio, quàm fuit temporibus Noë, quando ruptæ sunt cataractæ cæli, & apertæ abyssi, totumque genus humanum in aquis suffocatum interiit ? Ergone aliquid horribilius decrevit Deus adversum peccatores quàm universale diluvium ? Erit, erit tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Nemo est qui hæc audiens & credens non perhorrescat, & vel solo concutiatur auditu : ut Oséas prædicebat : Quasi volucres cæli detrahā eos : cadam eos secundum auditionem cæli eorum : quæ postrema sic legit Theophylactus : Castigabo eos in auditione tribulationis ipsorum. Quæ licet de supremo mundi die & adventu Judicis cælestis intelligenda sint, eoque perti-
neant,

neant, quando, ut ait S. Hieronymus : *Tantus terror erit, ut omnes per circuitum nationes, & animo & corpore perhorrescant, imò crucientur* : Nihilominus, quæ de futuro prænantiantur, in præsentī metuenda sunt, & ideo à Christo prædicta sunt, ut caveamus *ne fuga nostra fiat in hyeme vel Sabbatho*, quando jam tempus non erit fugiendi à ventura ira, *videte ne tunc queratis peccata fugere, quando jam non licet ambulare* ait Cæsarius Arelatensis. Unde qui nunc ad ista cohorrescit, & veluti quadam salutari febris & PAROXYSMO corripitur, levius sentiet quando aderit suprema dies, securus à periculo. Omnes (nihil dubito de Christianis) omnes timemus ultimum mundi diem, sed non omnes timemus ad salutem, & similes sumus febricitantibus quorum alijs PAROXYSMI SALUTARES sunt, alijs verò lethales. Ut ergo dignoscamus quis sit PAROXYSMUS SALUTARIS, quis econtra lethalis ; volo dicere, quinam salubriter extremum Judicij diem metuant : quibus verò hic metus futurus sit ad mortem serviet præfens discursus.

II. Flacci infensissimi quoridam Judæorum hostis, postquam in exilium actus fuit tremendum ex mala conscientia supplicium expressurus Philo Hebræus, ita eum secum ratiocinantem inducit : *Horum facinorum poenæ me manent, sat scio : & diræ jam stant tanquam in carceribus, ut obice rupto properent in meam perniciem : imò iam in horas præmior, multas mortes sustinens ante illam ultimam*. Et describens porro eius statum sic pergit Philo : *Atquæ ita sæpè terribatur, horrore quatiente membra omnia, animo quoquæ contremiscente, anheloque pectore. Si quem lento passu incedentem videret, suspicabatur cogitare sibi perniciem* :

S. Hieron.
in Joël. c.
2.

Cæsar. A.
velat.
hom. 42.

Philo. ap.
Baiz.
To. 3. in
Evang.
lib. 13.
c. 1.

*fin properantem, mox mentem subibat : at hic me persequitur, non temerè festinat, blandus insidiatur, liberè loquens contemnit. Cibus potusque mihi præbetur tanquam macchandis pecudibus. Quousquè tandem ferreus durabo in tot casibus ? Idem evenit omnibus qui remiscuntur venturi severi Judicis, & præludiorum Judicij, quæ Christus in hodierno proponit Evangelio, præfertim quos gravat multorum peccatorum sarcina, quos in antecessum conscientia torquet. Sed ô nostram vel nimiam socordiam vel infelicitatem ! Audimus, contremiscimus, timemus, & in solo metu hæremus, nihil de conclusione solliciti. Ex his præmissis quas Christus proponit, oporteret inferre unum salutare ERGO. Et nobis de hoc nulla cura ! Quis infert : *Vigilate ERGO, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit ?* Quod omnes metuere debemus in ultima mundi die, singulis timendum est in ultima vitæ die. S. Gregorius agens de temporibus Antichristi, qui mira patraturus est signa, quibus etiam periclitabuntur electi : monet nos : *Pensemus ERGO quæ erit humane mentis illa tentatio quando pius Martyr & corpus tormentis subijciet, & tamen ante eius oculos tor-tor miracula faciet.* Nos verò de ultimo nostro die solliciti : Pensemus ERGO, quæ & quanta erit in ultima HORA tentatio, ut præveniamus non solum tentationem, sed iram Judicis : cum Timore & tremore salutem operemur.*

III. Medicorum dogma est post PAROXYSMUM febritem observandum quomodo corpus se habeat, an extenuetur, vel maneat in priorè statu. Si enim permaneat, nec extenuetur, crisis est febrem fore longam vel lethalem. Ita Hip-

Matth.
24.

S. Greg.
lib. 32.
Moral.
6. 12.

pocrates : *Febricitantium non omnino leviter corpus permanere, nec minui, aut etiam plus æquo colliquefieri, malum.* Videas hominem feбри correptum post unum alterumve PAROXYSMUM eodem corporis habitu, colore, robore, dices cum vulgo sanum & benè habentem, sed aliter pronuntiat Hippocrates : *Febricitantium non omnino leviter corpus permanere nec minui, MALUM.* Et quid dices de peccatore cui Deus per Evangelium, per Concionatores, per lectionem librorum, per internum conscientiae remorsum febrem immittit, ut cohorrescat ad memoriam futuri Judicij, cogitet sibi moriendum, & fortè repente; standum ante Judicij tribunal, & expectandam sententiam, ad hæc tamen nihil extenuari, nihil remittere de malitia, perseverare in pristino statu vitiosæ vitæ, dicēsne hunc sanum, aut laborare PAROXYSMO qui salutem promittat? O quot tales reperies passim in mundo! *Jamque impios ultor ad judicium pertrahit* (inquit S. Gregorius) *& tamen ipsi ordinatione sollicita rebus transeuntibus occupati nihil aliud cogitant, nisi in hoc mundo adhuc qualiter vivant. Relinquendo omnia, quasi possidendo disponunt: quia spes vivendi non frangitur, etiam cum vita terminatur. Jam ad judicium trahuntur per sententiam, & tamen adhuc habendis rebus inhaerent per curam.* Annon isthæc magna insania est adhuc cogitare de vita, ubi iam ultima clepsydæ stilla fluit, ubi iam à longè sonare incipit tuba illa terribilis ad judicium evocans? Post deploratam salutem à Medicis, testamenta disponunt, sed addunt *si non supervixerò*, nec putant se adhuc vitam relinquere cum iam relinquunt. *Spes vivendi non frangitur etiam cum vita terminatur.* Si tunc de e-

Hippocrat. lib.
2. Aphor.
28.

S. Greg.
8. Mor.
cap. 7.

vacuanda conscientia, de extenuando corpore per pœnitentiam, de minuendis noxijs humoribus peccatorum cogitarent, sapientius agerent.

IV. Evenit autem istis quod Isaias dicebat, & Christus repetijt de turbis sequentibus se ad discipulos: *Adimpletur in eis Prophetia Isaiæ dicentis: Auditum au-*
diētis, & non intelligētis: & videntes videbitis & non
videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius. Pinguis Minerva non est apta scientijs. Probro afficiebantur olim apud Gallos & Iberos obesi & pingues, velut inutiles, & Epaminondas militem portentose obesum ab exercitu submovit, velut inhabilem ad labores militares. Apostoli vox est: *Carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* offuscatur intellectus humorum crassitudine. Hæc ad moralem sensum inflectens Origenes ait: *sicut peccatum incrassescere facit animã, ita è contrario virtus subtilem eam reddit.* Unde magna est Dei gratia si quis peccatis aggravatus sentiat & percipiat minas peccatoribus intentatas si territus metu futuri iudicij minuat peccata & prava desideria: quod insinuans Psaltes canit *Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Quasi diceret: proposuisti ei instans periculum, minatus ei es diem venturæ iræ, unde sicut aranea se cœpit exenterare & evacuare peccatis, & quodammodo tabescere, quod signum est PAROXYSMI SALUTARIS: uti advertit Origenes in hunc Psalmi locum: *Est ergo opus Dei, ut tabescere faciat & consumat omne quidquid est crassioris materiæ, quo circumdatur anima, ut extenuet & eliminet prudentiam carnis.*

V. Qui verò solum audiunt Dei minas, & in crassati delitijs ac cogitationibus terrenis solum ob-

Matth.
13.

Stob. serm.
3. *Alex. ab*
Alex. lib.
2. c. 25.
Plutarch.
1. *Car. 2.*

Orig. inf.
cit.

Psal. 38.

Orig. hom.
1. *in Psal.*
38.

obstupescunt, nihil de cura solliciti, hi velut homines pinguis minervæ ac stupidi, laborant febre lethali, & PAROXYSMO penè incurabili, ex quo in repentinum cadunt interitum. De his lamentatur Moyses in cantico : *Incrassatus est dilectus & recalcitavit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Ostenderat Deus Balthasari Regi Babylonix iudicium quod cum patre eius Nabuchodonosore exercuerat, qualiter eiectus ab hominibus septennium exegerit inter feras scœnum ut bos comedens : vidit hæc ille & audivit & meminisse debuit, sed *Incrassatus recalcitavit*, delitijs & cupedijs nimis immersus : *Fecit grande convivium. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea & argentea quæ asportaverat Nabuchodonosor pater eius de templo, ut biberent in eis Rex & optimates eius.* Quis Medicus huic ægroto post PAROXYSMUM non prædicat ex bona habitudine MALUM? Et ecce aspiciebat articulos manus scribentis MANE THECHEL PHARES. Quid dicis ad ista Daniel! quid censēs de hoc ægroto, cuius quidem *facies immutata est, & compages renum eius solvebantur, & genua eius ad invicem collidebantur.* Actum est, ait Daniel : febris hæc MALUM portendit, PAROXYSMUS lethalis est. Vidit parentis fortunam, scivit iudicium in illum exercitum : *Incrassatus recalcitavit* : Adhuc modicum temporis superest, si vel hoc fruatur, & evacuet crassos humores, extenuet se per pœnitentiam, adhuc paratus est Deus avertere MALUM. Sed non cogitat Balthasar de pœnitentia, *Incrassatus temulentus*, solum obstupescit. Heu me ! *Cor durum habebit male in novissimo.* Prius erat necessaria evacuatio. Vidisti Balthasar quid actum fue-

Deut. 32.

Dan. 5.

Eccl. 3.

rit de Patre : *Tu quoque filius eius non humiliasti cor tuum cum scires hæc omnia. Idcirco: MANE : numeravit Deus regnum tuum & complevit illud. THECHEL appensus es in statera & inventus es minus habens. PHARES divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Adhuc si vis cogita de salute, adhuc stillat clepsydra. Sed ô stupidum Regem ! audit iterum lethalem esse morbum, finem adesse regni, credit Danielis interpretationi, & disponit adhuc de regno quasi victurus : Relinquendo omnia quasi possidendo disponit. Dum jubet prædicari de Daniele : Quod haberet potestatem tertius in regno suo. O stulte quo abriperis ? quid distribuis officia cum tuo privaris ? hac nocte repetent animam tuam à te. Et ecce : Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldeus. Qui non statim evacuat cum febre incipit, non potest evacuare cum vellet. Quem Deus diu expectat, & monet aliorum exemplis, nec corrigitur, malè habet in novissimo. Balthasar iste (Theodoretii sunt verba) summum patris supplicium conspiciatus, nihil inde percepit utilitatis, itaque iustus iudex nulla venia dignum censuit. Perijt sicut vixit. Febricitantium corpus permanere nec minui, MALUM.*

Theodoret.

VI. Tradunt Philosophi si agnum cavæ includas eique apponas cibum proportionatum in quantitate etiam superfluum, & è regione eius in alia cavea lupum constituas, fore ut agnus semper magis magisque deficiat, & macrescat, idque refundunt in metum & timorem lupi sui hostis. Et quid nos agimus ? habemus semper adversarium infernalem lupum, habemus ante oculos minas cœlestes, iudicium quod nobis subeundum est post hanc vitam, iudicium universale ad quod in die illo tremen-

mendo convocabimur, & tamen adhuc volutamus in delitijs, delectamur honoribus, confestim in vitijs *incrassati calcitramus*. Nimirum non satis apprehendimus quid futurum sit post hanc vitam, quæ nos in futurum expectent. Heu! *Febricitantium corpus non minui MALUM*. Prima in omnibus morbis cura est, nec aliud suadent Medici, quàm evacuatio, exinanitio, extenuatio humorum peccantium: prima nostra cura deberet esse evacuatio conscientiæ, extirpatio peccatorum & pravaram cupiditatum ab anima, & tunc licet versaremur in delitijs, divitijs, honoribus, respectando tamen novissima, & lupum infernalem, macresceremus, extenuati & subtiliores effecti speculareremur divina. *Quemadmodum* (ita loquitur Divus Antoninus) *timor naturalis materialiter consumit carnes, ita cœlestis concupiscentias, ne quis vincatur ab illis: proinde rectè rogabat Psalmista: Confige timore tuo carnes meas.*

VII. Interrogatus aliquando Macarius Abbas cur ita siccus & macilentus esset cùm comederet, sicuti cum jejunaret: respondit: sicut lignum cui carbones igniti apponuntur, sensim consumitur ab igne omnem eius viriditatem & humorem absumente, sic qui mentem suam continet in timore Domini, carnem & ossa consumit. Si hoc efficit timor in carne, quanto magis id operari debet in anima. Timor si non filialis, saltem servilis, qui oritur ex pœnæ metu, sed ab hoc gradus est ad illum, discit timere Deum ut filius, qui timuit diu pœnas ut servus: uterque evacuat animam peccantibus vitiorum humoribus, feliciter ille. Hoc eleganti similitudine expressit Augustinus: discrimen

D. Antonin.
lib. 4. p.
sum. lib.
14. c. 132

In vitis
pp. ap.
eund. 8.
Antonini

S. Aug. in
Joan.
Trad. 9.

men assignans inter timorem filialem & servilem. Ponit enim duas maritatas quarum una parata esset, ad committendum adulterium, sed timet mariti presentiam, & optat eum absentem: altera casta permanere vult, & ideo timet mariti absentiam, ac vult habere semper presentem. *Utraque timet: vox una, diversus animus: illa timet ne veniat; ista timet ne discedat. Exhibe te talem Deo qualem vis habere uxorem. Castus timor (seu filialis) observat se à peccato ne deferatur, non ut puniatur.* Sed utinam vel servili timore multi percellerentur! utinam vel Judicem metuerent, quem non timent ut patrem! utinam vel bruta imitarentur quæ territa fugiunt imminens periculum. Ceruæ dum tonitru audiunt immaturum foetum pariunt: sepia piscis cum in periculo se videt ne capiatur atramentum effundit, ut elabatur. Homo evome atrum virus, exonera animam partu mortifero, & sis ut ille qui *concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, id est dolendo de peccatis, effunde quidquid gravat conscientiam, recogitans quod possit accidere ut fuga tua fiat in hyeme, & tunc fugere amplius non possis.

Psal. 111.
Tertull. de
patient.

VIII. *Beatus vir qui timet Dominum* canit Psalmista: in quæ verba Tertullianus: *O servum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat! cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.* Sic beati possumus esse omnes, quia omnibus præponit futurum aliquando mundi excidium, futurum universale iudicium, per quod nos ad emendationem invitat, nec dissimulat nos admonere per Concionatores, per inspirationes internas, per exempla proximorum timentium Deum. Verba illa Samuelis ad populum Israël: *Si timueritis Dominum &*

1. Reg. 12.

ser-

servieritis ei combinat S. Gregorius & observat in-
 quiens: *Pleriquè divinae distractionis iudicia metuunt,*
& tamen prava agere non desistunt. Paudenti quidem
corde, futura iudicia cogitant, sed praesenti voluptate
devicti, mala committere nequaquam vitant. Bene ergo
post timorem Domini, eius servitia memorantur, quia
ille solus timor probabilis est, qui dum mentem concutit,
ad boni operis studium trahit. Filius per hoc ostendit
se patrem timere & amare, quando eius mandata
fideliter exequitur, & ita vivit, quasi semper habe-
ret patrem praesentem. Ex tali timore Dei ut egre-
giè ratiocinatur Cassiodorus, nascitur compunctio
SALUTARIS, de compunctione cordis abren-
 nuntiatio facultatum, ex hac humilitas, ex humilita-
 te mortificatio: per mortificationem verò *extirpan-*
tur atquè arescunt universa vitia.

IX. Atquè hic timor est, quem D. Gregorius
anchoram cordis. S. Hieronymus, *virtutum custodem:*
 S. Chrysostomus: *expulsi-vum peccati:* S. Bonaven-
 tura: *Ostiarium cordis.* Sapiens Salomon *Initium sa-*
pientiae nominant: hic inquam Timor est qui eva-
 cuavit urbes, implevit eremos, purpuras mutavit
 in saccos: qui hodie replet monasteria & sacras do-
 mos, profligat vitia, ferit virtutes, frænât cupidi-
 tates, proscribit risum, colligit lacrymas. Unde
 Climacus de quodam Monacho tradit quòd cùm
 videret ignem semper fleverit, memor ignis infer-
 nalis. Vitæ Patrum de quodam Abbate qui cum a-
 sperrimè viveret solitus est dicere: *Totus labor*
quem hic sustineo non est idoneus comparari ad unam diem
tormentorum, quæ peccatoribus in futuro seculo præpa-
rantur. Hæc timore impulsivi viri sancti juxta verba
Psalmistæ descendunt in infernum viventes, ne descen-

S. Greg.
 in lib.
 Reg.

Cassiodo.
 de Inst.
 mon. c. 40

S. Greg.
 lib. 6.
 Moral. c.
 27.
 S. Hieron.
 Ep. ad
 Fabiol.
 S. Chry-
 sost. hom.
 15. ad
 popul.
 S. Bonav.
 di. salut.
 c. 1.
 Climac.
 gra. 7.
 vitæ PP.
 lib. 5. c. 7.

Glossæ ad
 Ps. 14.

dant morientes ut addit Glossa. Hic timor quem occupaverit, ad vitæ finem occupet, necesse est. Arsenius post centum viginti annos ferè in Eremito asperrimè transactos, cum flendi nullum finem faceret interrogatus, an post tot lacrymarum flumina adhuc divini Judicij rigorem metueret, dixisse fertur: *Metuo equidem O fratres mei, nec momento sine metu sui, ex quo hanc vitæ normam secutus me Deo consecravi.* Elias Abbas de se fatebatur: *Tria sunt que horrorem faciunt cogitanti: Egressus animæ ex hoc corpore, evocatio ad tribunal Dei, & proferenda in me à Judice Deo sententia.* De quodam solitario in Choreb refert Climacus, quòd aliquamdiù tepidè vixerit, & gravissima correptus infirmitate simul in extasim raptus fuerit. Restitutus deinde sensibus petijt à circumstantibus ut discederent. jisque egressis portam cellæ muro occlusit, ubi per duodecim annos mansit solo pane & aqua victitans. Tandem iterum infirmatus portam deijci curavit. Ingressi Patres ad ægrotum petierunt aliquod SALUTARE monitum. Ille aliud nihil respondit, quàm (verba sunt Climaci) *Ignoscite mihi nemo qui mortis & judicij memoriam verè agnovit, peccare unquam poterit.* S. Hilarionem post exactam Anachoreticam vitam octoginta totis annis, adhuc timuisse mortem referunt historici, ac dixisse *Egredere anima mea octoginta annis servijsti Deo, quid times?* ad cuius dictum sanctus etiam Joannes Eleemosynarius se solebat reflectere; ac dicere; *Itis qui octoginta annis servavit Christo, & mortuos suscitavit, & signa fecit, timuit amaram illam HORAM, quid habes tu humilis Joannes dicere aut facere?*

Vita PP.
Ruffini. n.
163.
Apopht.
PP. lib. 3.

Jo. Climac. scal.
Parad.
grad. 6.

Ioan. Boland. in
vita ad
23. Jan.

X. Ego verò dico: si isti tanti tam sancti viri
tan-

tantoperè timuerunt supremum diem, quid nos sentire par est, qui peccatis quotidianis animam maculamus, securè vivimus quasi non morituri, indulgemus cupedijs nostris quasi nullam rationem reddituri. Nempe illi sapientissimè timuerunt, quia viderant *Stellas de cælo cadere*, & eos qui diu sanctè vixerant in fine corrupissè. *Vidimus multos* (ait S. Augustinus) *Vidimus multos ex Patribus nostris* (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) *ascendisse primitus quodammodo usquè ad cælos, & inter sydera nidum suum collocasse: postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cælis cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis.* Unde quæso tam præceps ruina? non fuit perseveranter *Timor Dei ante oculos eorum.* Dicit enim sapiens: *Beatus homo qui semper est pavidus.* Semper inquit pavidum esse oportet, qui vult beatus esse, & perseverare. Vis scire quid sit esse semper pavidum? Bernardus dicat: *Time cum arriserit gratia: Time cum abierit: Time cum denuo revertetur, & hoc est semper pavidum esse.* Qui non est semper pavidus sæpè corrui. Et si multi post magna virtutum merita collecta ruerunt, quid non debent metuere magnis peccatorum sarcinis onerati?

XI. Finiamus cum Salomone. Hic librum suum quem inscripsit Ecclesiasten, ita conclusit: *Faciendi plures libros nullus est finis. Finem loquendi pariter omnes audiamus. DEUM TIME, & mandata eius observa: hoc est enim omnis homo.* Quasi veller dicere: quid opus est multa scribere, multos libros edere formandis humanis moribus. Hoc sufficit, in quo consistit tota felicitas hominis, scribere,

S. Aug.
solitar. c.
29.

Prov. 28.

S. Bern.
ser. 55. 10
Cant.

Eccle. 12.

dicere, monere DEUM TIME & mandata eius obserua: hoc est enim omnis hominis felicitas. Inferat nunc S. Bernardus: ERGO si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est omnis homo. Maximè timeant, qui non timent. O JESU Confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui. Confige inquam cruci tuæ, ut ei affixus non declinem à semita mandatorum tuorum, sed faciam judicium & justitiam ne tradas me calumniantibus me. Servi tui Basilij documentum SALUTARE est: sicut cruci affixus movere nec manus potest nec pedes, sic qui Timore Domini configitur, extra illius nutum nequaquam movetur. Sim quoad vivo tuæ cruci affixus, pedes mei non ambulent nisi viâ crucis, manus meæ non operentur nisi bonum, intellectus meus non intelligat nisi quod tu doces, voluntas non velit, nisi quod tu mandas, memoria jugiter consideret Judicia justitiæ tuæ, ne fuga mea & emendatio sit nimis sera in hyeme vel sabbatho, si me fortè ad tribunal citaveris subitò. Amen.

S. Bern.
ser. 20. in
Cant.
Psal. 118.

S. Basil. in
Proverb.



DISCURSUS XXVII.

In Dedicatione Ecclesie.

Templum in Templo.

T H E M A.

Hodie in domo tua oportet me manere.

Luc. 19.

S Y N O P S I S.

- I. Antiquissima est, & in veteri testamento consueta celebratio Dedicationis Templi, non simpliciter structure vel actus Dedicationis, sed potius cum reflexione ad Templum spirituale, quod sunt anime Christiane in Templo materiali, cuius sanctitas renovanda.
- II. Aptè hoc die legitur Evangelium de Zachæo, qui & ipse effectus est Templum spirituale, & eius quoque domus, quam Christus ingredi dignatus est, dum ipse quasi ex lapide peccatoris excitatus est filius Abræhe.
- III. Excepit enim gaudens Christum sicut Philemon & Bau-
- eis Iovem, quorum Casa eâ de causa versa fuit in Templum: quod optandum esset omnibus Christianis, ut essent eorum domus receptacula pauperum, sicut in primitiva Ecclesia, quando ex Templorum redditibus large dabatur eleemosyna.
- IV. In Dedicationibus nulli conveniunt, etiam divites, sed rari Zachæi, qui dimidium honorum dent pauperibus. Multi alia Tempia in Templo sibi fabricant, divites Mamonne, lascivi Beelphegor, & Veneris, iracundi Martis. &c.
- V. Domus verò Dei deberet esse domus orationis, sed tales

faciunt eam speluncam latronum, per vitia quæ in illis committunt, irreverentiam quam exercent. &c.

VI. Iacob erigens aram Deo dicebat terribilis est locus iste, & tamen peccatores non pavent ubi non est solim umbra sed veritas. Multi puniti qui Ecclesias inhonorarunt, uti viatores in Campania.

VII. Et in Gallia Santonis citharædus. Ideò Stephanus Papa *VI.* in altari se vertit, & corripuit immodestos in Ecclesia.

VIII. Si Christus in templo non toleravit ementes & vendentes necessaria pro sacrificio,

quomodo tolerabit delicta? Nullum peccatorem punivit per seipsum, nisi hos mundatores, ut constaret quantum ipsi displiceat prophanatio Templi.

IX. Ecclesia est quoddam celum terrenum, in quo nihil indecens admitti debet; unde *S. Nonna* & alij sancti mira modestia in illo vsi. Totus olim mundus Templum fuit: nunc nuspian minus est Templum quam in Templo. *S.* tamen *Adelardus* ubiq; Templum habuit, quem si imitari non possumus, saltem studeamus esse spiritualia Tempia in Templo materiali.

Hodie in domo tua oportet me manere. *Luc. 19.*

I.



Am vetusta est celebritas dedicacionis Templi, ut antiquitate præcellat omnes alias Sanctorum festivitates. Etenim iam olim in veteri testamento solennissimè celebratam Dedicacionem Templi Salomonis testantur sacræ paginæ, cum tamen nullius sancti sive Patriarchæ sive Prophetæ festiva recoleretur memoria. Templum Salomonis ter Dedicatum est: primò ab ipso Salomone: *Dedicaverunt domum Dei Rex & universus populus.* Secundò post quadring-

gentos & decem annos cùm à Chaldæis fuisset ever-
sum, & permittente Cyro Rege iterum reædifica-
tum per Eisdram. Tertiò cùm à gentibus profana-
tum ac dirutum restauravit Judas Machabæus.
Nulla verò fuit solennior Dedicatio quàm prima.
Dignum toto mundo spectaculum videre in unam
civitatem congregatum penè universum populum
Israël, & per octiduum offerentem sacrificia, *bo-
rum viginti millia, arietum centum viginti millia*: Re-
gem ipsùm in medio populi supra basim æneam
genuflexum publicas ad Deum precès fundentem;
gaudia & tripudia universi Israël; ingentem nume-
rum Musicorum canentium & ludentium; ditissi-
ma donaria Regis & populi oblata templo. Et hæc
omnia ut honor exhiberetur domui Dei, in qua
tamen non habitavit ipse Deus, sed solum Arca
continens virgam Moylis, paxillum de Manna,
duas tabulas lapideas, in qua erat lex conscripta,
quæ non fuerunt nisi umbra, & figura Dei & novæ
legis. Dedicantur Tempia etiam apud nos Christi-
anos, tametsi non tam sumptuosa, nec cum tanta
solennitate, meritò tamen cum maiori devotione,
quia sunt habitaculum veri Dei. Sed cur obsecro
hæc Dedicatio honoratur annua celebratione? cur
quotannis diem primæ Dedicacionis festivum ha-
bent singulæ Ecclesiæ? Divi Thomæ, Bonaventuræ
& aliorum Theologorum assertio est: *Non cele-
bratur festum nisi de sancto*. Quale sanctitatis obje-
ctum est in Dedicacione? Templum quidem est
domus Dei, sed tamen si materialia eius spectentur
non est aliud quàm congeries quædam lapidum &
lignorum, quibus nullus cultus nulla veneratio fe-
cundum se debetur. Ipse Dedicacionis actus pera-
gi-

1. Esdræ.

5.

1. Ma-
chab. 4.D. Tho. 2.
p. 1. 27.
a. 1.

igitur ab Episcopo, Clero, & populo, qui licet sit actus Religionis pius & sanctus, potest tamen accidere, ut extrinsecè vitietur, si multi ad eum concurrant, qui non operentur ex pietate & devotione, sed quandoq; ob finem longè diversum, & etiam malum : ac proinde hic actus non potest esse obiectum celebritatis. Quid ergò celebramus hodie? Definiat quæstionem S. Thomas de Villanova: *Non tam his materialibus, quàm spiritualibus Templis hæc solemnitas impenditur, & cum hoc agitur, aliud intelligitur.* Vult dicere, dum memoriam recolimus quondam peractæ Dedicationis Templi, habemus pro obiecto cultum Dei, non tam ut inhabitantis Templum materiale, quàm ut sanctificantis Templum spirituale. Nam ut ait Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Quo tendunt etiam illa sancti Augustini: *Quotiescunq; fratres charissimi, altaris vel Templi solennitatem colimus, si fideliter & diligenter attendimus, & sanctè ac justè vivimus, quidquid in Templis manufactis agitur, totum in nobis spirituali ædificatione completur.* Nostra igitur est hæc solennitas: habemus pro obiecto Deum ut honorandum, colendum in Templo non tam materiali quàm spirituali, ut per sanctitatem & justitiam animarum nostrarum efficiamus nosipsos viva Dei *Templa*. Ac proinde cum hodierna die convenimus in **TEMPLO** materiali, necesse est ut renovemus sanctitatem **TEMPLI** spiritualis, quod est **Dedicare Deo **TEMPLUM** in **TEMPLO****. Et hoc erit Thema præsentis discursus.

II. Quod sancta Ecclesia per universum mundum in Anniversario Dedicationis **TEMPLI** miram conversionem Zachæi Publicani in Missa &

ser-

S. Tho. de
Villan.
Conc. de
Dedicat.

2. Cor. 3.

S. Aug.
ap. cit. S.
Tho.

sermonibus prælegi mandet, mirum alicui videri possit. Nulla in toto Evāgelio de Ecclesia vel templo fit mentio, nec commune quid habet cum Templo Zachæus turbam præcurrrens, scandens symcomorum; vocatus & iustus descendere à Christo, recipiens ipsum hospitio, restituens iniquè parta, & deniq; ex peccatore factus Dei amicus, fidelis, Christianus. Nihilominus si benè expendamus, omnia penè quæ de Zachæo refert sacer historicus, faciunt ad immutationem animarum nostrarum, & documentum præbent, quomodo nos animas nostras formare possimus in viva Dei **TEMPLA** in **TEMPLO** materiali. Zachæus ex nominis interpretatione *purus* ad puritatem nos invitat: cupiens videre **JESUM**, ardens in nobis desiderium præsentia divinae & gratia sanctificantis excitare debet: vocatus à Christo, & illicò descendens ex arbore, recessum à malo & accessum ad bonum innuit: excipiens Christum in domo sua gaudens, docet nos devotè frequentare sacramenta & divina mysteria, ac Christo in anima pura præbere hospitium: reddēs injustè acquisita, & ex proprijs insuper distribuens medietatem pauperibus, suadet opera charitatis simul & iustitiæ, quæ omnia nobis facienda sunt in Dedicatione Ecclesiæ, si volumus animas nostras dedicare Deo, monenti *Hodie in domo tua oportet me manere*, ut postmodum audiamus dulce illud verbum: *Hodie salus huic domui facta est: eo quòd & ipse factus sit filius Abrahe*. In his quippe verbis insinuat quædam novi **TEMPLI** spiritualis dedicatio, imò constructio. Tempora construuntur ex lapidibus materialia, ex hominibus spiritualia. De his dicebat Christus postquam monuit: *Facite fructum*

dignum pœnitentiæ. &c. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare Filios Abrahæ. Filij Abrahæ de lapidibus sunt qui convertuntur ad Deum ex peccatoribus induratis : ex huiusmodi lapidibus construuntur & consecrantur viva Dei **TEMPLA**, quæ in **TEM- PLO** materiali honorant & venerantur Deum :

*Hymn.
Eccles.*

Fabri polita malleo

Hanc saxa molem construunt.

canit de justis & justificatis Ecclesia. Talis lapis erat ante conversionem Zachæus, qui ad Christum conversus meruit ut esset vivum Dei *Templum*, & dum recepit Christum in domum suam, illam quoq; convertit in *Templum*.

III. De Philæmone quodam eiusq; uxore Baucide in Phrygia habitantibus somniant Poëtæ, quòd Jovem & Mercurium indutos humanam formam hospitio exceperint, & pro fortunæ tenuitate liberaliter tractaverint. Ea benevolentia pauperum colonorum delectatus Jupiter Casam eorum in Templum convertit. Unde canebat Ovidius :

*Ovid. 8.
Metam.*

*Illæ vetus dominis etiam casa parva duobus,
Vertitur in **TEMPLUM**; furcas subiere col-
umnæ,*

Stramina flavescunt, auratq; tecta visuntur.

Optanda esset hæc metamorphosis omnibus Christianis, ut non tantum ipsorum animæ per receptionem Sacramentorum verterentur in aurea Dei habitacula, & viva **TEMPLA**, sed & domus eorum materiales essent quædam velut *Templa* receptacula Dei in pauperum & peregrinorum personis, qualia in primitiva Ecclesia fuerunt omnia *templa* Christianorum. Nam largæ conferebantur eleemosynæ Ecclesijs, quæ per Antistitum & Sa-

cerdotum manus egenis viduis, orphanis, ægrotis, aliisque inopia pressis distribuebantur. Imò in hunc finem certi redditus annui Ecclesijs assignati fuerunt ex piorum liberalitate, uti ex S. Chrysofomo licet colligere, qui pro Zelo suo disponere volens Antiochenos ad suppeditandam largam Eleemosynam pauperibus, componit primò numerum divitum cum numero pauperum: & cum hi sint longè pauciores, ostendit magnam esse inhumanitatem divitum, qui cum facile possent, ijs non succurrant. Deinde comparat Eleemosynas Ecclesiæ distribui solitas pauperibus, cum Eleemosynis divitum, ita inquires: *Et ut eorum* (divitum) *discas inhumanitatem, unius ultimorum divitum, & non valde locupletum habens proventum Ecclesia, quot per singulos dies viduis sufficiat, quot Virginibus cogita. Nam ad trium millium ascendit numerum earum Catalogus, & præter hos quot carcerem habitantibus, quot in Xenodochio laborantibus sanis & peregrinis, corpora habentibus mutilata, altari assidentibus &c. & tamen nihil ei de substantijs diminutum est. Itaque si decem duntaxat viri sic erogare voluissent, nullus esset pauper. Hæc S. Chrysofomus de sola loquens civitate Antiochena. Sed mi sancte Chrysofome, si tuo tempore fuerunt divites tam inhumani, ut nollent subvenire pauperibus, scito nostris temporibus longè esse inhumaniores, & adeò quidem ut sæpè pauperes plus sperent obtinere ab alijs pauperibus quàm divitibus. Et si veniret ad aliquam urbem Deus peregrinus habitu dissimulato, idem illi accideret quod Jovi & Mercurio accidisse fabula recenset. Exclusi fuerunt illi ab omnibus oppidanis, quos in-*

S. Chry-
sost. hom.
33. ad po-
pul.

ter nihil dubium fuisse locupletes, solus Philæmon pauper agricola illis hospitium exhibuit. Heu me! nolunt hodie divites esse **TEMPLA** viva Dei! Illos illos divites intelligo qui per fas & nefas, per dolos & fraudes à viduis, à pupillis, à miseris extorquent & corradunt divitias, & alienis spolijs ac rapinis onusti incedunt ut Cameli, sibimet obstruentes viam ad cœlum. Rari valdè sunt Zachæi, qui dicant: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. Et si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum*, videlicet ex altero bonorum dimidio. *Participes fac pauperes* (monet allegatus Chrysoſtomus) & *bonus sis dispensator eorum quæ à Deo tibi data sunt*. Porro

Chrysoſt.
cit.

IV. In magnis solennitatibus, uti & in Dedicacione Ecclesie magnus passim concurrat populus, neq; suo tunc desunt officio divites, quo minus & ipsi Templum accedant, intersint divinis officijs. Sed si mihi liceret intueri singulorum corda, & internas cogitationes, quam mira vobis possem exponere! Putatis quòd omnes hodie huc conveneritis eo animo ac intentione qua Zachæus Christum excepit? quotusquisq; est sollicitus de puritate animæ, de mutanda per pœnitentiam anima sua in vivum Dei **TEMPLUM**? quotusquisq; ad vocem Christi quam audit vel in Missa vel in Concione cogitat descendere ex arbore præteritæ improbitatis? quotusquisq; ex avaris & iniquis alieni possessoribus cogitat de restitutione non iam quadrupla, sed simpla? quotusquisq; intendit solito liberaliorem erogare in pauperes eleemosynam? Metuo, ne pleriq; in **TEMPLO** Dei nova sibi **TEMPLA** profana & detestanda ædificent. Divites erigunt sibi Templum Mamonnæ. *Mamon est nomen*

Lycan. in
Luc.

dæ-

dæmonis tentantis de divitijs malè acquirendis, ut inquit Lyranus. Juvenes lasciviæ dediti erigunt sibi Templum Beelphegor sive impudiciæ, de qua D. Zeno: *Deos ipsa genuit (nempe impudicitia) ipsa intulit mundo, per quos, aut in quibus diabolus colitur: ipsa venerem membris nudatam, ut sciat unusquisque ad Idololatriam pertinere luxuriam, ipsa inquam mortuorum sepulchra convertit in Templo.* &c. Vix enim (aut saltem rari) alia de causa Templum frequentant, quàm ut videant & speculenter ex opposito formas, sibiq; erigant altare contra altare. Juvenulæ, domicellæ, imò & sæpè maritatæ, multas horas absumunt domi ante speculum, seq; comunt & ornant *ut similitudo Templi*. De quibus David canebat: *Filiæ compositæ, circumornatæ ut similitudo Templi*. Tales ad Templum veniunt, ut in jis curiosi Juvenes, & etiã adulti (an potius adulteri) adorent idolum veneris, & in Dei TEMPLO TEMPLUM habeant impudiciæ. Mercatores qui nec in Templis cessant cogitare de suis lucris, cambijs, deceptionibus erigunt sibi Templum Mercurij, quem mercatorum juxta & furum Deum agnoscebant antiqui. Iracundi Templum Martis sibi constituunt, dum etiã sæpè inter divina rancores, iras, odia, vindictas spirant. Hæc perstringens S. Chrysoctomus ait: *Siquis corrumpere Matronam conatur, locum hunc (idest Templum) maximè idoneum putat. Emere quid aut mercari lubet? magis idonea Ecclesia est quàm forum. Sæpius enim de rebus hic quàm in officinis loquuntur.* &c. Nihil ferè est, quod non libentius in templis tractemus quàm domi: hinc tanta Templorum irreverentia, tantus divinatorum neglectus, ne dicam contemptus: curiosa circumspectio, Epistolaram rele-

D. Zeno
serm. de
pudicit.

Psal. 143.

S. Chry-
sost. hom.
36, in Ep.
1. ad Cor.

atio, novellarum communicatio, garritus, joci risus iam sunt communes magis quam oratio.

V. Mi Christe memini te dum in terris versareris, & adverteres in templo Hierosolymitano (quod erat tantum umbra nostratium) negotiatores ementes ac vendentes boves ac columbas quæ erant materia sacrificiorum, Zelo divini honoris impulsus flagello eiecisse & mensas nummulariorum evertisse: quomodo nunc pateris longè deteriora in tuis sanctis Templis? annon verius modo dicere potes: Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Superbi iracundi, avari, lascivi ingrediuntur & illic sua quisque negotia tractat, quasi versarentur in Theatris, foris, compitis, officinis mercatorijs, lupanaribus. Et tanta est tua patientia ut dissimules? Mirabatur olim Chrysofostomus suo tempore, quòd non puniantur divinitus, qui in Ecclesijs risui, jocis, cachinnis, garritibus operam darent, ut exclamaverit: *Celebratur oratio, omnes jacent segnes, juvenes & senes, piacula magis quam juvenes, videntes, cachinnantes, colloquentes (nam & hoc factum audi-vi) & alij detrahentes super genua positi. &c.* Et post nonnulla interjecta adjungit: *Video rursus & alios loquentes rectos dum oratio celebratur; eorum verò leviores non solum dum oratio perficitur, verum & dum Sacerdos benedicit. O rem horrendam! quando salus erit? quando Deum placare poterimus? &c.* Et id profectò tremendum est, quod hic non venis ludum aut choream obiturus, & tamen stas incompositè. Nescis quod cum Angelis constitisti? cum illis cantas, cum illis Deum laudas, & stas ridens? Quod fulmen non torquetur non tantum in istos, verum & in nos, nonne mirandum?

S. Chry-
sost. homs.
40. ad
popul.

dum? Sunt enim ista fulmine digna. Hæc sunt aurei oris ferrea verba. Sed quid diceret Chrysostomus si hodie ingrederetur aliqua Tempia, & illic observaret oculorum nictus & nutus juvenum ad puellas, imò & colloquia inter eosdem ubi promiscuè uterque sexus toleratur in subsellijs: audiret condici locum, tempus, signum occulti conventiculi ad scelera: audiret ab alijs convitia & maledicta in Sacerdotem protrahentem diutius Missam, in Concionatorem veritatem professum, in transeuntes vel advenientes quorum sunt inimici: videret, quod ætate nostra factum (horresco referens) in ipso templo pugnas, duella, homicidia. Et non sunt ista *fulmine digna?* **TEMPLUM** Dei fecere speluncam latronum, in **TEMPLO** Dei **TEMPLA** erigere Idolorum & scelerum?

VI. Peregrinanti olim Patriarchæ Jacobo & somno oppresso, visi Angeli per scalam descendere & ascendere, summitati verò scalæ ipsum Deum innixum. Excitatus à somno Jacob & obstupefactus ait: *Terribilis est locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.* Quid rogo terribile videbatur Patriarchæ in isto loco, an Dei conspectus, an Angelorum ultro citroque meatio? *Terribilis est, inquit locus.* Ad quæ Rupertus Abbas. *Notandum quod Jacob non ipsum Dominum, sed locum exparvescit, & Terribilem esse dicit. Talis autem locus Ecclesia Dei est, & in ea terribilia Dei opera patranda.* Nimirum contra eius violatores. Pavent sancti locum habitationis Dei, & non paveant impij peccatores? Quod Deus non semper fulminet, non semper puniat scelera & irreverentias *Templis* exhibitas, est eius qua clementiæ qua patientiæ attribuendum:

nihil-

Gen. 28.

Rup. Abbas
lib. 7.

Henschen.
To. 3. A-
pril. ad
diem 28.
Vit. S.
Marci.

nihilominus timenda est eius iustitia, quam sæpè in profanatores locorum sacrorum exercuit. In Campania fuit aliquando vetus Templum S. Marci Episcopi & Martyris Atinensis, quod cum iam dirutum viatores fortè transirent, illic iumenta sua collocarunt per noctem, ignorantes ibi sancti lipsana esse condita. Moniti tamen à scœmina vicina locum esse Deo dicatum, perseverarunt. Orto mane iter profecuti illico senserunt vindicem Dei manum. Nam vix ad jactum lapidis progressis unum jumentum corruit & crepuit, & alterum similiter nondum exacto stadio. Idem accidit alijs ibidem pernoctantibus Calabris Mercatoribus quorum Asinum in Ecclesia alligatum nocte aggressus lupus voravit. Tertio item, qui in eadem Ecclesia Asinum pedi suo alligaverat ne cum ipse indormisset, posset abscedere: nam fures noctu ingressi Ecclesiam præciso fune Asinum abduxerunt *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Et multò magis vos qui in Ecclesia negotiamini, qui amores inhonestos conciliatis, qui proximo detrahitis &c. hæc quippe longè graviora sunt quàm si animal irrationale ingrediatur Ecclesiam, quanquam & hoc inducentes profanent Tempa, & peccent.

Henschen.
To. 3. A-
prilis d.
30. in vit.

VII. Ecclesiam S. Eutropij Martyris Episcopi Santonensis in Gallia fortè Citharoedus quidam ingressus lucri causa Citharam pulsabat subliliens: illico adfuit vindex Dei manus: nam in conspectu omnium supinus cecidit, & videbatur iam iam expiraturus. Collecto dein anhelitu agnovit peccatum, Deo & sancto emendationem promisit, & pristinæ restitutus est sanitati. Sed paulò post oblitus promissi cum iterū per Ecclesiam circumiret pere-

gri

grinorum vigilias, eosq; cithara sua potius ad vanitatem quam devotionem impelleret, terræ repente allisus spumans ac frendens dentibus suamet membra lacerare cœpit, acsi maligno fuisset correptus spiritu. Adhæc Citharæ chordæ disruptæ sunt, ipsa Cithara occulta vi in altum sublata rursus decidit & confracta est cum omnium stupore agnoscentium pœnam Dei. Ille verò miser deportatus domum postridie vitam clausit. *Terribilis est locus iste.* Idcirco cum sciret Ecclesiam Dei talem esse locum Stephanus Papa VI. & animadverteret à nonnullis irreverentiam Templo exhibitam dum ipse Missam celebraret, sub ipsa Missa ad populum conversus exclamavit : *Parvescite illum qui flagello facto de funiculis eiecit vendentes de Templo.* Quod etiam hodie dictum esto omnibus qui huc alia de causa quam adorandi Dei convenerunt : qui non satis memores in eius conspectu se stare, ad vana, ad illicita, ad nugas, ad garritus se convertunt. *An ignoras Ecclesiam Dei officinam Medicam esse & portum ? si in portu fluctibus agiteris ubi postea quiesces ?* aiebat S. Anastasius Sinaita.

Baron. ad
an. 890.

S. Anast.
sini de sa-
cra. syna-
xi.

VIII. Ut modo insinuatum est Christus flagello è funiculis confectò eiecit ementes & vendentes è templo, quod factum summè mirantur SS. Patres. Unde Venerabilis Beda aiebat : *Si Dominus nec ea volebat venditari in Templo, que in Templo volebat offerri, quanta putas animadversione puniret, si invenisset ibi aliquos risui vel vaniloquio vacantes, aut alij cuilibet vitio mancipatos ?* Sanè emere, vendere, negotiari, non est de se actus illicitus aut malus : si ergo hoc Deus in Templo suo non tolerat, quanto magis indignabitur si illic

Beda hom.
7. de
Quadrages.

Cæsar. ser.
33.

S. Vin-
cent. ser.
3. Dom.
in voca-
vit.

S. Nilus
in Aegic.
S. Germ.
de Eccl.
Theo.

exerceantur actus peccaminosi, si contingat, uti aiebat Cæfarius, quod *Multi cum parvo peccato ad Ecclesiam veniunt, & cum multis ac magnis ab Ecclesia revertuntur.* Observat verò singulariter S. Vincen- tius Ferrerius quòd nusquam legatur Christus per seipsum aliquem peccatorem punivisse, nisi eos so- lummodo qui Templo irreverentiam exhibuerunt negotiando. *Non legitur quod Christus unquam proprijs manibus peccata correxerit, nisi hic, quia fecit flagellum de funiculis. Hic apparet quantum displicet is qui tangit Ecclesiam.* Reges & Principes per substitutos punire solent, per seipfos verò gratias elargiri. Idem solet agere Deus, sed ubi honor eius viola- tur, ubi Ecclesia sponsa eius inhonoratur, per se pu- nire vult, ut ostendat quantoperè illis indignetur qui debitam reverentiam TEMPLO non deferunt. *Pavescite illum qui flagello factò de funiculis eiecit ven- dentes de Templo.*

IX. Proinde mi Christiane, mi Auditor : *Ecclesiam ut cælum adi, & Nil in ea aut loquere aut age, quod terram sapiat, uti monebat S. Nilus : & eodem sensu S. Germanus : Ecclesia est terrenum cælum, in quo supercœlestis Deus inhabitat, & inambulat.* Nihil indecens, nihil profanum, nihil defectuosum aut vitio affine locum habet in cœlo : si viva fide agno- scis te stare aut flectere coram Deo in medio An- gelorum ; utique modestiæ & pietatis, & puritatis memor eris. De S. Nonna matre S. Gregorij Nazi- anzeni ipse testatur sanctus filius, quòd in templo nunquam locuta sit, nunquam altari terga verte- rit, nunquam ad pavementum spuerit, tanta erat eius erga locum Deo sacratum *locum Terribilem* re- verentia. *Cur non illi quoque ad laudem præclarum sit,*

(inquit S. Gregorius) quòd silentij honore sancta co-
luerit, quòd venerandæ Mensæ nunquam terga verterit,
nec divinum solum conspuitando inquinaverit. Agnosce-
bat hæc sancta, quòd domus Deo dicatæ sint habi-
tacula Dei, quòd illic Deus sit omni studio colen-
dus & adorandus, quòd *Terribilis sit locus*, ubi De-
us habitat, qui sicut bonis præmia paratus est dare,
ita improbis pœnas in promptu habet. Olim totus
Mundus **TEMPLUM** erat, ut canit Claudius Ma-
rius, cum de Caini & Abelis sacrificijs agit:

Mox ni veo sacra exurgunt altaria saxo

Agnovitq; hæc prima recens altaria Mundus:

Anteâ totus enim convexo tramite cœli

TEMPLUM mundus erat. - - -

Unicum deinde fuit Hierosolymis. Apud nòs Chri-
stianos sunt innumera, in omnibus urbibus, oppi-
dis, pagis, sed ut dolet Chrysofomus: nunc *cæte-
ra omnia facilius in Ecclesia deprehendes quàm Ecclesiam
ipsam*, quia scilicet non exhibetur ei debitus honor
& reverentia, quia cum ipsimet Christiani ingre-
dientes Ecclesiam deberent esse viva **TEMPLA** in
TEMPLO, faciunt non tantum materiale **TEM-
PLUM**, sed & animam suam *speluncam latronum*. I-
mitemur S. Adelardum Corbeix Abbatem, qui
non contentus Deum colere in **TEMPLO** materi-
ali, sibi ipsi in anima sua **TEMPLUM** fecit, ut ubi-
que quasi hospitantem in anima sua Deum coleret
ac veneraretur. De eo vitæ Author: **TEM-
PLUM** autem spiritus suam fecerat animam, verita-
tisque habitaculum. Idcirco ut mihi visum est, totus ubi-
que secum, totisque cum Deo erat, ac sollicitus cum eo
gradiebatur. Si verò hoc præstare non possumus,
saltem simus in **TEMPLO** **TEMPLA** Dei. De

S. Greg.
Naz. orat.
in laud.
patris S.
Greg.
Theolog.

Claud.
Mar. lib.
3. Pœm.

Chrysof.
hom. 38.
in Ep. ad
Corinth.

Paschas.
Rad. in
vita cap.
8. ap. Bol-
lan. 2.
Jan.

Athen.
Dripos.
lib.

Stratonico quodam refert Athenæus, quod cum
 versaretur apud Malistam (vel Malyfin) Laconiae ur-
 bem, ibique viderit multa Tempia, paucos homi-
 nes, progressus ad forum clamare cœperit *Audite
 Tempia.* Ego meliori sensu hæc ad vos possum di-
 cere AA. mei: *Audite Tempia. An nescitis quoniam
 membra vestra **TEMPLUM** sunt Spiritus sancti,
 qui in vobis est? **TEMPLUM** Dei sanctum est quod
 estis vos.* Mementote quid fitis, quid esse debeatis,
 ubique locorum quidem, sed præsertim in **TEM-
 PLO** Dei, in Ecclesia quam frequentatis: & siquid
 hæctenus neglectum est, hodie in Anniversario
 Dedicacionis huius Ecclesie celebrate novam De-
 dicacionem Animæ vestræ cum Zachæo. Nam &
 ad vos clamat Christus: *Hodie in domo tua oportet me
 manere.* Ut deinceps audiatis *Hodie salus huic domui sa-
 cta est:* & fitis (quod opto singulis) viva Dei
TEMPLA in **TEMPLO**, sancta in san-
 cto. Amen.

1. Cor. 6.

2. Cor. 3.





DISCURSUS XXVIII.

In Dedicacione Ecclesie.

Templum extra Templum.

T H E M A.

Hodie in domo tua oportet me manere.

Luc. 9.

S Y N O P S I S.

- I.** Encenia dicuntur cum nove vestes induuntur, à nobis vita novitatem exigunt: sed pauci nunc verè enceniant, quia faciunt sibi Templum extra Templum, quærendo Deos extra Deum.
- II.** Olim unum tantum erat Templum: apud Christianos sunt plurima, & his non contenti multi etiam sacella dæmoni erigunt extra Templum.
- III.** Et plurima passim dæmoni extructa sunt à Regibus dolatris, ut superaverint Principes Christianos, quid mirum? cum ducant ad declive non in arduum, sicut Theodota meretricis plures habuit sequaces quàm Socrates.
- IV.** In Dedicacionibus passim taberna cauponum, fidicinum subsellia, mercatorum suggestus, mimorum theatra sunt Tempa extra Templum, ubi plus colitur dæmon quàm in vero Templo Deus.
- V.** Facimus quod Salomon qui unum Templum erexit vero Deo, idolis verò plurima, præsertim ij qui sunt ventri dediti, ab uno vitio ad cætera digredientes.
- VI.** Ut viles quidam per omnes cauponarias tabernas potitare solitus: cui postea in pœnis calix ex pice & sulphure propinatus est.
- VII.** Ebriosi digrediuntur ad choreas uti Israëlita, ad quas matres libenter assuescunt

suas filias, ut mature discant celebrare festum diaboli.

VIII. Quodsi aliquibus pedes prurunt ad choreas, imitentur Davidem saltantem ante arcam, S. Elisabetham saltantem ad Ecclesias, & canant Domino.

IX. Canere Domino est scire jubilationem cum tripudio, id

est unanimitatem devotionis in templo, Deum semper habere in oculis.

X. Et qui hoc sciunt, non querunt Templum extra Templum, ipsimet sunt Templum Dei quod non debet exstrui & sectis lapidibus, idest separatis à reliquo corpore.

Hodie in domo tua oportet me manere.

Luc. 19.

I.

S. Greg.
Naz. O-
rat in no-
vam Do-
minicam.



Encæniam hodie seu innovationem Dedicacionis huius in qua congregati sumus Ecclesie celebramus. De Encæniam honorandis lex vetus est, edque præclare constituta. Inquit S. Gregorius Nazianzenus. Equum enim est, ut quod primò sanctè peractum est, frequentius ingeratur memoriæ, & vetus pietas saltem annue renovet pietatem. Teste S. Augustino: *Qui novam vestem induit Encæniam dicitur.* Multò magis dixerò illum Encæniam, qui deposita vetusta peccatorum & malarum consuetudinum pelle, novos induit mores, novis ornatur virtutibus, quod vel maxime sacra Ecclesiarum Encæniam à nobis videntu erigere. Hoc designant vexilla è turribus pendula: hoc frequens & plena campanarum compulsatio: hoc solennior divinorum officiorum peractio: hoc singularis præ alijs festivitatis templorum ornatus. Sed prò dolor! hisce temporibus in eiusmodi

celebritate pauci verè ut oporteret Encænant : ut conqueri possit Deus uti olim per Aggæum Prophetam : *Domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam.* Quasi diceret *Templum derelinquitis & festinatis ad privata vestra Tempora extra Templum.* Quid verò ? num *Tempora extra Tempora* ? Ita sanè, ubi coluntur Dij extra Deum : ubi nova pro libitu Idola adorantur ; quod cùm redundet in contumeliam & contemptum veri Dei, perdatque multas animas ; agite diruamus hodie hæc **TEMPLA** extra **TEMPLUM**, & in uno **TEMPLO** veri Dei unanimiter offeramus hostiam laudis : *Unanimiter* dico, hoc enim nos docet ipsa structura **TEMPLI** materialis, quod erit præsentis discursus Thema.

II. In veteri Testamento unicum erat **TEMPLUM** pro Judæis Hierosolymis, sed in multis locis synagogæ, in quibus lex divina explicabatur : unde ad **TEMPLUM** Hierosolymitanum annui fiebant concursus ex omni Judæa. In nova lege primis temporibus quælibet domus Christianorum pro **TEMPLO** serviebat, multæque ex illis etiam Deo consecratæ fuerunt durante adhuc persecutione. Crevit numerus concessa Ecclesiæ pace, sub Constantino Magno : ita ut non solum singulæ urbes & minora loca singula haberent templa, sed multa. Refert Andreas Fulinus tempore Constantini Magni solum Romæ intra & extra urbem numerata tria millia **TEMPLORUM**, qui numerus fidem excederet, nisi etiam privatæ Christianorum ædes inter **TEMPLA** recensitæ fuissent. Magnus etiamnum Romæ, in alijs urbibus, in patria nostra **Temporum** est numerus, sed longè maior **TEMPLO**
RUM

Aggæi. I.

And. Ful.
lin. de antiq.
Romæ.

RUM extra TEMPLUM. Vulgari apud Germanos jactatur proverbio: *Ubi Deo TEMPLUM erigitur, vult etiam dæmon habere sacellum.* Imò ante quodlibet TEMPLUM Dei non unum sed multa. Simia infernalis ubique satagit pietati impietatem opponere: adeò ut plerúmque plures numeret in suis sacellis ac TEMPLIS extra TEMPLUM, quàm Deus in suo TEMPLO.

III. In occidua India teste Scribanio steterunt superiore sæculo TEMPLA vel potius delubra dæmonis septuagies mille. In unica urbe partim intra mœnia partim in districtu duorum milliarium, numerata sunt ter mille. In Africæ urbe Fessa fuerunt circa idem tempus templa septingenta, quorum maximum muro suo solidum milliare inclusit, nongentis lampadibus noctem excludentibus, ut plures authores referunt. Japoniæ Rex ante annos octingentos Frenomianam montem novem milliaribus Meaco dislitum, TEMPLORUM tribus millibus, & octingentis, tanquam novis syderibus novum cælum in terris vestijt: adjunxitque singulis Bonziorum domum, & partem tertiam vestigalium. Nullus Christianorum Principum hunc numerum attigit, quantumvis multi multa condiderint. Celebratur S. Henricus II. Imperator quòd mille Ecclesias extruxerit: Jacobus Rex Aragoniæ duo millia: Reges Hispaniæ (non unus sed plures successivè) in occidente septuaginta millia Templorum erexerunt. Sancta hæc Principum sunt opera: sed ubique numero excedit oppositio dæmonis: ut possit ferè dicere ad Principes, quod olim Theodota meretrix objecit Socrati: *Ego te antecello, cum tu neminem ex meis possis abducere: cunctos ego tu-*

*Scriban.
in Prodi-
go.*

*Jo. Bod.
in de Me-
thod. bist.
c. 5.
Beyl. lit.
5. tih su-
persit.
Scrib. cit.*

os, ut libitum fuerit ad me voco. Sed quod respondit Socrates, est responsum divinum: *Non mirum hoc, cum omnes tu rapias ad declivem tramitem, ego ad virtutem cogam ad quam arduus ascensus est.* Si comparentur qui Ecclesias intrant in Encænijs cum ijs, qui extra Ecclesias tuburcinantur, sunt plerunq; in Ecclesia *rari nantes in gurgite vasto*: cæteri TEMPLA extra TEMPLUM sibi erigunt.

IV. Nunquamne observastis in concursibus Dedicationum, quot extra TEMPLUM tabernæ vinaræ, officinæ culinariæ, fidicinum subsellia, mercatorum suggestus, mimorum & histrionum theatra? Quid sunt hæc aliud quàm TEMPLA extra TEMPLUM? sed in quibus coluntur Idola, Bacchi, Mercurij, veneris Momi, & his amplius sacrificatur quàm Deo in veris TEMPLIS. Venit subinde integra familia, maritus, uxor, proles ad talem concursum, multum est si duos nummos in Eleemosynam tribuat, duos altari imponat: & solidos florenos perpotat, donec caput occupante vertigine, rerum omnium ignarus deducatur ad stratum. Venit Mercator si uni breviculæ Milfæ interfit, putat se magnam rem præstitisse, totum reliquum diem absumit, deceptionibus, mendacijs, perjurijs. Venit caupo venale propinans vinum plus de eo vendendo sollicitus inter potatorum jurgia, detractiones, ebrietates falsificando mensuram, admiscendo aquam, hortando combibones ad scyphos ficcandos, quàm de cultu Dei. Venit petulcus juvenis si templum inspiciat non facit, ut illic veneretur Deum, sed venetur Deas Cyprias, totus in eam defixus cogitationem, quomodo alimentet focum Cupidinis. Veniunt puellæ *circumornate ut si-*

militudo templi, corpore ad tempus præsentis in TEMPLO, cogitatione verò non in Ecclesiæ Choro, sed extra in Choreâ. Deniq; circa TEMPLUM quot stationes cauponum, mercatorum, fidicinum, tot TEMPLA Bacchi, Mercurij, Veneris & Cupidinis, quot mensæ, ac sedilia tot aræ: imò tot quot anguli & luci. Et hos ego dicam venisse ad Encænia sacra? hos ego appellem cum Apostolo TEMPLA DEI? an potius sacrificulos Idolorum, quorum singuli proprium & peculiarem habent Deastrum quem colunt. Hesiodus memoriæ prodidit suo tempore fuisse numerata triginta millia Deorum, quibus singulis si non fana, saltem aræ fuerunt erectæ. Varro trecentos Joves (vel ut Ravisius loquitur) Jupitres diversos collegit. O quot in magnis concursibus Dedicacionum & Encæniorum, & Joves & Bacchi, & Veneres Cypriæ, Paphiæ, Erycinæ, quin & Cornutæ, alijq; deunculi possent colligi, quibus plus servitur extra TEMPLUM, quàm Deo vero in TEMPLO.

V. De Salomone referunt sacræ paginæ, quòd ædificaverit Domum Domini seu Templum Hierosolymitanum incredibili penè sumptu. Ex supputatione Villalpandi notat Pineda fuisse impenso si redigantur ad aureos Hispanicos auri mille sexcentos tres milliones, & octingenta millia aureorum: argenti verò mille aureorum. Magnus profectò sumptus, opus dignum Rege: sed ecce dum unum vero Deo TEMPLUM erexit extra illud TEMPLA seu fana & delubra dæmonum innumera condidit: *Colebat Salomon Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum, &c. Tunc ædificavit Salomon sanum Chamos Idolo Moab in mon-*

Pined. in præv. Salon. lib. 5. c. 4. num. 35.

te qui est contra Jerusalem, & Moloch Idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant Dijs suis. Optimum initium pessimo fine corrumpit. Sic agimus & nos Christiani. Convenimus ad Encænia ut honoretur Deus, ut preces solito ferventius fundantur, ut innoventur interna TEMPLA animarum nostrarum, & forte præstamus aliquod obsequium dum Missæ & concioni interfumus, sed inde egressi illicò nobis ædificamus fana & delubra, & TEMPLA extraTEMPLUM varijs Idolis, quibus longè plus servitij impendimus, quàm vero Deo. Plerique quorum DEUS venter est, intemperantiæ se dedunt; estur, bibitur ad seram noctem ad crapulam; luditur, saltatur, pugnatur; mille insolentijs consumitur dies, & nox ipsa in societatem pertrahitur. Et hoc multi iam faciunt quasi gloriam reputantes, aut quasi non viderentur Encæniare, nisi ebrij domum reducerentur: tanta cæcitas occupavit hominum mentes! Et hi non cogitant, quòd quorum Deus venter est, etiam sit gloria in confusione ipsorum: non audiunt Isaiam clamantem: *Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in convivijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino. Præmiserat verò quasi de nostræ ætatis potatoribus loqueretur: Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis.* Ubi addit in Commentario D. Thomas illud ex proverbij Salomonis: *Cui vae? cuius patri vae? cui rixæ? cui sovræ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne bis qui com-*

Isai. 5. v.
12.

D. Tho.
in Isai.
Prov. 23.

morantur in vino, & student caucibus epotandis. Ut vino estuetis ad luxuriam, & ad omnia vitia. Ita profectò est qui se ingurgitant ad plurima alia vitia prolabuntur; qui Deum ventrem sibi statuunt Baccho sacrificant, paulò post etiam Veneri, quia sine Cerere & Baccho friget Venus: paulò post etiam Marti, cum venitur ad rixas, ad pugnas, quin & blasphemias in Deum, ut cœtera præteream. Sed vae talibus!

*Cæsar lib.
10, c. 41.*

VI. Narrat Cæfarius de quodam Rudigero milite cuius una cura fuit indagare ubi nam celebrarentur Encœnia & Templorum Dedicaciones, nullus eo promptior ad eiusmodi solennitates, sed vix inspecto *TEMPLO, extra TEMPLUM* aliud sibi quærebat *TEMPLUM* ubi Baccho & abdomini sacrificaret: circuibat ab una ara ad aliam, volo dicere ab una popina ad aliam, & ubi optimum vinum deprehendebat, ibi in seram noctem trahebat cyathos. Defunctus apparuit filiæ cum parvo vase quali ad potandum utebatur. Quærente filia: *Pater, quid est in vase illo; respondit: Potus meus ex pice & sulphure confectus. Semper ex illo bibo, nec eum epotare valeo.* Eo dicto disparuit, causam prodens suæ damnationis. Annon Psaltes Regius de hoc & eius similibus cecinit: *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen sœx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Quæ diffundens S. Bruno Astensis ita differit: *Calix iste in manu Domini mensura retributionis est. In hoc calice, merum & purum vinum, & mixtum vinum simul cum sœce continetur. &c. Merum autem illi bibunt qui de hac vita exeuntes nihil habent quod puniatur. Mixtum verò illi peccatores, qui pœnitentiam*

Psal. 74.

*S. Bruno
Astens. in
Psal.*

ex corde suscipiunt. Isti enim, ut *Apostolus* ait, *salvabuntur quidem, sic tamen quasi per ignem. Fæcæm autem illi peccatores bibunt, qui usq; in finem in sua malitia perseverant.* Et ut infra adjungit: *pœna malorum nullum finem habebit.* Et hæc non præcogitant helluones, qui pro modica voluptatula & delectatione palati, se à palatio cœlesti excludunt, & in profundum præcipitant, ubi *Bibent omnes peccatores terræ. Fæces ex pice & sulphure: Ubi ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.*

Psal. 10.

VII. Quid dicam de tripudijs, saltibus, choreis? quæ plerunq; ebrietatem subsequuntur? Cum *Moyse* moraretur in colloquio Dei, & ab eo leges acciperet, interim *Israëliitarum sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*; idest choreas ducere ut passim interpretes, & colligitur ex subsequentibus, ubi de *Moyse* dicitur: *Cumq; appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros.* *Hugo Cardinalis* illud *surrexerunt ludere*, dicit esse *vitulum adorare*, quasi idem esset chorea & Idololatria; sive cultus veneris an potius dæmonis? De hoc loquens *S. Ambrosius* aiebat: *Nemo, ut dixit quidam secularium doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. An quidquam est tam primum ad libidines, quàm inconditis motibus ea, quæ vel natura abscondit, vel disciplina velavit, membrorum operta nudare, ludere oculis, rotare cervicem, comam spargere? Quid ibi verecundie potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur?* Et tamen matres omnem occasionem quærunt ut filias suas ad saltus & choreas ducant, id humanitati, & bonis moribus tribuentes, per eiusmodi exercitia illas disposituræ ad futuras nuptias, & acquirendum tanto citius maritum; si innotescant, videantur

Exod. 35.

Hugo
Card. in
Exod.S. Amb.
lib. 3. de
virgin.

S. Ephrem.
in encom.
Psalmo.

tur comptæ, ornatae, agiles, promptæ, manu, pedibus, oculis, nutibus, risibus. O insana indulgentia! severius pronuntiat S. Ephrem dum inquit: *Ubi diabolicæ cantiones sunt, ibi ira Dei & ira: ubi tibiarum cantus & tripudia perstreperunt, ibi virorum pariter & mulierum sunt tenebræ, diabolique festum celebratur: sic fallit homines ad mala, tanquam ad bona facienda inducens.* Audistis choragi, saltatores, saltatrices? an potius Herodiades? tripudij & choreis *diaboli festum celebratur.* Et nunquid omnes magi & sagæ ad nocturna solent convenire tripudia & saltare in circum, è quo postea descendunt ad centrum? In hos planè videtur oculum conjecisse Isaias cum de Babylone loqueretur: *Pilosi saltabunt ibi, & respondunt ibi ulule in adibus eius, & syrenes in delubris voluptatis.* Chaldæus loco *Pilosi*, legit *dæmones*, nempe infernales Fauni & Satyri præsaltatores chorearum. Propterea monet sapiens: *Cum saltratrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne sortè pereas in efficacia illius.*

Isai. 23.

Ecli. 9.

VIII. Quodsi tamen alicui pedes pruriunt ad choreas, accedat: docebo quomodo sine offensa, imò cum magna Dei complacentia saltare possit. De Davide refert sacer textus cum reduceretur Arca in Jerusalem: *David saltabat totis viribus ante Dominum.* Sed quomodo? accinctus Ephod lineo, & percutiens in organis armigatis, idest ut Glossa habet ad armos ligatis, ubi Hugo Cardinalis *Canticum operi sociabat.* Canens Deo laudes subliebat in lætitiæ signum, & reiectis Regalibus ornamentis ephod lineo seu humili vestitu accinctus antecedebat arcam, quod nullam innuit levitatem, sed pietatem ac devotionem: quod utinam omnes imitarentur qui ad Encæniam conveniunt, non corporaliter sed spi-

1. Reg. 6.
26.

spiritualiter saltando: *Corporalis saltus* (inquit Richardus Victorinus) est totum corpus à terra suspendere: *spiritualis saltus*, spiritum, & totum quod spiritus est à terrenis alienare. Ita saltabat, quamvis extra Ecclesiam nonnihil etiam corporaliter subsilierit S. Elisabetha filia Regis Ungariæ, quæ adhuc puella cum cæteris ludens & quasi saltans sensim magis appropinquabat Ecclesiæ, & ante fores flexo genu procumbens subsiliebat spiritu canens Deo in jubilo. Nam & *David* & *omnis domus Israël* ducebant *arcam testamenti Domini in jubilo*, idest in læto orationis concentu, quod vel maximè præstandum nobis esset in Encænisi ac Dedicationibus Ecclesiarum.

IX. Ut verò melius intelligamus quid sit Domino canere in jubilo, advocemus alium textum scripturæ, & quidem verba ipsius Davidis: prædicat ille beatum populum qui noverit jubilarè, & in jubilo exultare, quasi conjungens saltum quendam spiritualem cum læto cantu: *Beatus populus qui scit jubilationem*. Hanc jubilationem ut clarius proponat subjungit: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt*. Notate quod non dicat solum Beatus vir, vel Beatus homo, sed *Beatus populus*, quo denotat pluralitatem, & conventum multorum, an potius concentum unanimum, ut sit jubilatio & oratio ad Deum quasi quoddam melos organi vel instrumenti musici, quod fieri certè non potest nisi concordés sint, & in idem conspiciant qui conveniunt: Pingit nonnemo Organum musicum ex pluribus fistulis compositum, per quod ut denotet concordiam alicuius communitatis addit lemma: *Conjunctæ suæ viæ*. Idem posses adscribere pluribus campanis in una turri Ecclesiæ pendentes.

Rich. Viã.
in Psal.
113.

Vitæ. lib.
I. c. 3^a

Ps. 88. v.
16.

Phil. Pic-
cinell.
Mondo
symbol.

dentibus quæ populum non tantum convocant, sed etiam concordie concentu admonent, quod sicut illæ *Conjuncte suarum* resonant, sic totius populi unanimis consensus ad concinendas laudes Deo, & concors voluntas in bonum tendens Deo magis placeat, quam si pauci ex illis orationi incumbant, cæteri verò se juncti aliud cogitent, aliud agant. Igitur *Beatus populus qui scit jubilationem*, quia per hanc facilius obtinetur à Deo quod petitur. Hinc Origenes explanans hunc locum ita differit: *Hic nescio quæ causa beatitudinis indicatur, ut universum pariter populum faciat beatum, qui tamen scierit jubilationem.* Et quærens quid sit scire jubilationem annectit: *Mihi videtur jubilatio indicare quandam concordie & unanimatis affectum: qui si incidat in duos vel tres Christi discipulos, omnia quæcunque petierint in nomine salvatoris, præstat eis Pater cælestis.* Hoc à fortiori evincit si tota communitas, si omnes ad solennitatem congregati, unanimiter Deum orent, & ut David inquit *ambulent in lumine vultus Dei, & in nomine eius exultent.* Quid est ambulare in lumine quàm fugere opera tenebrarum: quid est ambulare in lumine vultus Dei? quàm Deum semper habere sibi præsentem, & cavere ne offendantur. Quid est exultare in nomine eius, quàm spiritali lætitia subsilire desiderijs & cogitatione ad cælestia, Deum laudare & magnificare.

X. Qui hanc jubilationem benè didicerit, non quæret **TEMPLUM** extra **TEMPLUM**, non curabit choreas, ut litet Veneri, non accedet popinas ut sacrificet Baccho, sed firma fide habens Deum præ oculis in Dedicatione Ecclesie diruet omnia fana ac delubra vitiorum & dæmonis, cor &

ani-

Origen.
hom. 7. in
Josue.

animam suam Deo dedicabit, aut prius dedicatam, nova dedicatione consecrabit. Veteres Germani id habuerunt in more positum, ut pro magnis festiuitatibus peculiare haberent vestes, quas alio tempore non induerent, sed conservarent ut post obitum in ijs sepelirentur. Equum est ut eos imitemur, non dico in vestitu corporis, sed in ornamentis animæ: & tales in Dedicatione accedamus **TEMPLUM**, aut saltem in ipso **TEMPLO** nos exornemus virtutibus, & puritate conscientiæ, quales volumus inveniri in vitæ fine: Itaq; *venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis jubilemus ei.* Non dico veni Petre, veni Paule, veni Andrea, sed *venite* venite omnes qui huc advenistis. Voces nostræ unanimiter *Coniunctæ suæ* vivis personabunt, concors sensus nos efficiet viva Dei Tempa. Ut materiale Templum sit habitatio Dei necesse est, ut lapis lapidi coniungatur & intimè cohæreat: ut spirituale Templum confurgat, quod Deus dignetur inhabitare, oportet ut simus unanimes in jubilatione & laude divina, quia multi unum corpus sumus, unum Templum Dei efficiamus, & singuli seorsim animam debemus ei velut aram consecrare. Utinam ego hodie possem esse Amphion, qui *movit lapides canendo*, & vos e docerem in unitate spiritus efficere Deo verò Templum vivum! Præcipiebat olim Deus Moyfi: *Si altare lapideum feceris mihi, non edificabis illud ex sectis lapidibus.* In quem locum Isidorus Hispanensis: *Secti lapides hi sunt, qui unitatem scindunt; ac dividunt se ipsos à societate fraterna per odium vel schismata. Tales in corpore suo non recipit Christus.*

Exod. 21.
Isid. Hisp.
Isid.

*stus, cuius corporis figuram altaris illius constructio adumbrat. Qui in Dedicacione Ecclesie extra TEMPLUM sibi nova TEMPLA Idolorum erigunt, hos æstima ut lapides sectos, segregatos à reliquo Ecclesie corpore, quorum Deus venter est, quorum Deus Bacchus est, quorum Deus venus est &c. & gloria in confusione illorum. Nos autem jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis jubilemus ei Singuli dicamus licet alio sensu quàm Christus dixerit : *Hodie in domo tua oportet me manere.* Hoc dixit Christus ad Zachæum quando apud illum accepit diversorium : nos verò dicamus ad Christum Domine *Hodie in domo tua oportet me manere.* In templo tuo tibi dicam gloriam, nec aliud TEMPLUM extra TEMPLUM Tuum adibo. Tibi soli honor & gloria. Amen,*



DISCURSUS XXIX.

Tempore siccitatis & famis.

Gymnasium Thaumaturgum.

T H E M A.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ: Introibo in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. *Psal. 5.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|--|---|
| <p>I. Sapienter in publica necessitate concurritur ad Tempora que sunt Gymnasia Thaumaturga, & Deitatis schola in qua discimus mira efficere virtute orationis, sed tamen in timore, quia Deus voluntatem timentium se facit.</p> <p>II. Salomonis templum ex quinque causis adificatum est, quarum etiam una est, ut in defectu pluvie Deus oratur ut conservet & humectet fruges.</p> <p>III. Magna quippe calamitas est pluvie defectus sicut temporibus Achab quando Elias</p> | <p>clausit coelum. Hæc enim plerumque non casu sed ex voluntate Dei eveniunt.</p> <p>IV. Et immittuntur propter peccata, uti ipsi gentiles agnoverunt, apud quos erat Iupiter pluvius, & apud Indos dolium pluvie, & etiam defectum pluvie Pygalenses tribuerunt neglectis sacrificiis; oportet ergo ad supplicationes confugere in tali necessitate.</p> <p>V. Multa olim fuerunt siccitates, ut peccatores coercerentur. Nunc illam Deus mittit ut emendemur & illum timeamus: Montibus Gelboe pec-</p> |
|--|---|

catoribus David maledicit ne
pluat super illos.

VI. Consulam conscientiam an
simus nos causa presentis ma-
li & periculi, quia Deus eti-
am propter unum punit totum
populum, uti propter Davi-
dem, propter Achab, propter
Achan.

VII. Sed supponamus nos omnes
innocentes, forte idem nos pre-
mit siccitas ut Dei misericor-
diam imploremus, qui est im-
brium pincerna, & dat pluvi-
am cui vult, & fulgura seu
minas mutat in pluviam.

VIII. Pluvia secundum Philo-
sophos generatur cum sol at-
trahit humores e fluminibus
& lacubus, & in aere rur-
sum collectos decidere facit;

ad hoc & stella cooperantur
suo influxu. Vult Deus ad se
trahere nostros gemitus & su-
spira, & illa liquare in plu-
vias. Comportent Planeta seu
erratica sidera peccatorum su-
os singultus, & stella fixa seu
iusti, & sperandum bene, pra-
sertim si invocentur etiam
Sancti cum stelle firmamenti.

IX. Effundamus ergo corda no-
stra coram Deo ferventi ora-
tione, & solabitur Deus ari-
ditatem terra, ad quod iuva-
bunt sancti invocati, ut S.
Franca Virgo. S. Marcus E-
piscopus. S. Pamphilus Epi-
scopus. S. Donatus Episcopus,
& alij, si poeniteamus & ser-
venter petamus a Deo mise-
ricordiam.

Ego autem in multitudine misericordiae
 tuae : Introibo in domum tuam :
 adorabo ad templum sanctum tu-
 um in timore tuo. *Psal. 5.*

I.



Atis superq; vobis notum est AA:
 quare hodie ad hoc sanctum Tem-
 plum Dei frequentes convenerimus.
 Publica nos impulit necessitas : vide-
 tis campos exsiccari, pabulum ju-
 mentis deficere : agros exarescere,
 annonae caritatem, & o non etiam famem praesagi-
 re;

re; in hortis omnia languere, terram passim nimia siccitate hiare: deniq; universale quoddam malum exinde metuendum. Optimum suscepistis consilium; convenistis ad *Templum* quod est Domus Dei, domus orationis, refugium in necessitatibus; *Gymnasium Thaumaturgum*, sic enim appellatur, merito quia in eo ars miraculorum addiscitur, per quam iratum nobis Deum reconciliamus, obtinemus veniam, impetramus gratias, liberamur à periculis, protegimur ab hostibus, consequimur quod desideramus. Unde & *Deitatis schola* vocatur à Davide ab Augusta, quasi in eo nos Deus doceat, miracula divina exercere, & quæ humanis viribus videntur impossibilia, orationis virtute efficere. Videor ego mihi nunc videre vestrum singulos eo animo & intentione huc venisse, & cum Regio Pfalte dicere: *Ego autem in multitudine misericordie tue, introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Magna est misericordia Dei, & operatione eius plena est omnis terra: introivimus domum orationis, domum omnipotentiae, domum ceu officinam & *Gymnasium miraculorum*, ut adoremus in templo sancto, sed *in timore*, anxij inter spem & metum. Bonum est timere Deum, & cum timore eius auspiciari orationem; sed simul sperare quod Deus *voluntatem timentium se faciet.* Agite ergo ut cum fructu & utilitate oremus, præmittamus nonnulla ad orationem præludia seu præparatoria, seu potius indagemus cur nobis Deus immitat publicas calamitates, ut sciamus quomodo orare debeamus.

II. Quinque potissimum causas invenio propter quas Salomon Templum Domino ædificavit,

*Celada in
Tob. 5.*

305.

*Vega in
Judic. 5.*

104.

Naxera

c. 6. in

Iosue n.

126.

David ab

Aug. In-

form. no-

vii. cap.

37.

Psal. 5.

2. Paral.
6 v. 21.

uti ipsemet innuit oratione illa publica in Templi Dedicatione. Prima est generalis expressa illis verbis: *Ut invocaretur nomen tuum, & exaudias preces famuli tui Israël.* Ex hoc loco ut observat Hugo Cardinalis sumpta est oratio Ecclesiæ Catholicæ quæ dicitur in Dedicatione: *Præsta quesumus, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse letetur.* Altera est specialis, pro ijs qui veritatem juramento firmare solebant etiam adhibita execratione, si aliter probare non possent: quod apud Judæos consuetum fuit, ut ait Salomon: *Si*

Ib. v. 27.

peccaverit quispiam in proximum suum, & jurare contra eum paratus venerit seque maledicto constrinxerit coram altari, in domo ista, tu exaudies de cælo, & facies judicium. Tertia mox sequitur: *Si clauso cælo pluvia non fluxerit propter peccata populi, & deprecati te fuerint in loco isto &c. exaudi de cælo domine &c. & da pluviam terræ quam dedisti populo ad possidendum.* Additur quarta plura complectens: *Fames si orta fuerit in terra & pestilentia, ærugo, & aurugo, & locusta*

Ib. v. 26.
& seqq.

& bruchus. Et denique quinta hæc est: *Si hostes vastatis regionibus portas obsederint civitatis, omnisque plaga & infirmitas presserit. &c. tu exaudies de cælo.*

Ib. v. 28.

His de causis templum se ædificasse asserit Salomon, qui etiam postmodum adjungit, ut si populus exiret ad bellum, ubicunque bellandum esset, ad eam partem oraturus se converteret in qua Templum ædificatum est. Textus profectò plenus mysterijs ac doctrinis, ex quo nobis suggeritur certa & compendiosa ars obtinendi quicquid à Deo petierimus. Ut cætera nunc præteream: de pluvia quam desideramus loquar, ex cuius defectu sine dubio metuenda est fames, gravissimum malum,

Ib. v. 29.

ut

ut eanā Menander *Fames maximus dolor hominibus est.*

Menand.
ap. Lang.

III. Quid putatis qualis fuerit status & calamitas in regno Israël temporibus impij Regis Achab, quando *Elias oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex.*

Iac. 5. v.
17.

Prout scilicet ipse prædixerat: *Vivit Dominus Deus*

3. Reg. 17.

Israël; in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi iuxta oris mei verba. Orta inde est ingens annonæ caritas, & fames per omnem regionem, ita

ut vidua Sareptana cum amplius non haberet quam pugillum farinæ in hydria, factura exinde

1b. v. 12.

panem dixerit ad Eliam: *En colligo duo ligna, ut ingrediatur, & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur.* Et verosimile est plurimos eo tempore

egenos, & pauperes, in summa rerum penuria fame & inedia periisse. Lamentamur nos quod per dies aliquot vel hebdomadas non pluerit, quod videamus fruges pessum ire, & à longe solum prospectamus vel metuimus famem: quid si toto triennio (uti tunc sub Achab) non plueret? Et quid si magis nos de facto meremur quam Israëlita? Aut putatis forsitan hæc casu evenire, ut per longum tempus nulla pluvia, nullus ros decidat? Non negaverim subinde nonnulla istiusmodi à causis naturalibus pendere, sed qui author naturæ est, solet causis naturalibus uti ad castiganda peccata populorum, & potest etiam infringere naturæ leges, ut si juxta rerum cursum fortè esse deberet siccitas, ipse tamen ex infinita sua misericordia terram humectet ac salubri pluvia fœcundet.

IV. Certè quod siccitatem, pluviae defectum, famem, pestilentiam, & plura eiusmodi mala De-

Alex. ab
Alex. lib.
4. c. 16.

Pausan. in
Arcad.

Levit. 26.
v. 3.

2. Paral.
7.

us plerumque immittat propter peccata & scelera ipsi quoque gentiles Idololatræ agnoverunt, qui ob id supplicationes suas & sacrificia putatis Dijs sollicitè peragebant. Athenis fuit simulacrum Terræ pluviam à Jove petentis, cuius etiam ara in monte Hymetto visebatur, quem Himerion, quasi Jovem pluvium appellabant. Apud Indos, ut refert Apollonius, fuisse fertur dolium, quo aperto in defectu aquarum nebulæ emittebantur, quæ totam Indiam imbris humectabant. Romani immolabant rufas canes ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum, præsertim cum terra siccitate premeretur. Pygalenses Arcades cum Cereris sacra intermisissent crudeli fame vexati, ex Pythiæ oraculo, novum Cereri signum fecerunt, & sacra magnificentius instaurarunt. Quid nos Christianos, par est facere, qui Dei verbo edocti minimè dubitare possumus publicas calamitates plerumque immitti propter peccata. In Levitico pollicitus est Deus: *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum.* Et Salomoni cum templum dedicasset pari ratione promissit Deus ante omnia: *Si clausero cælum, & pluvia non fluxerit, & manda-vero & præcepero locustæ ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: conversus autem populus meus deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs suis pessimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Nihil dubitemus publicas calamitates immitti nobis à Deo quia non servamus mandata eius, quia meremur castigari. Eo solum convertenda est omnis cogitatio

nostra, quomodo iram Dei placemus, quomodo negatam pluviam & terræ fertilitatem impetremus.

V. Anno 1135. tanta fuit in Germania siccitas, ut Rhenus vastus alioqui, & profundus fluvius transuadari potuerit ut testatur Chronicon Colonien- se: in Gallia etiam eodem tempore fontes exsiccatos, ut multi perierint siti, referunt multi authores. Idem accidisse in Polonia Anno 1473. & in Thracia anno decimosexto Constantini Copronymi, & sub Michaële Palæologo, & alias sæpè produnt antiqui annales. Causam inquirete: suggerent historici. Hoc satis in rem præsentem: Deus est: *Qui aperit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam.* Deus est, qui claudit cœlum, qui negat imbrem, ut insolentiam peccatorum coërceat, ut qui sua malitia ab eo recesserunt, minis & terroribus reducantur. Minatur nunc famem dum negat pluviam, non vult nos perdere, sed emendare; vult ut se timeamus. *Timenti Dominum non occurrent mala.* Pluvia est donum Dei gratuitum & voluntarium: unde canit Psalmista: *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tue.* Quasi diceret, uti obiervat Incognitus adhunc locum: pluvia dependet à mea voluntate, quam hæreditati meæ idest justis seposui; non iniquis, non inimicis: hæreditati meæ qui per gratiam sunt mei filij adoptivi. Montibus in quibus ceciderant Saul & Jonathas maledicens David aiebat: *Montes Gelboë nec ros nec pluvia veniant super vos.* Quæ à literali ad mysticum sensum flectens Hugo Cardinalis: *Gelboë interpretatur decursus, & significat superba Judæorum corda.* Deinde adjungit: *Pro peccatis eorum ibi ceciderunt sortes: &*
Dom. Pars II. E e e ita

Chron. Colon. Sigeb. Contin. Mart. Polon. Vincent. Bellow. Paul. Diac. Sigebert. Cedreus.

Psal. 146.

Eccli. 37.

Psal. 67.

2. Reg. 1.

Hugo Card. in 2. Reg.

Psal. 106.

ita punitur terra propter possessores. Quod etiam Psal-
mista insinuat cum ait : *Posuisti terram fructiferam in*
salsuginem, à malitia inhabitantium in tea. Divinate
vos ipsi, an forte nunc Deus posueri terram no-
stram in siccitatem à malitia inhabitantium in ea,
annon puniat terram propter possessores.

VI. Quisq; consulat conscientiam suam, & co-
gitet malum commune ita esse commune, ut sin-
gulos feriat. In fame, peste, bello, nullus unquam
securus est, quia mala hæc plerunq; ad omnes &
singulos extenduntur, saltem periculo. Quisq; in
quam consulat suam conscientiam & cogitet :
Nunquid ego sum qui peccavi qui hoc flagellum
promerui ? Fortè Deus propter me solum totam
regionem punit. Sæpè unius hominis peccatum in
omnem latè viciniam diffundit pœnam & vindi-
ctam Dei. Peccavit David numerando populum,
& Deus ei dat optionem pœnæ, vel famem per sep-
tennium, vel bellum trium mensium, vel pestilen-
tiam & *mortui sunt septuaginta millia virorum.* Pec-
cavit Achab, & Deus continuavit pluvias in tota ter-
ra Israël tribus annis ac tribus mensibus qua de cau-
sa ? Eliam audite loquentem ad Achab : *Non ego*
turbavi Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquit-
stis mandata Domini, & secuti estis Baalim. Peccavit
solus Achan filius Zare clam tollendo partem de
spolijs & anathemate contra mandatum Domini,
& universus Israël ob id punitur dicente Deo :
Non poterit Israël stare ante hostes suos, eosq; fugiet,
quia pollutus est anathemate. Quis novit annon unus
aliquis è nobis in templo hoc præsentibus occulto
aliquo peccato Deum movit ad universalem hanc
calamitatem quam patimur, cuius fortè pœniten-
tiam

2. Reg. 24.

3. Reg. 18.

Josuc. 7.
v. 12.

tiam expectat Deus ut iterum misereatur nostri? Quisq; sibi tribuat, quisq; poeniteat & benè speret pro omnibus : quisq; dicat : Ego sum filius prodigus quem siccitas & metuenda exinde fames compellere debet ut revertar ad Patrem meum. Ego sum David pro quo omnis populus periclitatur : Ego sum Achon propter quem totus Israël patitur. O Pater misericordiarum : peccavi in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus : *Exaudi de cœlo Domine, & dimitte peccata servo tuo, & da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo.*

2. Paral.
6.

VII. Verum supponam nunc vos omnes innocentes, nullum reum : quid putatis subesse causæ tantæ tam diuturnæ siccitatis, & periculi ne fruges pessum eant, subsequatur magna rerum inopia, & fames? suggerit mihi unam aliam causam sapiens cum ait : *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis : quasi nubes pluvie in tempore siccitatis.* Quæ libet componere cum illis Psalmistæ Regij verbis : *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Nimirum quando tribulamur, quando occurrunt nobis adversa, magis recordamur Dei, respicimus ad eius misericordiam, & beneficium consecuti honorificamus eum, neque unquam nobis tam speciosâ tam grata est eius miseratio, quàm cum è magna miseria & afflictione nos liberat : gratior est solis splendor post nubila, sanitatis bonum nescimus æstimare, nisi post gravem ægritudinem : pacis gaudia melius delibamus post bella. Deum vocat S. Basilus Seleuciensis *imbrium pincernam*, qui scilicet nobis imbres & pluvias ad mensuram porrigit, sed non porrigit nisi rogetur. Vult ut oremus : vult ut ad eius misericordiam

Ecclesi. 35.
v. 26.

Psal. 46.

S. Aug. in
Psal. 134.

diam recurramus. Minatur sicut bonus Pater filijs si quandoque videat non nihil dissolvi & petulcire, sed per minas aliud non intendit, quam ut clamemus *miserere Pater*. Ad illa verba Psaltis *Fulgura in pluviam fecit*. Commentatur S. Augustinus: *Minas ad misericordiam flexit. Cum pœnitendo corrigeris, & agnoscis hoc misericordia fieri, in pluviam vertitur fulguris terror*. Quid nunc aliud cernimus quam minas fulgurantes, æstum, ardorem, nimiam siccitatem; sed hæ sunt minæ paternæ, fortè nimium eius indulgentia abusi sumus, fortè minus eum coluimus; vult nos corripere ut Pater filios, si modo accurramus filiali teneritudine, & imploremus eius misericordiam: imò vult nobis per hoc dare occasionem exercendi artem miraculorum in *GYMNASIO Thaumaturgo*, in eius templo.

Avist. Meteor. l. 2.

VIII. Dicite quæso Philosophi quomodo generetur pluvia, ut sciamus artem, si quomodo eam possimus producere miraculosè. Juxta placitum vestri Principis Stagyræi dicetis pluviam hoc modo generari. Sol attrahit suo calore è mari, fluminibus, stagnis & lacubus vapores quos exhalant dum calefiunt: hi vapores cum sint humidi in aëre frigido iterum condensantur in nubes, imbres, pluvias. Si adsit magna eiusmodi vaporum copia fit nubes fœcunda & gravis, quæ paulatim superno calore soluta pluviam generat. cuius guttæ si sint paucæ & parvæ, Imber decedit qui citò transit; si verò sint multæ & magnæ, pluvia dicitur. Ita quidem vos sentitis, & applaudit vobis Rupertus Abbas Tuitiensis ad illa Psalms: *Qui ponit nubem ascensum tuum*. Sic differens: *Tunc enim ponit nubem ascensum suum, quando ad temperandum cœli ser-*

Rup. Abb.
lib. 1. in
Gen. c. 26.

vorem aque de mari, seu de fluminibus, stagnis & paludibus exhalatæ glomerantur, atque flabris ventorum iterum in terram per concretas pluvie guttas deferuntur. Sed & vos Astronomi sensum hic vestrum adjungite, quam vos censeatis causam pluvie efficientem. Utique respicietis ad Planetas & varios aspectus stellarum. Nam asseritis venerem esse pluviosam inter Planetas, atverò inter stellas fixas Arcturum, Orionem, Pleiades, Hyades, Delphinum. Asseritis etiam, quod in annua revolutione Mars in Scorpione, Venus, Mercurius, & Luna in signis humidis, similiter Saturnus & Luna se aspicientes in signis humidis, Luna cum Mercurio vel Venere; Venus in quocunq; aspectu Saturni, Solis, aut Martis: eiusdem Veneris aut Martis transitus per Pleiades, matutinus ortus Arcturi; Sol occidens cum Pleiadibus, Saturnus aut Venus occidens cum Pleiadibus, vel Hyadibus, vel Orione, vel Arcturo &c. portendant pluvias. Et quidem his patrociniatur scriptura & Patres: Job ait: *Qui aufert stillas pluvie, & effundit imbres*, uti vulgata lectio habet: S. Gregorius verò & Hugo Cardinalis legunt *Qui aufert stillas pluvie*, ubi Gregorius *In cœli facie aliæ stellæ prodeunt, quas nullæ pluvie subsequuntur, & aliæ prodeunt, quæ aventem terram magnis imbris infundunt*. Acquiescò utriq; doctrinæ, & novam inde pro nobis doctrinam elicio.

IX. Generatur igitur pluvia in terra, & sursum sublevata calore solis, iterum demittitur, & fœcundat agros, hortos, campos, sylvas, quod miratus Plinius aiebat: *Pluvie cadentes omnium nascentium causa sunt, prorsus mirabilis natura, si quis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores fructesq; vivant; in cœlum migrare aquas, animamq; etiam inde vi-*

*Job. 36.
S. Greg.
lib. 30.
moral.
c. 5.
Hugo
Cardin.
in Job.*

*Plin. lib.
31. hist.
nat. c. 1.*

talem deferre. Sapientissima hæc Dei Oeconomia est, qua nos docet, de nostro suppeditare quo nobis rursus beneficiat. Premuntur nunc arva nostra, agri, campi, horti siccitate, agite comportate aquas & soli divino obijcite, ut elevatæ in cœlum sæcunda ubertate solvantur in pluvias. *Aque multe populi multi.* Simul congregati dicamus cum Davide *sicut aqua effusus sum.* Sed quomodo? docet nos Jeremias: *Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini:* idest ex intimo cordis affectu, cum vera humilitate ac devotione deprecare Dominum, pete veniam delictorum, pete misericordiam. Ille inquit S. Hieronymus: *effundit sicut aquam cor suum ante conspectum Domini, qui ex intimo affectu cordis producit lacrymas compunctionis.* Oratione ferventi gemitus & suspiria nostra feruntur in altum in conspectum Domini, & ibi liquantur in pluvias salutares. Oratione impetravit pluviam Elias. Oratione impetravit pluviam M. Aurelio Imperatori Legio Christiana quæ in Austria contra Maromannos præliabatur, dicta postmodum Legio Fulminatrix oratione si serena, si fervens, si constans, si cum proposito emendationis vitæ à nobis peracta fuerit speremus omnino effecturos nos ut misericors Deus comminatum flagellum à nobis avertat, & abundantiam imbri soletur terræ nostræ ariditatem. Ut verò tanto efficacior oratio sit, desidero ut se Planetæ jungant stellis fixis & faciant bonam constellationem. Planetas voco errantia sydera peccatores, hi cum firmo emendationis proposito unanimiter cum stellis fixis cum justis deprecantur Dominum, & implorent eius misericordiam: sed & respiciant ad stellas in firmamen-

to,

*Apoc. 17.
Psal. 21.
Thren. 2.
v. 19.*

*S. Hieron.
in Hierem.*

to, quæ sunt ex mente SS. Patrum, sancti Dei, qui lucent in perpetuas æternitates & sua intercessione nos adjuvant. S. Franca Ordinis Cisterciensis non semel Placentinis in siccitate invocata pluviam à Deo impetravit. S. Marcus Episcopus suis Atinensibus cum iam multi propter nimiam siccitatem, & ex ardore orta passim incendia suspicarentur adesse diem judicij. S. Pamphilus Episcopus Sulmonensis à populo invocatus tempore siccitatis cum & ingens annonæ caritas, & pestilentia cœpisset grassari, territorium suæ diœcesis uberrima pluvia solatus est. S. Donatus Euroæ in Epiro Episcopus rogatus à Theodosio magno, cum fata & fruges ingenti æstu penè exurerentur, ut pluviam à Deo peteret: petijt & copiosam mox impetravit. Hos una nobiscum adhibeamus intercessores, & oremus misericordem Dominum, ut clementiæ suæ oculis respiciat patriam nostram, mittat de cælo sancto suo optatam pluviam, quæ ariditatem terræ exhilaret, & nos afflictos consoletur. Procidamus ergo ante Dominum & uno corde oremus. Misericordissime Deus, qui dixisti, *si clausero cælum & pluvia non fluxerit: conversus autem populus meus deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs suis pessimis: & ego exaudiam de cælo, & propitijs ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Ecce Domine nunc pœnitentiam agimus: *Peccavimus, iniquè egimus; pollicemur emendationem.* Misere Domine, qui misertus es populi tui Israël, & fac nobis secundum verbum tuum. *Ut congruentem pluviam fidelibus concedere digneris. Te rogamus audi nos. Riga montes de superioribus tuis, & de fructu operum tuorum satiabitur terra.* Misere Domine,

Bolland.
Cont. 25.
April.

Idem 28.
April.
Ibid. ead.
die.

2. Paral. 7.

Ex Rituali

ne miserere Clementissime Deus in quo vivimus, movemur & sumus, & pluviam nobis tribue salutarem; & aridam terræ faciem fluentis cælestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum: per sanctissimam matrem tuam: per intercessionem sanctorum tuorum quos sapius exaudisti. Miserere Domine, miserere.



DISCURSUS XXX.

Tempore Belli.

Trophæum Vocale.

T H E M A.

Timete Dominum, & servite ei perfecto corde. *Josue 24.*

S Y N O P S I S.

- I. Triumphum canere ante victoriam videtur temerarium, est tamen genus Trophæi quod erigi potest ante victoriam cum spe certa victoria.
- II. Uti scire victoria optimè is novit, qui Deum pietate sibi conciliat. Statua Martis apud saxones certam victoriam pollicebatur venerantibus, id longè certissimum est de vero Deo, unde licet erigere Trophæum ante pugnam.
- III. Victoria ab antiquis pingebatur alata, palmas & lauros manu gestans, & innixa Trophæis, quam ferè expressit Moyses orans dum pugnaret populus contra Amalecitas: sic enim erigebat TROPHÆUM vocale, orando vincebat.
- IV. Palma dicitur arbor & manus, quia manibus in cælum elevatis palme victoriarum obtinentur, hinc in cælo san-

Et cum palmis, & cum phialis plenis odoramentorum videntur à Ioanne, quia orationibus vicerunt.

V. Abias Rex Iuda oratione ante pugnam erexit TROPHÆUM quasi iam certus de victoria, & vicit hostes dum clamavit ad Dominum.

VI. Asa eius filius eodem TROPHÆO vocali ad internecionem deleuit decies centena milia.

VII. S. Anianus Episcopus Anrelianensis oratione Attilam Hunnorum Regem ab urbis insultu repulit. Otto Imperator cum paucis contra multos rebelles pugnans oratione triumphavit.

VIII. Teutonici milites oratione mirabiliter ingentem Mo-

schorum exercitum deleverunt. Venetias ab excidio oratione liberat S. Laurentius Iustinianus: verè belli TROPHÆUM oratio est.

IX. Et si tam potens est unius iusti oratio, quanto magis multorum unanimes: per hanc sanè licet exercere prodigia.

X. Iusti etiam obtenta victoria Trophæum vocale Deo solent erigere, ut mereantur nova, nos imitemur Regem Josaphat erigendo nunc Trophæum vocale orationis, & cum consecuti fuerimus quod petimus, erigamus etiam Trophæum vocale laudis & gratiarum actionis. Semper tamen timeamus Dominum & serviamus ei perfecto corde.

Timeate Dominum, & servite ei perfecto corde. *Josue. 24.*

I.



Triumphum canerè ante victoriam, nemo non temerarium esse pronuntiat. Anceps semper est belli alea; etiam cum videretur profligatus hostis sæpè victor evasit, & actus in fugam collectis repente viribus persequenti adversario lauros extorsit. Alata est victoria, advolat sed & revolat; nec firma consistit, nisi toto hoste deleto aut in deditonem accepto. Quis

nunc armorum status sit ipsi nostis, quàm fortes adversarij, quàm assueti vincere, quibus licet magnas opposueris vires, sumus tamen semper in periculo, & non licet Triumphum canere ante victoriam. Ego tamen, si parati estis obsequi sano consilio, *Tropheum* vobis erigam ante victoriam, quasi certum prænuntium & prognosticum vincendorum hostium, & quidem TROPHÆUM VOCALE, quod ut intelligatis præfens discursus attentionem vestram desiderat.

II. Inter cœtera Polemicorum scita etiam illud est: *Scire uti victoria*. Hoc Julius Cæsar animadvertit in adversario suo Pompeio, qui cum ob-
tenta contra Cæsarem victoria, se illicò ad exercitum recepisset, non uti poterat victoriam profectus est. Tunc Cæsar ad suos: Hodie quidem penes hostes erat victoria, sed non habent Ducem, qui victoria sciret uti. Quid verò est scire uti victoria? relinquo arti bellicæ sua principia: illud tamen hæret infixum animo, & optarem omnibus altè demitti in pectus, quod filio suo Alphonso Rex Aragoniæ, cum in Florentinos moveret, documentum dedit: *Victoria mihi crede, non hominum disciplinis, aut industria paratur, sed Dei optimi maximi benignitate & arbitrio. Scientia rei militaris ita demum profutura est, si Deum nobis pietate atq; innocentia pacatum propitiūq; habuerimus*. Non sunt intermittendæ humanæ industriæ, sed fundamentum omnium est habere Deum propitiū, à quo omnis successus & victoria pendet. Velit Deus, pauci innumeros fugant: nolit Deus, multi à paucis profligantur. Ut autem Deus velit placandus & exorandus est. Veteres Saxones statuam habuisse traduntur dictam Irmiasul, quasi

Heer-

Plut. in
Rom. a-
popht.

Panormit.
lib. 3. de
reb. Alph.
cap. 51.

Heermannsaül sive Columnam Campiductoris Martis, cui adscriptum erat: *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor venerantibus.* Id longè verius de vero Deo intellexeris, qui ritè exoratus victoriam certam pollicetur venerantibus. Atq; adeò devota ac fervens ad Deum oratio quasi certos nos potest reddere de victoria, & Triumphum canere ante victoriam, TROPHÆUM erigere ante pugnam.

III. Repræsentarunt antiqui victoriam, uti videre licet in numismatibus, velut Virginem alatam quæ tenebat manu dextra Cornucopiæ, sinistra verò ramum palmæ; sic cudebat in suis nummis Domitianus. Vel virginem alatam, quæ tenebat una manu Palmæ ramum, altera Coronam uti in nummis Octavij. Vel Virginem alatam, quæ tenebat una manu Palmam, altera laureum fertum, uti in nummis Titi. Alij pinxerunt eam ad instar Angeli alati sedentem supra spolia inimicorum, cum Palma & scuto in manibus, ad *Trophæum* inclinatam, prout eam describit Claudianus:

*Ipsa Duci sacras victoria panderet alas,
Et palma viridi gaudens, & amica TROPHÆIS,
Custos Imperij Virgo.*

Ripa. I.
conol. lib.
3.

Claud.

Revocat mihi hæc figura in memoriam Moysen Israëlitiçi populi Ducem pugnans adversus Amalec, & victoriæ TROPHÆA erigentem in monte, dum interim Josue cum electis staret in acie. *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Manus extensæ instar alarum sunt, atque adeò in ipsa pugna Moyses extendens manus quasi volantem repræsentabat victoriam amicam TROPHÆIS. Quod

Exod. 17.
v. 8.

Philo Hebr. lib. I. de vita Moysis.

Vegs. in Ind. c. I. vers. I. §. 10.

S. Greg. Naz. orat. I. de pace.

videtur innuisse Philo Hebræus agens de hoc Moy-
 sis certamine cum Amalecitis : *Cum igitur aliquanti-
 sper manus bilancis in morem nunc sursum tollerentur ,
 nunc deorsum vergerent , certareturque Marte dubio :
 tandem repente velut pinnas habentes pro digitis , subla-
 ta volitabant per aërem manentes in sublimi donec He-
 bræis certa victoria contigit.* Ad quæ oportune ad-
 jungit bonus author : *Quasi manuum in altum exten-
 sio nihil aliud esset quam labarum explicare , & in altum
 attollere ac TROPHÆUM erigere , & PAL-
 MAM reportare.* Certè Augustus Imperator non
 aliter exprimi voluit victoriã quàm expansis alis, ge-
 stantem una manu *Palma* aut *Lauream*, altera ve-
 rò *labarum*. Ut proinde meritò dixeris orationem
 ferventem ad Deum , esse non solum pugnam
 contra hostes , sed ipsam victoriam , & *TRO-
 PHÆUM* vocale. Fallor nisi & S. Gregorius Na-
 zianzenus huc respexit cum diceret : *Pugnantibus
 manuum extensio innumerabilium copiarum instar erat,
 orationis opera TROPHÆA erigens.* Ecce victori-
 am certam in ipsa pugna, ecce *TROPHÆUM VO-
 CALE* ante finem certaminis.

IV. Opto à vobis scire Grammatici cur Pal-
 ma non tantum volam manus seu manum, quàm
 arborem significet, & uno nomine tam propriè di-
 catur manus, quàm arbor victoriæ sacra. Dicetis
 quia Palma arbor similitudinem habet manus : ha-
 bet enim comam in cacumine circum extensam, &
 ramos in digitorum modum protensos. Sed cur vi-
 ctoriæ sacra Palma, quæ manui assimilatur ? nem-
 pe quia manibus utendum est volenti adipisci vi-
 ctoriam. Ita prorsus : sed putem ego citius manus
 in altum protensas quàm gladio armatas extorque-
 re

re triumphos, quia *Victoria paratur Dei Opt. Max. benignitate & arbitrio*. Et longè facilius acclamatur victor, qui

- - - *duplices tendens ad sydera palmas.*

Æneid. 1.

feruenti oratione Deum deprecatur, quàm qui ambidexter gladium vibrat, tela jacit in hostem.

Id me docuit sapiens amator cum de sponsa caneret: *Statura tua assimilata est palmæ*. Ubi observat

Cant. 7.

v. 7.

Paraphrastes Chaldæus: *Quando Sacerdotes tui extendunt manus suas in oratione, similes sunt digiti manuum eorum extenti ramis Palmarum, ac statura est sicut Palma*, quasi breviter diceret: oratio *Palma* reportat: si vis vincere hostes ora. Rursum alibi Salomon ait: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi?* ubi Hebræus Codex pro *virgula fumi*,

Cant. 3.

v. 6.

reponit *Palma fumi*, quasi idem esset ascendens fumus & *Palma*. Sancti Patres & Interpretes passim orationes comparant odorato fumo ascendenti in altum. Vult ergo innuere Salomon orationes justorum ascendere instar virgulæ, instar *Palme fumi*, idest victoriam tam de visibilibus quàm invisibilibus hostibus certam polliceri, & esse *TROPHÆUM vocale*, victoriam ante victoriam. Ex hoc loco etiam occurritur dubitationi cur Joannes in Apocalypsi videns in cælo Beatos, alios habentes *Palmas* in manibus, alios verò phialas plenas odoramentorum. *Vidi turbam magnam &c. & Palme in manibus eorum. Et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli Citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes sanctorum.* Quod Martyres obtinuerunt patièdo, hoc cæteri sancti orando, utriq; vicerunt, illi visibilem, isti invisibilem hostem, & quod illis sunt *Palme in manibus,*

Apoc. 7.

v. 9.

Apoc. 5.

v. 8.

bis, hoc istis sunt *phiale auree plene* odoramentorum ascendentis PALMÆ fumi seu orationum. Est igitur oratio quædam Palma anticipans victoriam, & *TROPHÆUM* vocale quod in ipso certamine erigitur, & certam pollicetur victoriam.

4. Reg. 6.

Num 9.

2. Paral.

13.

V. Non producam vobis hodie Elisæum orantem; & oratione sua innumerabilem Syrorum multitudinem in fugam agentem. Non Juditham de Holoferne per orationem triumphantem, & *TROPHÆA* erigentem: non munitam urbem Jericho ad vocem populi orantis solo æquatam. Hæc alias à me audivistis, Abiam Regem Juda contemplemini quomodo in acie consistat contra Jeroboam Regem Israël. Stabat geminus exercitus ex opposito. Erant Regis Juda quadringenta millia electorum; Regis Israël octingenta millia. Conscendit Rex Juda montem & plenus fiduciæ in Deum obijcit Israëlitis perfidiam & idololatriam, de suis affirmans: *nos custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. Ergo in exercitu nostro Dux Deus est.* Optima consequentia *custodimus præcepta Domini: ERGO in exercitu nostro Dux Deus est.* Refleçtite mentem ad thema sermonis præsentis: *Time Dominum & servite ei perfecto corde.* Tam fidenter Abias hæc loquitur, quasi iam certus & securus de victoria, tametsi in exercitu suo dimidio minus numeraret quam adversarius Jeroboam. Et volens parcere inimicorum stragi, & vitare profusionem cognati sanguinis, clamavit insuper ad exercitum hostilem: *Filij Israël nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum quia non vobis expedit.* Clementis Regis erat hæc monitio, sed quid addit sacer Textus? *Hæc illo loquente Jeroboam retro moliebatur*

*batur infidias: cū quo ex aduerso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu. Quis hic non desperasset victoriam? quis non exclamasset, actum est de salute Judæ, de exercitu Regis Abiæ, undique conclusi sunt, nec unus poterit evadere, victoriam habet in manu Jeroboam, octingentis millibus vallavit per circuitum quadringenta millia, quæ mox sub ferrum mittet. Verum victoria non hominum disciplinis aut industria paratur, sed Dei opt. max. benignitate & arbitrio. Constrictus, circumvallatus, conclusus in medio hostium Judæ Rex Abias cum suo exercitu, in extremo periculo erigit **TROPHÆUM**, sed *Vocale*. Subjungit enim sacra pagina: *Respiciensque Judas vidit instare bellum ex aduerso & post tergum, & CLAMAVIT AD DOMINUM*. Sacerdotes quoque tubis canere cœperunt, & totus exercitus orans vociferatus est. Quid porrò? *Et ecce illis CLAMANTIBUS, perterruit Deus Jeroboam, & omnem Israël, qui stabant ex aduerso Abia & Juda. Fugeruntque filij Israël, Judam, & tradidit eos Deus in manus eorum: & corruerunt vulnerati ex Israël quingenta millia virorum fortium*. Admiranda victoria, sed quæ orationibus à Deo impetrata est, cui ante pugnam erectum **TROPHÆUM** *Vocale oratio*. Dum clamat Rex & conclamat exercitus idest orat. vincit.*

VI. Eandem virtutem orationis expertus est Abiæ filius & in regno successor Asa. Cū enim Zara Æthiops contra eum venisset cum exercitu decies centum millium, & curribus trecentis: opposuit illi quidem Asa de Juda trecenta millia, & de Benjamin inducenta octoginta millia, longè tamen inferior fuit hic numerus comparatus
ho-

hostili, nihilominus quia sciebat quod à Deo exercituum victoria pendeat: *Asa perrexit obviam ei.* (Zaræ) & *instruxit aciem ad bellum, & invocavit Dominum Deum.* Audite orantem Regem, & una cum ipso in præfenti necessitate ferventer orate: *Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxili-eris, an in pluribus: adjuva nos Domine Deus noster: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo.* Ita oravit Asa, & prælium auspicatus cum erexisset **TROPHÆUM** vocale, illicò etiam erexit **TROPHÆUM** è spolijs hostium. Nam subjungit sacer Textus nullâ factâ mentione pugnæ *Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa & Juda: fugeruntque Æthiopes. Et persecutus est eos Asa, & populus qui cum eo erat usque Gerara: & ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt.* Notate verba: *Exterruit itaque*, quæ consequentia? orat Asa: *adjuva nos Domine*, & textus subjungit: *Exterruit itaque Dominus.* Optima profectò consequentia & illatio infallibilis: orat afflictus, ergo Deus præstat quod ille orat. Notate iterum *quia Domino cædente contriti sunt*: ne credatis **TROPHÆA** erigi humanis viribus, sed homines applicare manus, Deum verò **PALMAS** concedere, quia *victoria non hominum disciplinis aut industria paratur, sed Dei Opt. Max. benignitate & arbitrio.*

VII. Vultis idem vobis ostendam eventibus recentioribus. Plena sunt his omnium historico-rum Sacro-profanorum volumina, ut vix aliqua insignis victoria deprehendi possit, quæ non orationibus debeatur. Magno impetu arietum quatiebatur-

2. Paral.
14. v. 12.

urbem Aurelianensem in Gallijs Attila Hunnorum Rex, cum Anianus urbis eius Episcopus consternatum populum ad orationem ferventem hortatus in Dei auxilio iussit confidere, & auxilium desuper implorare. Orantibus ergo illis misit qui de muro civitatis prospiceret utrum auxilium aliquod adveniret, sperabat enim adventum Aëtij Magistri militum & Theodorici Gothorum Regis. Aspicientes tunc nihil viderunt. Et ille: Orate inquit instanter quia Dominus liberabit nos hodie, rursus orantibus, aspice ait an succursus adveniat, sed adhuc nihil videbatur. Et tertio ad illos conversus: Orate, si fideliter petitis, Deus velociter adest. Qui iterum cum fletu & eiulatu magno Domini misericordiam implorabant, & oratione finita, juxta Episcopi imperium extra urbem prospicientes viderunt à longe quasi parvam nubem de terra consurgere. Quod audiens Anianus exclamavit: Auxilium Domini est. Et ecce Aëtius & Theodoricus Gothorum Rex magnis instructi copijs adfuerunt, & hostem iam iam irrupturum in urbem procul inde submoverunt, ut testatur Gregorius Turonensis. Anno 938. Otto Imperator contra rebelles pugnans cum pars copiarum transisset Rhenum, subito accurrentem hostem aggredi coacta est, reliqua cum Imperatore ab altera ripæ parte dubium eventum expectabat. Et cum ab humanis viribus paucorum contra multos non speraretur victoria, Otto ab eoque descendens cum lacrymis se prostravit & è caelo auxilium coepit petere. Quantum justii viri oratio tunc valeret, probavit eventus. Nam eo orante hostes in fugam acti ne causam quidem scive-

Dom. Pars II.

Ggg

runt

Greg. Turon. lib. 2. cap. 8. bish. Franc.

Luttprand: lib. 4. c. 11. Witi-chind. Saxo ad ant. prafa. 938.

runt cur fugerent, nullo ex parte Ottoniana seu cæso seu læso.

VIII. Anno 1500. Walterus à Plettenburg Ordinis Teutonici Magister ante conflictum cum Moschis publica jejunia & Litanias solennes instituit. Ipso die Exaltationis S. Crucis ei obviam venit Moschorum exercitus constans centum millibus armatorum, & triginta millibus Tartarorum, cum ex parte Teutonicorum exiguæ valdè copiarum numerarentur. Inito prælio fusi Moschi tanta strage, ut ex parte Walteri plures quidem læsi nullus tamen lethaliter, nullus desideratus: at ex parte Moschovitarum & Tartarorum circiter centum millia occubuerint, quæ per duorum milliarium latè patentis campos prostrata jacuerunt. Hanc suorum cladem Basilius Joannis Moschorum Dux obstupescens & divino tribuens miraculo cum Teutonicis ad quinquaginta annos pacem firmavit, illos appellans Ferreos viros. Nihil dicam de Rudolphi I. Habsburgici Imperatoris victoria de Ottocaro Bohemo, de Ferdinandi II. Austriaci victoria relata de rebellibus in albo monte ad Pragam, de alijs ab eo erectis TROPHÆIS vocalibus, quorum peritissimus erat, illud ex vita D. Laurentij Justiniani Patriarchæ Veneti adjungo. Ardebat Bellum venetum cum Philippo Duce Mediolani, & iam valdè afflictis rebus Venetorum, fortè Corcyræ in loco aspero & inculto eremitam per triginta annos solitarium degere intellexit vir Venetus nobilis negotiorum causâ illuc profectus: adiit ergo virum Dei, & rogavit: num Veneta Respublica, ut fama serebat, deplorata esset? Ad quem Eremita: commotus est furor Domini contra vos, quia verbum Domini

*Gaguin. in
descript.
Livon.*

*Str. in vi-
ta S.
Lau. Ju-
stin. die
8. Jan.*

mini proiecistis : & nisi Pontificis vestri Laurentij lacrymæ interpellarent pro vobis, jam dudum quasi Sodoma periissetis. O magnum vim & virtutem orationis! *Oratio corporum robur est, regni vires, belli* **TROPHÆUM**, *pacis securitas*, ut loquitur S. Gregorius Nyssenus.

S. Greg.
Nyssen.
ap. veg.
in lud.

IX. Si unius hominis justī oratio tam potens est, ut TROPHÆA erigat, quid non efficient orationes multorum conjunctæ, cum sit semper *virtus unita fortior*? Dicebat Christus apud Matthæum:

Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo. Magna promissio, & quia veritatis æternæ, omnino certa, quam demirans S. Cyprianus aiebat: *Quodsi duo unanimis tantum possunt, quid si unanimitas apud omnes esset? Jam pridem de divina misericordia impetrassemus, quod petimus, nec tamdiu in hoc salutis & fidei nostræ periculo fluctuaremus.* Et eodem ferè sensu S. Chryso-

Matth. 18

S. Cypri-
an. Epist.
8.

stomus: *Quodsi omnis oratio tantam vim habeat; longè magis eam quæ ore multorum proveniat, valere consentaneum est.* Benè sperate Auditores mei, securè erigite **TROPHÆUM** vocale & ferventer orationi instate, æterna veritas non fallit, quod promittit, etiam præstat. Orate unanimiter, quia ut idem

S. Chry-
sost. hom.
3. de in-
compreh.
Dei natu-

Chrysoctomus: *Oratio Ecclesiæ murus est, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum.* At fortè creditis res iam esse penè desperatas, adversarios nobis multò fortiores, Deum non semper facere miracula. Confidite, oratio facit miracula. Promittit

S. Chry-
sost. lib. 2.
de orat.
De.

Christus: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Nihil excipit qui dicit *Quodcunque*, ne quidem illud quod alioquin impossibile videretur; propterea monet Augustinus: *Non nobis hoc impos-*

Ioan. 14.

S. Aug.
Traç. 72.
in Ioan.

Theoph. in
Cate.

fibile videatur, quamvis magna petieritis, & quæ ad speciem impossibilia. Si nobis apparent impossibilia quæ petimus, non sunt tamen impossibilia Deo, non sunt impossibilia ritè orantibus: Per orationem & invocationem sui nominis potest quis exercere prodigia. Inquit Theophylactus, & hoc ipsum est TROPHÆA vocalia erigere ante pugnam, vincere ante victoriam.

Exodi 15.
2. Reg. 22.

X. Porrò & illius meminisse oportet, ut si Deus orationibus nostris exoratus concedat victoriam, tunc vel maximè illi erigamus *TROPHÆA vocalia*, *TROPHÆA musica*, quod justis semper consuetum fuit. Moyses Pharaone submerso Canticum cecinit Domino: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. David liberatus ab inimicis laudem dedit Deo. Dominus pètra mea, & robur meum, & salvator meus &c.* Debora Prophetissa & Barac occiso Sisara per Jahel heroinam simile erexerunt *TROPHÆUM*: *Cecineruntque Debora & Barac filius Abinoem in illa die &c.* de qua victoria agens S. Chrysostomus: eleganter in rem nostram ait: *Erecto illo admirabili TROPHÆO partaque præter omnium opinionem victoria, prætexuit Triumphale Canticum laudem totius victoriae uni Deo adscribens.* Et alibi rursus idem Sanctus: *Debora prostratis in bello hostibus pro maximo quoque TROPHÆO erexit hymnum victorialem.* Alij Belli Duces & Imperatores magno apparatu instruunt Triumphales currus & pompas, excitant Triumphales arcus, suspendunt hostium arma & spolia: justi verò *pro maximo TROPHÆO hymnum victorialem.* Cæterum nos iam in magna constituti necessitate & periculo, inter fragores armorum, tonitrua tormen-

S. Chry-
sost. in c.
5. Isai. ap.
Veg.

Idem in
Psal. 95.

torum, cœdes copiarum, agamus quod egit Rex Josaphat, & cum ipso exclamemus: *Domine Deus patrum nostrorum tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium; in manu tua est fortitudo, & potentia, nec quisquam tibi potest resistere. Si irruerint super nos mala, gladius judicij, pestilentia, & fames: stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, salvosq; facies. In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Quantum hæc oratio Deo placuerit ostendit sacra pagina, quæ testatur quod in medio turbæ præsentis factus sit spiritus Domini supra Jahaziel, qui cœpit prophetare: *Hæc dicit Dominus: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem, non est enim nostra pugna, sed Dei.* Posterò die direxit aciem Josaphat contra hostes: *deditq; consilium populo & statuit cantores Domini (ecce TROPHÆUM vocale) ut laudarent eum in turmis suis (ecce orationem multorum unanimem) & antecederent exercitum ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius.* Subjungit illicò sacer Historicus: *Cumq; cœpissent laudes canere vertit Dominus insidias eorum in semetipsos.* Simul cœpit erigi TROPHÆUM vocale, simul parta est victoria & confecta pugna sine pugna: mutuis hostes gladijs prostrati sunt, Josaphat cum populo suo spectator solum erat, quia Deus cui *TROPHÆUM vocale* erexerat, pugnavit, Deus hostes stravit, Deus vicit. Speremus & nos Auditores si debite, ac ferventer, devotè ac instanter ora-*

2. Paral.
10.

verimus, deprecantes eius misericordiam. *Quoniam in æternum misericordia eius*: futurum ut ipse pro nobis pugnet, ipse pro nobis vincat, & nos viceversa sicuti ei nunc efigimus *TROPHÆUM vocale* orationis, ita postea erigamus *TROPHEUM vocale* laudis & gratiarum actionis. *Quoniam in æternum misericordia eius*. Sed simul: *Timete Dominum & servite ei perfecto corde.*
Amen.

DEO TRINO & UNI
GLORIA
FINIS SECUNDÆ PARTIS.





A P P E N D I X

ALLOCUATIONUM
ACADEMICARUM.

E Multis quæ aliquando junior lusi, pauculas hic exhibeo Academicas Allocutiones, affectui potius meo in substratam materiam, quàm utilitati Lectorum velificans: Et cum primæ parti nonnullas inferuerim, secundæ etiam libuit addere quæ sequuntur:

- I. *Panegyricus Magne Matri Virgini sine macula Originali Conceptæ, scriptus Anno 1649. cum Viennensis Academia exemplo & hortatu Augusti Cesaris Inramento se obligavit defendendi Piam de Immaculata Conceptione sententiam.*
- II. *Panegyricus Dies Martis, S. Leopoldo Marchioni Austriae dictus Viennæ in Cathedrali.*
- III. *Panegyricus Pia Ambitio, SS. Cosmæ & Damiano MM. Patronis Medicæ Facultatis, dictus Viennæ in Cathedrali.*
- IV. *Panegyricus Funebris, seu Inferiæ Austriaco-Academicæ, Fundatoribus, Benefactoribus, Doctoribus Academicis in primo Anniversario dictus Anno 1652.*
- V. *Panegyricus Funebris Reverendissimi D. Ioannis Augustini Zverger Cathedralis Ecclesiæ Viennæ Præpositi dictus in Cathedrali Anno 1648. die decima obitus.*
- VI. *Panegyricus Funebris Illustrissimo Iuveni Michaëli Adamo Baptiste S. R. I. Comiti ab Aliban, dictus Viennæ Anno 1648. die octava obitus.*

MAGNÆ MATRI
VIRGINI

Sine Macula Originali Conceptæ
PANEGYRICUS

SCRIPTUS

FERDINDO TERTIO
AUGUSTO

Pio Justo, Mariano

Immaculatæ Conceptionis Jurato Pro-
pugnatori & piè Conjuratis in eandem Pieta-
tem Academicis Austriaco-Viennensibus.

Anno 1649.



*M*ARIÆ Conceptæ sine macula, plene
gratiâ publico voto Angelicum
AVE diximus, FERDINANDÆ
CÆSAR, MAGNIFICE D. RE-
CTOR. PROCERES ACADEMICI
A cuius enim potius nomine oratio-
nem hanc vel Panegyricam vel Eucharisticam tam
sacro die, tam frequenti in confessu vestro, tam no-
bili exemplo, conspirantibus in eandem sententi-
am Academicis auspiciemur; quàm ab eo, quo nul-
lam gratius post DEUM vestris auribus, nullum
salutarius animis accidere potuit, imò debuit: aut
cuius jucunda salutatione celebritatis huius profe-

qua-

quamur lætitiã, quã eius cui ad aras supplex *Universitatum Germaniæ antiquissima*, novã pietate veteri debito ; Sacramento novo, affectu veteri se consecravit. Atq; utinam tam facilè mihi esset de illius laudibus æquè facundè ac copiosè dissèrere, quã facilè fuit exordiri à nomine, perficerem sane hodiernã die, ut nemo non intelligeret, tantum ex huius voti nuncupatione *Academia* nostræ accedere ornamentum, quantum priora sæcula tametsi excultissimis superba ingenijs, summis aucta honoribus, amplissimis dotata immunitatibus nescierunt. Sed avocat me à desiderio meo argumenti amplitudo, & dignitas, ut cum nonnulla de *Virgine immaculatè concepta* debeam, de Te *Augustissime Cæsar* huius solennitatis auctore pijsimo multa velim, de vobis *Academici Proceres* non pauca etiam possim dicere ; penitus ignoret oratio quo eluctetur ; quid securius taceat, quid felicius eloquatur. Tene ego pulcherrima *sine omni labe Virgo* taceam ? abutar tempore nisi eam laudem cui totus hic dies impenditur. Tene omittam *pijsime Cæsar Auguste FERDINANDE* ? ingratus sim, nisi aliquid gloriæ quam hodie consequitur Universitas in te derivem, cuius exemplo & præsentia hæc celebritas nobilitatur ; Vosne *Academici Proceres* præteream ? nescium me profitebor officij, nisi ad eos orationem traduxero sine quibus hæc dies tam læta non esset. Magna hæc ut de singulis taceam, maior ut de iisdem eloquar sollicitudo. An de *Virgine sine macula concepta* verba faciam ? at elinguem me facit illa ipsa quæ divinum concepit verbum. An de Te *Augustissime Cæsar* ? at qui Te coram laudat, is nescit gloriosius Tibi videri laudis meritum, quam præconium. An de vobis *Proceres Academici* ? at soli hanc vobis laudem non arrogabitis, qui non vovistis sine exemplo. Temperabo igitur dictionem meam damno quidem voluntatis, sed officij compendio ; ut licet plura tacere cogar, quã possim eloqui, de singulis tamen aliquid dicere voluisse vi-

dear, cùm dixerò de Augusti Cæsaris pietate. In illo siquidem hodierna potissimum exultabit oratio, à quo tantæ in populo utilitatis, in magnatibus imitationis, in posteris gloriæ, in nobis devotionis, in Deipara Patrocini jacta sunt fundamenta. Nihil, nihil *FERDINANDE Cæsar* vel ad majorum tuorum sequelam felicius, vel in præsentium temporum emolumenta utilius, vel ad securæ posteritatis memoriam gloriosius agere potuisti, quàm ut Te tuamque *Serenissimam Domum*, subjectos populos, Provincias, Regna, Imperium Romanum tutelæ Virgineæ, tam raro pietatis genere, tam inusitato ritu consecrasses. Velim *Academici* meminisse vos lætuosi illius temporis, quo impunè per universam prius Germaniam, quæ multarum fuit hæcenus Tragediarum theatrum Balthicus grassatus furor, impotenti deinde fastu minabatur Austriæ vastitatem. Quæ tum hominum consternatio, quæ ordinum confusio, quæ rerum perturbatio fuerit; quanti insultantium hostium turbines hanc ipsam urbem velut navem concussam & jam inclinantem everfuri timerentur; cum in communi propè desperatione perire cum omnibus, singulis videretur solatium, malo in cogitatione vestra relinquere, quàm in oratione mea ponere. Illud æquiore prudentiæ vestræ trutina examine, & quantum hæc urbs nobilissima, subjecti populi, socij nominis Austriaci, boni omnes *Cæsari* debeant reputate. Omnium petebantur Cervices ut unus caderet FERDINANDUS, unus stetit in excubijs FERDINANDUS ut omnes servaremur. Pugnat miles Cæsari, Cæsar sibi, & militi imò stabat in acie Cæsareus exercitus, solus Cæsar præliabatur. Quâ vi? quâ manu? quo armorum genere? *Austriacâ Pietate*. Ad eius pietatis ignem recocta militis arma, feliciter induruerunt, ut impendentes cervicibus nostris prædonum gladios haberent. Nimirum virtus cum sanguine descendit in nepotes & in heroicorum filiorum sanguinem divina paren-

tum integritas derivatur ; Hoc à RUDOLPHIS à CAROLIS, à FERDINANDIS didicerat FERDINANDUS. Videor ego mihi etiamnum videre sedentem ad majorum imagines, & ex illorum fortuna suam sibi effingentem, hæc secum divinâ illâ mente recogitare. Natus es FERDINANDE eo loco, quem isti tuæ ac posterorum ornarunt felicitati ; dederunt illi periculis & laboribus, quod tu servares *pietate*. Habet ars regendi hanc potissimum gloriam à majorum vestigijs non recedere. Pij fuere majores tui, omninò ijsdem virtutibus fulcitur imperium quibus comparatur. Tu Rudolphe sanguinis nostri Cæsarum purpurâ exornati auctor DEUM sub velo panis latentem veneratus. *Tuis* fatis mea ego video respondere. In symbolo crucem (qua Tu pro sceptro usus es) præfero, ut regam *pietate*. Tu FERDINANDE I. extensum in Aquila Cæsarea velut in Cruce DEUM hominem imperij auspiciem habuisti : Ego in bilance Justitiæ. Tu FERDINANDE II. genitor felicissime, in extremis laborantis imperij malis ad pietatis asylum ad MARIAM Generalissimam Tuam confugiebas. Docuisti, didici, nihil piget exercere quod didici. Tu LEOPOLDE patruæ eadem arte & duxisti exercitus, & erexisti trophæa ; tibi *Pietas ad omnia utilis*. Amplector meorum exempla. Age Ferdinande avitæ virtuti servias oportet, & *Pietatis* incremento ; deflectis à majoribus nisi premas vestigia ; imò nisi prævertas : DEUM, animum, majores, nomen sequere : *FERDINANDUM Te pium & sentiat homines & saluent. Meministi Augustum parentem Deiparæ Virgini sine macula Conceptæ devotissimum. Octavam Decembris diem solenni sacrorum usu celebrem per subjectas Provincias habuisse. Filius es si promotes, Pius es si auges Magnæ Virginis venerationem. Tuo hic opus exemplo. Occultis vinculis Principes subditorum animas ad imitationem sui rapiunt, & eos rectè facere docent, jubentque faciendo. Cæsarum*

rum vita censura est, actiones præcepta, exempla imperiæ
 Hæc & similia cum secum meditatur Augustus ; Num nobis
 observatur ob oculos animosque architectus, qui ruinam
 minitanti Basilicæ, suppositurus columnam, nobiles orbe
 toto regias explorat, ut constantem unam & absolutam per-
 fectionem ex aliorum fulcrorum quasi adumbratione con-
 stituat ? verbosa tantum est *pietas*, quæ nihil agit, *Austriaca*
 nunquam otatur. vera non est quæ non crescit ; *Ferdinan-*
dea, ut palma inter adversa sublimes in Cælum palmas ex-
 porrigit. Adeste animis vos quoque qui abestis corporibus,
 & Augustum palam inspectante populo ; ad aras operante
 Pontificè, humi prostratum intueamini ; cum DEO cum
 Deiparente fœdera sancientem audite : *Onnipotens sempiterna*
DEUS per quem Reges regnant, in cujus manu sunt omnium
potestates, & omnium jura Regnorum : hoc sapienter. *Ego Fer-*
dinandus coram divina Tua Majestate humiliter prostratus : hoc
 piè : *meo meorumque successorum & inclytæ huius Provinciæ Au-*
striæ nomine : hoc amanter : *Immaculatam filij tui Matrem sem-*
per Virginem Mariam hodie in peculiarem Dominam & Pa-
tronam huius Archiducatus invoco & assumo : hoc sanctè :
insuper voveo ac promitto eiusdem Immaculatæ Conceptionis
festum, quod cadit in diem 8. Decembris, solenniter etiam quoad
forum in hac Provincia quotannis prævio more Ecclesiæ con-
sueti jejunio in eiusdem pervigilio celebrandum. Hoc constan-
 ter. Quid tum postea ? solus vovet, ne solus voveat. Vo-
 vet Cæsar, exemplum est, imperium est : sequantur Do-
 ctorum Lycea, imò obsequantur. Quid est Auditores ? quæ
 vos repentina oppressit admiratio ? Nescitis *Austriacos* ita
 pios esse ut in subditos etiam suam transfundant pietatem ?
 Nolunt fortunam tenere præ alijs *Austriaci*, nisi & bonita-
 tem ; nec bonitatem nisi derivent in alios. Hæc magnorum
 est gloria, quòd non tam sibi, quàm subditis se natos putent.
 Affine quidam habent lux & exempla Principis, ut illa tametsi
 quæta

quieta ingenio & placida ignem nihilominus parit, sic debet ista in subditorum animis imitationem. Bellè, benè factum! video vos hodie *Proceres Academici* virtutis Cæsareæ imitatores, omnium vestrum animi ex æquo & obsequium Principis, & pro virginæ Matris honore *pietatem* spirant *Austriacam*. Extant in vultu novi faces incendiij, & in serenis frontibus animorum judicia præleguntur. Austriaci estis, pone sequimini *Austriacum*, pone *Cæsarem FERDINANDUM. Mariani estis*, novo hodie magnæ Virgini devoti Sacramento. Fortunati etiam olim in posteris, qui vobis acceptam referent *Marianam* hanc *pietatem*. A vobis novellæ propagines attrehent pietatis succum, quem olim transfundant in alios, & sancitum hodie cum Deipara fœdus in secuturam perennare facient posteritatem. Hoc solo fortè censetis vos infelices quòd tam raræ pietatis genus posteris transmittere non potueritis, sine exemplo. Præivit *Cæsar*: nobilius pij estis, gloriosius fœderati. Pulcherrimum vinculum quo etiam ligantur Cæsares. Honestissima est sequela magnorum. Non dicam, ne solem facibus videar adjuvare, quâ sollicitudine, suaserit hanc sui sequelam, qua animi voluptate persuaserit *Piissimus Cæsar Universitati*. Legimus, audivimus, mirati sumus, & quis non in eas erupit voces. O nihil degenerem à majorum virtute sanguinem! O nobilissimæ radicis vegetam stirpem! O majorem propè fonte suo *Fluvium*! ô filium! O nepotem! patre, avis, abavis optimis meliorem! Jam verò ad tam præclari commemorationem facinoris quis futurus sit posterorum sensus, planè nescio; si tamen ex vestro, si ex meo conjecturam facere vultis, eâ interius perfundendos arbitror voluptate, quæ potest esse maxima. Sic enim ego mihi persuadeo, ut nihil ad præsentium virtutum, quas in Augusto miramur Commendationem illustrius, ita nihil ad spem futuræ felicitatis certius, nihil ad fructum gloriæ nepotibus, per ma-

nus transmittendæ præclarius dici aut excogitari potuisse. Quid enim? an leve esse censebitis *Antiquissimam in Germania universitatem*, viris omni scientiarum genere ornatissimis illustrem, nobilissimâ juventute florentem, concordia sensu, uno affectu, uno ore sententiam illam amplecti & profiteri, quæ Doctorum adhuc litigijs exposita, quamvis eam sacrorum Antistitum, summorum Pontificum decreta usque adeo probaverint, ut contrariam omnibus & singulis cuiusvis ordinis & conditionis regularibus ac secularibus sub pœnis & censuris Ecclesiasticis facto ipso incurrendis, seu publicè seu privatim propugnare, donec aliter à sede Apostolica statuatur, inhibuerint? atque utinam majoribus nostris illa iam olim cœpta *Deiparæ* veneratio altius sedisset in pectore, ac nullis temporum injurijs obliterassent, quod pijsimè sanxerant cum de festis cœteris, tum de festo *Conceptionis Mariæ* Academico more celebrando; audacius hanc nobis gloriam præ multis universitatibus præcerperemus. Nunc quia difficilius nobis est restituere diu desolata, quàm novis jactis fundamentis erigere, memoriam saltem præteritorum in præsentis partem lætitiæ admittamus. Do verba è statutis Facultatis Theologicæ ut avida antiquitatis posteritas meminerit se majorum vestigia premere, cum in honores jurat *Marianos*: *In omni festivitate Virginis gloriosæ Missa fiat solennis cum offertorio præsentis Rectoris cum tota universitate. Prima fiat in festo Purificationis in Ecclesia S. Stephani. Secunda in Annuntiatione apud PP. Prædicatores. Tertia in Assumptione apud FF. Ordinis B. V. de monte Carmelo. In Nativitate, in monasterio Scotorum. In Conceptione in Capella B. V. in littore.* Hæc majorum nostrorum commaterno ut ita dicam lacte hausta in *Deiparam* Pietas, quod in oblivionem traducta sit, imputat temporibus, quæ summa imo pro suo jure miscent, & optimis infidantur legibus; quod velut rediviva hodie rursus ad Acade-

micos aliquã saltem sui parte revocata sit, vobis post *Augustissimum Cæsarem* debet *Proceres Academici*, vester in *Virginem immaculatam* affectus, in piissimum Cæsarem obsequium, in commune universitatis emolumentum sollicitudo nullis retroactis quidquam concessura ætatibus, quæ optimam legem quibuscunque antiquatam injurijs hodie vel prudenter restituit, vel denuò sancitam, & novis auctam officijs feliciter stabilivit. Credo enim ego iam olim pari passu majores nostros in hanc abiisse sententiam quæ virginæ Matris Conceptionem ab omni labe immunem pronuntiat, nisi velimus *universitati* nostræ injuriam illam palmarem infligere, quod optimis moribus ab optima matre Parisiensi videlicet universitate informata, leges ab illa acceperit & consuetudines, sed violârit; filiam se professâ sit, sed degenerârit. De illa sanè constat *Immaculatam Virginis Conceptionem* omni ope ac vi propugnandam jurato iam olim suscepisse. Quod Salmanticensis, Toletana, Complutensis, Cæsar Augustana, Ilerdensis, Terraconensis, Barcinonensis, Hispalensis Valentina, cæteræque Hispanæ Universitates dudum ante nos speciali decreto statuerint Parisinæ exemplo *Ang. Barb. Remiss. Conc. Trid. sess. 5.* ut nulli ad Doctoratûs gradum aditus pateat, qui prius juramento non promiserit, nunquam se *Immaculatam Conceptionem* oppugnaturum, minus ad nos pertineat per me licet (tametsi pertinere censendum ut probet in Matre filia quod sequuntur alienæ) illud fortasse vulnus aliquod afferre potest, quod nobis hanc gloriam præcerpsêrint Germaniæ Universitates *Sur. Anno 1501.* Colonienfes & Moguntina quarum nostra antesignana est, utpote in Germania prima, nisi expectandum fuisset illud tempus quo summa in terris terrenæ dignitatis Majestas exemplo hætenus inaudito *pietate Austriacâ* FERDINANDUS III. præferret facem & sponte devotam Immaculatæ Virgini Academiam novis ignibus animaret. Facem dixi,

columnnam dicere debui, quæ me dudum ad sese vocat nisi velitis illam Hebræi populi ductricem columnnam divino illustrem igne intelligere, quæ pulcherrimi post hominum memoriam facinoris æternaturam famam è tenebris oblivionis vindicet, & ipsis quoq; à fidei luce alienis vespertilionibus eloquentem anni sui epigraphen, vel in nocte enunciet.

StatVaM hanC eX Voto ponIt

FERDINANDVS tertIVS AVGVSTVS

Non adjiciam fonti aquam, soli lumen : hi radij à majestate funduntur Cæsaris, hi latices perenni scaturiunt origine. Habebit quod legat sèra posteritas, quod laudet, quod imitetur, & quæri tamen poterit merito de fama, quod cœtera omnia in immensum amplificet, hoc facinus nescierit pro merito commendare. Feliciter Germane Hercules FERDINANDÈ columnnam *Tuis* laboribus potuisti. *Non plus ultra*: quidquid restat post Calpen & Abilam si sunt Garamantæ occupet hostilis potestas : *Tibi* quieto esse liceat, columnnam ponis in sèras etiam nepotum ætates perennaturam. Hæc præpotentis fideris more, quid mirum ? *pulchram ut Lunam* illi MARIAM imposuisti, residuos rebellionis vapores dissipabit, ut traducta ad pacis artes ingenia, artium suavitatem degustent. Hæc erraticum Imperialium Planetarum cursum firmabit, nec audebit amplius Austriaco Soli ullus Mars se opponere. Hæc in animos Principum potentissimis operabitur influentijs, ut inita tecum fœdera religiose deinceps velint colere, & mutuam augere felicitatem. Hæc suo colosso imminens Luna olim Othomannicam illam ecliphabit Lunam, eamq; ad menstruam nunquam reparandam adiget paupertatem. Ad exitum aspirat oratio, parebo & Legi à Vobis præscriptæ, & tempori. Plura propè dixi quam potui, pauciora quam debui ut justissima causa sit, & mihi nunc tacendi, & alijs sæpè dicendi. Principio finis respondeat, utramq;

utramque mihi paginam faciat *sine macula concepta* *MARIA*, quæ Alpha illum & Omega divinum Principium & finem, conceptu Martiali, finem belli, pacis principium Virgineo in utero comprehendit. Felices nos Academici, qui hodie tam pio iniciamur Sacramento. Mariani huius fæderis auspex FERDINANDVS est *Ter Augustus*: Symbolum Virgo est pede protriti serpentis triumphatrix, Divinat FERDINANDUS; scientiarum amator est, suam vult crescere Academiam. Horoscopum vobis credite in Columna *Virgini immaculatæ* posita designatum. Vetus deliræ Matheos, apud Rabbinos circumfertur Oraculum: *Si luna Iovi coniuncta super caput serpentis collocetur, interimque scientiam à DEO petas impetrabis.* Fabula hæc illis sit, nobis transeat in veritatem. Deinceps scientias nostras debebimus *Lunæ Iovi coniunctæ super caput serpentis collocatæ*, Virgini nempe quæ pulchra ut Luna, quæ caput, id est, peccati originem glorioso pede calcavit, de qua Tesiphon Divi Jacobi maioris discipulus. *Illæ Virgo, illæ MARIA, illæ Sancta præservata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libra ab omni culpa & qui ita non senserit non consequetur*: Invitus taceo: & idem alibi *Nequaquam Angelus Virgini diceret, Ave gratia plena, si in originali fuisset concepta.* Nihil addo. Immeritò est Viennensis Academicus qui non dicit *MARIÆ Ave gratia plena. Tota pulchra es & macula non est in te*
ò MARIA. Dixi.



DIES MARTIS

SIVE

S. LEOPOLDVS MARCHIO
AUSTRIÆ.

PANEGRICUS

Nomine Inclytæ Nationis Austriacæ,
Dictus Viennæ.

Ellem DEVS immortalis fecisset, *Magnifice Domine Rector, Clarissimi Domine Nationis Austriacæ Procurator, Proceres Academici, &c.* Vellem inquam, DEVS immortalis fecisset, ut quos ego à sterili, & nullius adhuc incisione vomeris mitigato Eloquentiæ novali expectare non possum flores, eos clementissima melioris cujuspian Austri, idest *Austriaci* Zephyri suspiria meæ adflarent orationi: sperarem sanè facturum me aliqua ex parte fatis, tum expectationi vestræ, tum publicæ huic celebritati, quam *Divo LEOPOLDO Austriæ Marchioni ac Tutelari*, quotannis solennem, consuetâ vobis frequentia instauratis. Quamquam hoc nomine in tam spatioso iuxta & specioso materiæ genere nulli mihi elegantiarum flores, nullæ verborum supetiæ optandi sunt. Encomium omne *Divo LEOPOLDO* gratum est, à conscientia potius Virtutis propriæ, quam alienis suffragijs. Et ipsa illa fœcunda non minus quam facunda suimet laudatrix, pridem in animis vestris id omne depoluit, & peroravit feliciter, quod ego afferre possem in me.

medium, ut quod ab Oratore Novitio pondus desperat Oratio, à vobis debeat mutuam impetrare. Nihil proinde metuo ne argumenti amplitudinem dictionis inelegantia, & obsequij temeritate corrumpam. Ubi, facta disertà sunt, non opus est verbis scitulè ad delicias erotundatis, non lævigatis crystallo ad instar lenocinantis facundia vocibus, non pigmentis mollium dictionum Gynæcei cujuspiam acubi & bysso intertextis. Utè sit materia, alienum est à genio meo, qui nolo auditoribus meis per blanditias fucum facere, aut proritandæ somnolentiæ molles verborum cunas, & pulvillos substernere. Inter raucos tubarum clangores, & in amænos tympanorum mugitus in area Bellonæ concepta oratio ferrea sit oportet, & in campum martium ferrea armorum segete sæcundum, non florido Eloquentiæ inspersum apparatu procurrat. In medijs hastarum gladiatorumque mucronibus ne rosæ quidem, quæ inter spinarum aculeos solent crescere locum habent. Inhorrescat ergo Martiali strepitu: inter tonitrua & tempestates, ceu solent margaritæ, lucem aspiciat, ut præsentì temporì accommodata esse videatur.

Præsentì, inquam & quidem hodierno. Quis enim est nisi ignarus Virtutis *Austriacæ*, qui nescit votivam *Divo Austriæ Tutellari* diem, quotannis maiorum more, solenni ritu, in hac æde totius Urbis Principe celebrari solitam, mobile licet festum non sit, semper tamen eadem hebdomadæ feria recurrere? Habet hoc solenne Mensis November apud Austriacos, quod ejus dies 15. alia nunquam sit quam *dies Martis*. Miramini? ego verò efficiam, ut vestram potius miremini admirationem. Sit hodie Romanis dies Solis, sit Ecclesiasticis tabulis Dominica, sit ex Hebræorum placitis prima Sabbathi? *Austriacis* profectò alia hodierna dies esse nec debet nec potest quam *Dies Martis*. Hoc illi semper quacunque in temporum revolutione illucescet fidus, hoc

astrum dominabitur, hoc ad felicissimas influentias radiabit. Nolite verò me Auditores ceu patriæ iniurium, ceu mali ominis augurem pronuntiare. Nihil indignum cogito, nedum molior; nihil in Patriam, nedum in patriæ patres? nihil in *Austriacos*, nedum in *Austriæ Tutelarem*. Severum est non diffiteor Martis nomen, sanguineum sidus, cruenti sæpè omne diluvij, sed nobis *Mars noster Divus LEOPOLDUS* optatissimam portendit felicitatem, Belli tumultum amica pacis otia excipiunt: & illa securissima censetur pax, quam Martis gladius vaginæ restitutus sancivit.

Parmulam inspicite gentilitiam scutum *Austriacum*: rubet, salva res est. Non totum rubet, medius candor Martialem distinguit purpuram, Aurora est solis prodroma, quæ inter purpuram subalbicare consuevit. Pellit aurora noctem, & optatæ pacis reducit serenitatem. Imò iris est pacis nuntia, quæ aptè ad solis Justitiæ reverberata splendorem, triplici ductu felicitatem pingit *Austriacam*, & in medio ceu via lactea candidam virtutem ducit.

Scio quod me factorum anterioris ætatis rudem existimare censes possint. Sed ego tacitò illorum & vestro non illibenter subscribo desiderio. Malunt illi & vos qui altius in religiosa vetustatis rudera perspicaces oculos infervistis gentilitiam *Divi LEOPOLDI* parmulam primis illis *Austriæ* ornamentis Alaudulis insignem esse, quam nive & purpurâ. Sit sit, nec tollet illa Martis nomen, nec omen pacis à *LEOPOLDO*. Nostis à plumeis Alaudarum galeis Martias volucres pronuntiarum Alaudas? Nostis Martiam Julij Cæsaris è *Transalpinis* conscriptam legionem ab Alaudis accepisse nomen, ut diffiteri nequaquam possitis etiam ab Alaudis laudem *Martis* accedere *LEOPOLDO*. Sed quid ego peregrina pro *LEOPOLDI* virtute conquiro suffragia; quasi aut tam imbellis fuisset *LEOPOLDUS* ut nunquam staret in acie; aut tam injuria posteritati antiquitas, ut bellicam *LEOPOLDI* gloriam oblivio fosilentio tumularet. Con-

Consulite factos veteres, antiquitati aures, concedite : agnoscetis LEOPOLDUM genuinum Martis pullum, *Austriacæ Bellonæ* partum, vix dum lucis usurâ recreatum, & jam Martis clypeo velut cunis exceptum, allisissè vagitum umbonibus, inter classica & armorum fragores adolevisse ad magna, neq; unquam fuisse Leunculum sed Leonem. Usq; adeò à paterno sanguine, ac materno lacte feliciter suxit in ætatis diluculo virtutem bellicam, avitam fortitudinem, magnanimitatem toti transfusam posteritati. Quid enim ? an leve id & usitatum censetis, quod primos juventutis, penè dicerem pueritiæ annos pulcherrimo laudis genere, à militari disciplina petito exornarit ? festinavit nimirum adnata virtus in adolescente, ut cum ætatis cursum expectare vivax ardor non sineret, teneros adolescentiæ annos triumphalibus glórijs occuparet. Inferebat id temporis quo LEOPOLDUS adhuc emeriti Patris curas solabatur dulce delitium, repentino tumultu improvisam universæ *Austriæ* vastitatem barbaries, lunatis agmina peltis, numerosus hostium exercitus suis è Scythiæ paludibus egressus, ad paternæ ditionis limites minax stetit. Cohorruit *Austriæ* ad primum illum armorum strepitum : timidi ad framearum fulgura patriæ oculi niētitaverunt, non nescij quod is fatalem machæram stringeret, qui Christianis omnibus unam vellet esse cervicem, & novo furore quoties in campum procederet antiqua caligulæ vota renovaret. Quid verò LEOPOLDUS ? latus ferro, sinistram Clypeo, frontem cruce, animum virtute munit, & professo patre, parva suorum contractâ manu obviam progressus hosti, stat in acie. Davidem credite Philistæo compositum. Stat tamen ; ubi & Ajax caderet, uno à morte palmo intrepidus, & audet jam non laceffit ipse laceffere, audet Martiâ sed Christianâ & veteribus incognita Magiâ Lunam classico evocare, ac in terram detrahere. Quid multa ? Alaudarum legionem bonis

avibus secuta est Victoria, quæ in Lunæ cornibus confessura putabatur, & ubi cupressi semen jactum fuerat, *Austriæ* laurus crevit. Pugnat, expugnat, aggreditur supergraditur; se periculo suos metu, patriam excidio liberat, feliciter! gloriosè!

Unum ad prodigia eius non virtutis sed Fortunæ forsân defuit, geminus antagonista, ut veriore sui nominis anagrammaticismo diceret *LEOPOLDUS*, *pello duos*. Sed tamen si tunc non habuit, quæsitura erat cognata virtus hostem alterum quocum decerneret, nisi eum præmatura optimi parentis mors in *Austriam* revocasset. Ita *LEOPOLDUS* prius in sole quam folio, prius in pulvere quam pulvinari patriam tutatus est. Tunc verò primum natura mirata est, quod ante non viderat, posse pacis Iridem, etiam ex Lunæ refractione consurgere. Nullus enim abinde Barbarorum horror *Austriam*, nullus perculit hostilis Bellonæ metus, cum ad clavum sederet *LEOPOLDUS*, pacis deinceps cultor, & arbiter, non belli fulmen. Abstinerunt hostes à terra, ex qua experimento didicerant, nil sibi deberi amplius, nisi quantum sepulchro est fatis. Usq; adeò in tempestatibus jactari necessum est, ut securam quietem obtineas, & duris exerceri eos, quos ad fructum gloriæ felicitas destinavit.

Verum jam pridem animadverto, quæ in meam panegyrim à multis cudatur censura. Egregium nempe ridetur laudis genus, quod ad celebrandos Indigetes, ab armorum usu, à sanguinis profusione desumitur. Rectè quidem & mecum sentitis: huiusce modi laudum argumenta melius ad exornandam Ethnicorum Barbarorumq; famam facere, quam Divorum: Magnam hinc succidi encomiorum segetem, ubi præ animo laudatur corpus, ubi omnis panegyrici materia, intra mortalis gloriolæ fines coercetur. Militarem fortunam ac fortitudinem, palmarem esse eorum laudem, quorum animis veras destitutus virtute propriæ defectum
lucis.

lucis aliena sibi face compensat, non eo inficias. Sapientissimè statuitis. Ego tamen militarem *Divi nostri* virtutem palmare in eo laudis genus non sine consilio rectè constitui, & ut desint aliæ hæc una illi *cognomentum Pij* adscribet. An quia qui hostile jugum à patriæ avertit cervicibus pius est in patriam? an quia qui armis fidem propugnat, in DEUM pietatem exercet? Non innitor tam manifestis. Sustinete verò tantisper amabo vos, & nigrum calculum suspendite, dum meam penitius sententiam intelligitis. Armatum laudavi non arma, *Martem* in ara propitium collocavi; non Ducem ad campum; quanquam victoriosus foret exercitus qui LEOPOLDUM Ducem sequeretur.

De DEO veteri Saxonum superstitione culto prodit antiquitas fuisse statuam Martis cum inscriptione: *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor venerantibus*. Erat autem viri effigies toto corpore armata, dextra vexillum tenens, sinistra libram, in clypeo Leonem effictum, ad pedes abiectum ursum coërcebat. Hunc suum *Martem* Saxones corruptâ voce Irminful pro vulgari *Shermansfaul* quasi exercitus virorum columnam appellabant. Visèbatur hæc statua, legebatur inscriptio Saxonibus, eventus nobis servabatur *Austriaci*, ut auspicijs, *Divi Tutelarisi nostri LEOPOLDI Martis Austriaci* triumpharem. Vestros testor oculos, annon LEOPOLDI dextram militari signo insignem, annon Martio cataphractum vestitu corpus, annon ipsum nomen, si minus clypeum leoninum, in aris, in imaginibus agnoscat? Libellam fortè requiritis? à virtute illam petite *Justitiæ*, quam ut testantur fasti, Principem cum *pietate* semper coluit LEOPOLDUS, ut omnis propè mihi tollatur admiratio, quâ sæpè meipsum consului, cur amemus hodie nobis *Pios & Justos pro DEO & pro populo*, Principes imperare.

Sic igitur efformatum Ducem vestrum; Sic *Martem Austriacum* dum in ara statuitis, melius etiam subscribetis quam

quam veteres illi Saxones : *Dux ego gentis Austriacæ Victoriam certam polliceor venerantibus.* Sanè si unquam alias hic Pium LEOPOLDUM fatebimini in patriam, in avitam fidem, cum vestræ antesignanus Bellonæ, per victoriosas laureas exultantem exercitum antecedit ; & si quæ post pacatos Imperij fines Baltici Neptuni monstra , septentrionalis urfæ progenies iterum confurgat, quod cœlites prohibeant, feliciter ducet in triumphum. Agite magnæ animæ pro fide, pro patria, pro civium salute, pro aris & focis hæcenus præliatæ. Hodierna vobis dies, *dies Martis est*, sed *Martis dies festa* vobis concessum est languentem ex diuturna Phlebotomia Germaniam solari, & clauso vaginâ mucrone, inoptata pacis umbra conquiescere. Idem *Mars*, qui bellorum author, *pacis arbiter* & pater est. Eiusdem *Divi LEOPOLDI* suffragijs cuius bella gessistis auspicijs, optatam etiam pacem sancivistis. Sentio hic ego quantus mihi ad *Severissimæ Domus Austriacæ* laudes se campus aperiat, & optarem lanè liber in eo procurrere, nisi frenos mihi definitum ex more tempus iniiceret.

Fœcundus *Austriacæ Bellonæ* uterus non unum Orbi propitium *Martem* dedit. Tot penè Bellatores numero, quot LEOPOLDOS, ut non fortuito videantur imponi nomina, sed quæ magnum est habitura progressum felicitas, in incubabilis adhuc, ipsa sibi augur & divinatricis fieri cognoscatur. Unius mihi silentium imperare nec possum, nec debeo, cuius memoria nemini *Austriaco* non est gratiosa : LEOPOLDUM GUILIELMUM dico, illum Germanum Herculem, Belgij Martem, solo minorem fratrem. Huic hodie ut par est, *Austriaci* omnes auspiciatissimum precemur *natalem*. Triumphet LEOPOLDUS. Etiam hinc dies hodiernus, quia est natalis LEOPOLDI GUILIELMI *Austriaci*,
est *Dies Martis*. Dixi.



PIA AMBITIO
 SS. COSMÆ & DAMIANI
 MARTYRUM

Medicæ Facultatis Patronorum

PANEGYRICUS

Nomine Inclytæ Facultatis Medicorum
 Dictus Viennæ.

EXcellentissimi Facultatis nostræ Tutelares Di-
 vi Cosmas & Damianus jura nec dicere, nec
 tractare assueti jure tamen nobiscum agunt
 hodie, cum debitum sibi exigunt Panegyri-
 cum. Reum ego me profiteor, & ne insperatò
 decretoria in me feratur sententia, debitas
 summis Oratoribus partes postremus ultrò suscipiam. Quis-
 quis agnoverit mei medullam consilij, excusabit temerita-
 tem. Consulta temeritas virtutis habet locum in Divorum
 laudatione. Et licet Tutelarium nostrorum dignitati non
 respondero, meæ nihilominus consulam necessitati. Solen-
 nis hæc Philo-Musis industria, ut eos sibi demereri studeant,
 quos noverint plurimum sibi posse patrocinari. Pro me igi-
 tur nihil dicam; pro illis pauca. Ita & meo me exsolvam
 debito, & Divorum celebrabo laudes ex merito, quod me
 præstiturum existimo, si ostendero fuisse *Ambitiosos*. Absit
 verbo invidia, & cui medicinam ars nulla potest præscribe-
 re, dens caninus. Habent aliquid solenne Tutelares nostri

ultra communem cœterorum sortem, quod primâ fronte pollicetur aliud, aliud tegit. Malogranati cortex unum videtur abscondere, multiplicem abscondit fructum. Lutu-
lenta sæpè conchula pretiosissimam celat margaritam. Obscura nomina maximos velant animos. Suspectum *Ambitionis* vocabulum præstantissimam exhibebit virtutem. Erravimus hætenus AA. erravimus, vel nobis iuxta & Jurisperitis injurius fuit, qui cecinit *Dat Galenus opes, dat Justinianus honores*. Divi Tutelares nostri nec opes habent, nec amant: honores & habent & ambiunt. Aut illi igitur Tutelares nostri non sunt, aut nos oportet *ambitiosos* esse, ac pro divitijs honores admittere. Quanquam si huius foret sive loci sive temporis, nihil morarer, quin evincerem Medicis honores summos & olim collatos & hodie debitos ad invidiam usq; & æmulationem. Statuite quibus sagaciora consilia mentis consistorium occupant, quid illi debeatur scientiæ, cuius DEUS ipse primus author & probator, quam ab Angelis suis, ab ipsomet Filio unigenito exerceri voluit ac doceri. Oculorum usum Tobias Raphaëli debet Archangelo: Christi servatoris virtutem in ægrorum curatione universâ olim Judæa mirata est cum *pertransibat & sanabat omnes*. Ex eius deinde Lycæo Discipuli omnes Medicinæ Doctores creati, quibuscunq; ægris manus imposuissent, curabant. Sed hæc missa facio, neq; enim scientiæ laudem dictionis meæ habere volui argumentum. Suos illa habet tam felices laudatores quàm multos, tam dignos quàm eloquentes. Divis debetur Tutelaribus quidquid hodie dicitur, atq; utinam non diceretur per injuriam, quam illis utiq; infligit, quisquis se parem eorum meritis esse credit encomiasten. Mihi facultatem virium animi compensabit conatus. Palmare verò eorum debet esse præconium. *Ambitio*: odiosum nomen, pulcherrima virtus, & quæ alijs solebat in parte laudum constitui, mihi hodie sola est Panegyrici argumentum. Abavos
proa-

proauósq; & per copiosos annalium fastos deductum splendorem natalium non expectate. In censum nostræ laudationis venire non debent, quæ sunt aliena. Vera nobilitas ex moribus potius constat quàm maioribus. Nemo antecessorum in nostram laudem vixit. A quocunq; patre parvi juxta nascuntur ac magni, nec habent aliunde parvitatem & magnitudinem, quàm à se ipsis. Est quod in Divis Tutelaribus nostris admirer si non celebrem, ingens ille animus quo diuitias sponte in sinum involantes constanter recusaverunt, & noluerunt ab ijs occupari pectus, quod vel iam Deo plenum erat, vel impleturo parabatur. Sed enim intra huius temporis & dictionis angustias arctari non debent, quæ peculiarem sibi merentur laudationem. Obturaverunt tamen ora Divi nostri Tutelares loquaci & infrunito vulgo, quod medicam quæstuosam magis quàm salutarem, exactivam quàm sanativam calumniatur. *Quo nomine vos appellabimus (ut elogio & verbis Ecclesiæ Orientalis utar) Ministros an Medicos? tam animorum quàm corporum, & insanabilium egrotationum: qui ex thesauris divini spiritus medicamenta saluberrima proferentes, arcanâ quadam & sacrâ cibururgia sauciorum vulnera persanatis. Officina vestra medica inexhaustus quidam est fons, qui quo sæpius hauseris, eo copiosior affluit; quiq; effusus redundat, & quotidie exhaustus impletur. Gratis accepistis, gratis datis. Crediderim profectò Divos Tutelares nostros laudatissimum illud iusiurandum Hippocratis altè demississe in pectus: In quamcunq; domum ingressus fuero, ad egrotantium salutem ingrediar.* Hinc æquissimo jure in Menæis Græcorum, Anargyrorum nomen, idest sine argento, velut breve, sed æternaturum apud memorem posteritatem ægris sine pretio locatæ liberaliter operæ pepererunt elogium. Vera hæc est sine argento Philosophia, promptior animus sine onere ad rerum superlunarium contemplationem.

Prætereo arctissimam illam & verè Germanam con-

cordiam, qua geminorum instar jugalium cōiunctis viribus laborabant, aut velut conspicuam cœlesti luce bigam unius mentis, unius genij, domicilij, virtutis possessōres vehere videbantur. Sacrum profectō ac venerabile fratrum par unā euntium, unā laborantium, unā medentium geminorum potiùs quàm germanorum. Nihil adduco de liberaliorum iam inde à primis teneræ ætatis annis educatione, & haustis feliciter Christianæ fidei rudimentis : nihil de eius propagandæ studio ac zelo planè singulari, qui naturam ignis sepulti sub cinere imitatus, ad modicam persecutoris auram emicuit, non in favillas sed flammæ. Sibi videlicet ignis semper similis est. Vrendi virtutem in latebris non exiit sed auget, ut exardescat in incendia. Huius impetu agebantur Divi ad ægrorum domicilia, quæ si defecissent, orbem sibi fecissent Nosocomium. Parva hæc ego & singula & omnia in Divis nostris Tutelaribus existimo, tametsi forent summa in alijs. Pro magnitudine scilicet animorum, mensurantur virtutes : & tantò illustrius merentur encomium, quantò graviolem habuerint sectatorem. Unum porrò est quod *Excellentissimos* illos facit sive *Medicos*, sive *Tutelares nostros*, quòd nullis fatigati laboribus, nullis territi Tyrannorum crudelitatibus, omni contentione ac studio purpuram *ambierint* feliciter *Ambitiosi*. successit conatus. Nec oleum perdidērunt nec operam. Quo verò creditis illos ornatos paludamento, quā purpurā prætextatos ? an eā quam cupidi vanitatum venatores dies noctesq; anhelant, quæ Cæsarum Regumq; tegit latera, quæ sæpè sæpius nomini tribuitur non homini, maiorum potiùs quàm morum meritis ; pro qua ingentibus votis levi Fortunæ litatur, eiùsq; basiantur manus flagra subinde in competitores vibraturæ ; quæ plerunq; innocuo tincta sanguine dedocet erubescere ad crudelitatem ? olim sanè paludamenta Regia nullus è Tyro succus, nullus coctus murex ad vota saturabat. Purpura credi non

potuit priusquam humano sanguine inficeretur. Apage hæc crudelissimæ vanitatis portenta, & propudiosos insanæ *ambitionis* ornatus. Scelera gestatorum loquebatur hæc purpura non virtutem; servile ac infra abiectissima mancipia retrusum hominum genus, non dignitatem: & veluti suis præfixa foribus hedera inhumanos denuntiabat mores eorum, qui verecundiâ fronti negatâ, pallium velut occultaturum nefaria scelera, imbuerunt. Venalem sciebant in Tyrannorum ædibus meliorem purpuram Divi nostri, sed non alio pretio quàm eo, quo steterat DEO in carne agenti, imò patienti purpuratorum omnium antesignano. Unam illam esse quæ illustres natales non è parentum cineribus eruit, sed proprijs è flammis statuit tot ornat membra quot tegit, tot erigit nobilitatq; posteritati insignia, quot tortorum carnificumq; expressa fuerit instrumentis. Huc omnis Divorum nostrorum cura, huc omnis contentio & labor collineabant. Videlicet *serpens, sitis, ardor, avenæ dulcia virtuti feliciter ambitionis* conatibus purpuram anhelanti. Imbellis miles qui suum nunquam vidit sanguinem. Ille præ alijs egregius censendus est, è grege licet fuerit, qui adversas in pectore cicatrices monstrare possit, & non semel per incisas Martio ferro venas aperta sanguinis profluvia contestari. Assurge hic anime, & Melitæis illis Cypriæ DEÆ catulis, ovi Ledæi pullis, qui non generosi in pulvere, sed in pulvillo degeneres credunt tamen se per otium adolescere ad felicitatem, oppone magnas animas, invictissimos heroës, purpuratos *Facultatis Medicæ Tutelares Divos Cosmam & Damianum*. Dignum DEO spectaculum geminorum heroum cum verberibus, aqua, igne, saxi, gladio, morte congressio. Archistrategi sui purpurati exemplo procurrununt in maria, ignes, gladios: merguntur, ardent, decertant. Si desint ignes suo muneri & naturam exuant, quærunt maria: si maria se calcanda præbent, profundunt sanguinem, per rubrum mare purpurati

Reges ad pōrtum bonæ spei velificaturi. Age crudelissime Proconsul Ægææ Lysia, multiplica verbera, preme, non opprimes. Jube vinctos in mare jactari, non demerges: venti & mare obediunt ei cui obediunt *Cosmas & Damianus*. Jube flammæ subdi constructæ lignorum pyræ. Experiere in igne non esse Anargyros Cosmam & Damianum, qui sunt Anargyri, & curant sine argento. Quod tibi feralis rogos & pyra, illis est divini amoris distillatorium. In igne argentum examinat divinus Vulcanus amor. Jube implicari vinculis ligari heroës. Non arctatur virtus, etiam inter vincula patentissimos habet campos, & nescio an alibi latiores. Jube distendi equuleo, luxari artus. An credis te posse maiores facere quàm per suæ creverint augmenta virtutis? Per damna ramorum quercus, per vulnera & mutilationes heroës crescunt. Nemo factus est unquam maior, quin fieret seipso minor. Jube sub grandinante lapidum imbre heroës ingemiscere, arridebunt; nequaquam nescij, hos esse lapides, qui aliquando gemmarum vice ac unionum purpuræ futuri sunt ornamenta. Jube demum percuti gladio, cervice minui. Hæc pridem summa votorum fuit; hæc illa pulcherrima heroëm *ambitio* per gloriosum capitis vitæq; mortalis dispendium, per reserata de collo sanguinis profluvia purpurari ad nominis immortalitatem. O laudabilem omninò, & facundissimis dignam encomijs *ambitionem*! O sincerissimum regalæ purpuræ nitorem! O nobilitatem non fumosis maiorum imaginibus, sed exundante proprijs è corporibus sanguine gloriosam. Tu quid ad hæc devota gloriæ ad superstitionem usq; antiquitas? Dabisne Mutios spectatores distillantæ in foco dexteræ? Catones post Lybicas syrtes ludibria serpentium, ejicientes non efflantes spiritum? Socrates neglecto defensorum patrociniò cicutâ se proluentes? Porciam non parenti non coniugi degenerem, cum negasset Fortuna ferrum carbone vitam extrudentem? Vicerunt hi

quidem illud momentum efflandæ animæ, sed eos aut indignatio vicit infelicitioris eventus, aut alienæ potentæ livor, aut maioris mali metus excussit. Deerant animi ad multas mortes, in longa servitute, exilio, paupertate. Hoc non est fortem esse, minora mala deligere; languentis est solamen animi, nec satis constantis sibi. Alios ego dedi hodie, qui paratiores erant ad subeunda tormenta, quàm crudelitas ad irroganda; qui poterant inter dolenda sibi ne dolerent impere, & ipsi quodammodo pœnæ unde nascebatur dolor pœnas infligere, quibus per mille mortes unam mereri purpuram si licuisset, grave futurum non erat. Sed iam ego propè longiùs quàm par erat progressus orationis cursum ut sistam, columnas figo; idest Inclytæ Facultati nostræ Medicæ terminos felicitatis. A Græco Menologo Divi Cosmas & Damianus vocantur Photeinestatoi, styli, kai Pyrgoi aseistator: *Lucidissimæ columnæ & inconcussæ turres*. Ab Andrea Pyra Græco item scriptore, *signa serena atq; illustria*. Ab alio nonnemine gemellum Castoris & Pollucis sydus. Principum signa, quibus veluti fulcris orbis machina innititur sunt columnæ. *Excellentissimi Facultatis nostræ Tutelares Principes* sunt quia Medici, purpurati quia Martyres. Medicorum solidæ doctrinæ hominis microcolmi moles innititur: & annon ideò *Excellentiæ* titulum Medici cum principibus hodie communè habeant relinquo in medio. Sanè ut indigo manum porrigere, prodesse, vitam dare virtutes sunt dignæ Principibus, ita vel propriæ, vel necessariæ Medicis. Purpurati verò sunt nostri Principes, & purpurati in Oriente. Surgentis solis rubor, Orientalis purpura, aureum nobis benignissimorum fiderum favorem, auream pluviam pollicetur. Non est unde meliorem nobis statuamus horoscopum. Associata unitas semper fuit felicitatis prognosticon, imber serotinus fecunditatis argumentum: Peculiaris favor & tutela superiorum, felicissimæ præludium beatitudinis. Verecundiam ve-

rò nobis in vultu colliget hæc purpura nisi *Excellentissimos Tutelares nostros* revereamur ut Principes, honoremus ut purpuratos, sequamur ut Medicos, amemus ut Patronos. Dixi.



INFERIÆ AUSTRIACO- ACADEMICÆ.

Pijs Manibus

Augustissimorum & Serenissimorum Academiæ
Viennensis Fundatorum,

BENEFACTORUM, RECTORUM,
DOCTORUM.

ORATIO FUNEBRIS

Dicta in Anniversario Viennæ Austriæ
Anno 1653.

SI quæ adhuc vobis Animæ immortales, mortalem audiendi facultas conceditur, adeste Magni Manes, *Augustissimi, Serenissimi, Archigymnasij Viennensis Fundatores; Magnifici Domini Rectores, Principes Academici; Reverendissimi Amplissimique Domini Cancellarij; Magnifici Domini Superintendentes; Admodum Reverendi & Clarissimi SS. Theologiæ Doctores Collegij Casareo-Academici Societatis Jesu Rectores; Spectabiles Quatuor Facultatum Decani; Venerandi earundem facultatum Seniores, Clarissimi Quatuor Nationum Procuratores; Illustrissimi, Illustres, Generosi, Nobiles, Sapientissimi*

tissimi, Consultissimi, Excellentissimi, Clarissimi D.D. Benefactores, Doctores, Academici. Adeste, inquam, Magni Manes *Academici*, quotquot iam inde ab Anno Salutis M. CC. XXXVII. denati mundo Libitinæ vectigal corpora vestra tumultu intulistis; & hanc quæ vobis canitur nœnia, quæ vobis dicitur Panegyris, quæ vobis lugubri apparatu eriguntur cenotaphia, quæ vobis funereo igne accenduntur tædæ; audite auribus, videte oculis, æstimate iudicij, probate affectibus, approbate nutibus, laudate linguis.

Sed ô parentalis meæ dictionis frustratum exordium, vanam Apostrophen! quos, qualésve mihi deligo Auditores? qui orbi oculis, auribus, linguis, iam pridem consumpti à vermibus difflexerunt insaniam, obriguerunt in ossa, debita mortalibus omnibus metamorphosi transierunt in terram. Adeste tamen Magni Manes, & quidquid vestri adhuc superest insépultum, incorruptum, immortale, vel superis iam transcriptum domicilijs, vel flammis adhuc repurgandum piacularibus: Vestris ego meritis & in *Antiquissimam Germaniæ Universitatem* beneficijs destinatus Orator dicam sincerius; quando nec aures mulcere, nec oculis fervire, quibus caretis concessum est; dicam liberius quando nec vestra me censura feriet, nec aliena perstringet invidia. Nemo in antecessores tam est impius, ut illis præceptam velit, cuius ipse est gloriæ studiosus.

Quid verò dicam, & unde primum parentalis erumpet oratio? An à vestri doloris causa? absit commemorare piacula, quorum meritis parentatur. An ab ipsa doloris acerbitate? Nolo augere dō-

lendi materiam, commemoratione doloris. An à solatijs, quæ ignium dolores attemperent? sed plurimos vestrum iam cœlo receptos non vanè conijcimus; & si qui adhuc estis temporariis mancipati flammis, alia non optatis solatia quàm ut Academicis Successorum vestrorum suffragijs, velut lacrymis aspersi pio refrigerio ardores minui sentiatis. Hæc hodie quidem ab Academico Senatu, ab universa Academica Juventute consecuti estis impendia, quibus si ego factorum, & meritorum vestrorum laudator accessero, næ ego mihi videbor veterem illam visionem Prophetæ Academicis in theatrum educere, & ossa arida in viros animare.

Vos interim *Academici, Magnifice & Excellentissime Domine Rector, Princeps Academicæ*, cuius quarto auspiciatissimo Principatu hæc primum hodie communis toti Archigymnasio, antecessorum memoriæ sacra, in annos deinceps singulos à successoribus iteranda piè non minùs quàm prudenter suscipiter parentatio: *Magnifice & Reverendissime Domine Cancellarie, Magnifice Domine Superintendens, Adm. Rev. Coll. Cæsareo-Academici Societatis JESU Rector*; cæterique omnes, suis quiq; titulis illustres, *Doctores & Academici*, non tam Auditores, quàm spectatores estote. Procul gemitus, procul lacrymæ: gaudiorum nobis suggeritur materia. Constantem sapienti vultum etiam in acerbissimis doloribus Stoa imperat. Hic verò ne dolendi quidem occasio est, ubi gloriosa maiorum celebratur memoria. Imaginariùm ego Mausoleum benemeritis erigam, pyramides statuam, pauca inscribam nomina: plura posterì. Quadringentorum & septemdecim annorum rectè factis una sufficere non potest Oratio.

Rursum hæreo, Fundatorésne Principes, Duces, Archiduces, Reges, Cæsares commemorem, an viros de re literaria benemeritos, in Archigymnasio cum laude versatos? usq; adeò difficile est vivis de morte loqui. Scio hac in Basilica quondam Fundatoribus universitatis Austriacis, Archiducibus RUDOLPHO IV. ALBERTO III. LEOPOLDO III. communi Reverendissimorum Canonico-
& Universitatis Officio die 24. Julij annuè parentatum; quod iam abolitum, quacunq; temporis iniuria; si ut spes est, piè revocaretur, nihil ego de Fundatoribus dicendum haberem, sed cum de futuris mortales incerti simus augures, non committam ut eorum hodie in Academicis hisce inferiorum primitijs excludatur memoria, quorum favoribus Academici Viennenses duraturam in ævum memoriam sunt consecuti.

Primas tibi RUDOLPHE Archidux Habsburgo-Austriacæ, Magnanime, Ingeniose, Fundator, ALBERTI II. sapientis primogenite. ALBERTI I. Cæsaris nepos. RUDOLPHI I. Cæsaris pronepos, quas se debere tota fatetur universitas, gratias dico immortales. Animam tuam Cælo transcriptam nihil ambigimus, qui etiamnum hac in Basilica, ossa tua integerrima scimus quiescere. A nobis nisi gratam memoriam exigere non potes: hæc vivax adhuc mentium nostrarum inquilina, Pythagorica quadam metempsychosi transfusa in posteros, perennabit. Ac veluti immortalis anima sui corporis membra, ita illa omnium Academicorum individua percurret. Ponimus tamen exuvijs Tuis Mausoleum, non Artemisiæ marmoreum, sed sapientiæ imaginarium: imò & Artemisiæ. Neq; e-

Laz. Pieff.

nim hoc nostrum longissimè abludit ab illo veteri, nisi quod meliorem tegit Principem. In utrôq; stupemus miracula : in illo molem, sumptum, artificem ; in isto virtutum Tuarum Thaumaturgiam, Addo ego frontispicio Epigraphen, quam cordibus præsentium Academicorum inscribo.

RUDOLPHUS IV. AUSTRIACUS

A Carolo IV. Cæsare Augusto, Sôcero
Primus Archidux nominatus ;
Magnanimus, à Principibus ; à doctis ingeniosus :
Ab Austriacis
FUNDATOR

Hoc uno titulo promeritus omnes.
Viennensis Universitatis olim inchoatæ,
instaurandæ

Primus AUTHOR.

In sapientis consilij societatem facilè traxit Fratres
ALBERTUM & LEOPOLDUM.

Quorum ille *Artem*, hic *Martem* toti spirabant,
Divo Colomanno Martyri Austriaco
Mausoleum Regio sumptu erexit.

Divo Stephano Martyri,
Basilicam veterem totam penè diruit,
Ut ampliorem, qualis nunc visitur, excitaret :
Turres utrinq; molitus,
Alterius fundamenta jecit ; brevi perducturus
ad apicem ;

Nisi moras mors iniecisset.

Septennium tantùm animosus Princeps toti
structuræ destinabat.

Quæ *septuagesimo* vix anno

Piesp.
Laz Roo.
Gebuil.
Pies. Ma-
tenesf.

An. 1363.
Roo.
Anno
1363.
Georg.
Eder.

Gundfin.
MS.

An. 1363.
Roo. Piesp

Cœlo minax stetit.

Multum nempè interest, quis quid agat.

Annot. 437
Hastb.
MS.

Præpositum & 24. Canonicos divino deputavit
Officiò ;

Cum quibus & ipse nocturnas sæpè horas,
Clam domesticis, in templo decantavit.

Hæ vigiliæ Archiducis.

Ad longiorem mortis somnum erant apparatus :

Sanctè indormire Princeps debuit,

Qui tam piè didicerat vigilare.

At nunquam fundatur feliciùs,

Quàm ubi Munificentia cœlum provocat
in certamen.

Vix admotus Austriæ clavo 20. annorum Juvenis,
Anno M. CCC. LX.

Fundat Rudolphus in Aulæ foro Basilicam

Virgini Deiparæ Assumptæ,

Fund. coll.
§. 1, MS.

Imò Aulam Divi Leopoldi Marchionis Austriæ
vertit in Aulam Virginis,

Et juxta Carmelitanae Familiæ domicilium
statuit.

Certat eodem Anno cœlum, & fundat

In *Rudolpho*, Serenissimæ Austriacæ Domui
Tyrolensem Principatum.

Tam verum est,

Gebroil.

Omnem pro cœlo munificentiam,

Fœnus esse in terris.

Stetit deinde *Rudolphus* ad gubernaculum
Unico lustro ;

Hastb.
MS.

Ut seculo integro stetisse videatur.

Adeò feliciter Austriam

Rexit, ornavit, auxit.

Erga subditos,

*Ebingev.
Roo.*

Dexteram *severissimam* semper habuit,
Sed tunc maximè cum aureum pluebat imbrem.
Ita ille annorum sex & viginti brevem ætatem
Seculorum factis implevit.

Jussus demum de statione decedere,
Cum se piè ad fessoriam quietem comparassèt ;
Mediolano, quo Cæsari comes abierat,

Die 27. Julij Anni 1365.

Transmisit Cælo animam,
Basilicæ huic à se fundatæ corpus ;
In hac etiamnum est incorruptus :

Quia

Putrescere non possunt,
Qui beneficentiâ emunt Immortalitatem.

Sedens in crypta,
Supremi Judicis expectat sententiam ;
Tam benè suæ causæ confidit.

*Piesp. Ha-
selb. MS.
26. Jul.
Roo.*

Quiescite Magni Manes RUDOLPHI magna-
nimi, ALBERTI, Patris Patriæ, LEOPOLDI Pro-
bi, Fraternæ Triadis Archigymnasij Fundatorum,
quiescite : magnificè laborastis. Nullas vobis oculi
nostri effundunt lacrymas, à quorum oculis om-
nem lacrymam absterfit Deus : nullos vestris ossi-
bus luctus, & doloris pulvillos substernimus, qui
stare aut sedere assueti, nec quidem mortui jacere
voluistis. Nulla sumptuosa erigimus cenotaphia,
quia ipsa hæc vobis tota est cenotaphium Basilica.
Admittite tamen accensas intra pectus nostrum
faces, non funereo fumantes igne, sed æternæ me-
moriæ flammis animatas ; quibus alimenta deesse
nunquam poterunt, quia beneficiorum vestro-
rum largitas, nullis ætatum terminis est circum-
scripta. Quiescite etiam Magni Manes ALBER-
TI II.

*Obijt Al-
bertus
Anno
1395.
Laz. Roo.
Eder.
Leopol.
probus ob.
An. 1386.
Strada.
Laz. Roo.
Matenes.*

TI II. FRIDERICI IV. MAXIMILIANI. I. FERDINANDI I. FERDINANDI II. Cæsarum Austriacorum aliorúmq; Domus Austriacæ Augustæ Archiducum Magni Manes qui Archigymnasium vestrum fovistis gratijs, ornastis privilegijs, auxilijs impendijs, quiescite. Singulis quidem elogia debeo, sed scribent alij felicius; ego intra angustos temporis limites arctatus, quaternas tantum Mau-soleo vestro erigam Pyramides quatuor Facultatum; usus compendio temporis, cum dispendio voluntatis. Vellem siquidem Doctorum, etiam eorum, qui de Archigymnasio benemeriti pridem in tenebris straverunt lectulum suum, lucis afferre aliquid, sed parendum est alieno potius imperio, quam privato affectui. Magnarum cogitationum epitome non potest non esse obscura. Si ego igitur vobis non accendero Theologi Manes. *Lux æterna luceat vobis.* Si nomina vestra non recensuero non curabitis: *nomina vestra scripta sunt in cælo.*

Surge Pyramis in Academicorum vivorum animis, quadra, quia sapientiæ; marmorea, quia perennatura. Primum latus primi Theologi nomen occupet.

Magistro

HENRICO DE HASSIA

SS. Theologiæ Doctori Parisiensi

Primo

Viennensis Archigymnasij Philosophiæ

Professori.

Primo

Theologiæ in eodem Archigymnasio

Professori,

Albertus

II. Ob.

An. 1439.

Fride. IV.

ob. Anno

1493. Fer.

I. obiit

An. 1564.

Ferd. II.

obiit

An. 1637.

Eyer.

Piesp. Stra.

Gebuit.

Maten.

MS.

MS.

Eder.

Primo

Collegij Ducalis Regenti,

Et Anno Salutis.

M. CCC. XCIII.

*MS.**Edero*

Rectori Magnifico, Principi Academico

Qui

*Ferd. Sa-
laz. de
Im. Conc.
Jo. Tritb.
lib. de
scripto.
Eccles.*

Sanctitate pariter & doctrinâ illustris,

In scripturis Divinis exercitissimus :

In probandis sententijs fundatissimus :

In statuendis resolutus : in refellendis acutus :

In dicendo, scribendôq; copiosus & abūdans :

Æternam sibi apud posteros omnes memoriæ
famam comparavit.Ab Acadēmicis Viennensibus statuatam
meruit,

Ob egregiè formatam Juventutem

In Philosophia rationali, & Mathematicâ :

Ob traditam subtiliter annis 12.

*Biblioth.
Acad.
Vienn.*

Theologiam Scholasticam & sacras literas :

Ob relictas universitatis thesauro.

Eruditissimas ingenij lucubrations :

Tomos magnos quindecim,

Minores verò Tractatus supra viginti.

Quid amplius ?

Excedit omnia, quæ de Hassia dici possunt,

Ob assertam ferventissimè

Affectu, calamo, lingua

Immaculatam Virginis DEIPARÆ

Conceptionem.

Illi ergo Viro,

Archigymnasij Ornamento Principi,

Anno M. CCC. XCVII.

*Henr.
Hass. lib.
contra
FF. quos-
dam.**MS. A-
cad.*

In Basilica D. Stephani ad altare S. Joannis

Evan-

Evangelistæ tumulato,
Quod semper debuit,
In suorum animis memoriæ ponit
monumentum

FACULTAS THEOLOGICA.

Quiesce sapiens anima : quiescite Henrici ossa,
& vobiscum reliqui Theologicæ Facultatis illu-
stres Manes Henrici de Oyta, quem unicum Uni-
versitatis Decus, Ecclesiasten egregium, Immacu-
latè Conceptæ Virginis Propugnatorem scripsit
antiquitas ; Nicolai de Dünckelspühel Archiduca-
lis conscientiæ arbitri ; Thomæ de Haselbach, tot
penè voluminum scriptoris, quot annorum (idest
ferè 30) Professoris & Academici ad Basileensè
Concilium triennio Legati, Petri de Pulka, Lam-
berti de Geldria, Thomæ de Argentina, Gregorij
Ariminensis, Friderici Staphyli, Claudij, Jay, Petri
Canisij, Martini Becani, Francisci Amici, aliorumq;
quorum ingenij doctissima opera Archigymnasio
munificâ liberalitate relicta tot sunt, ut nullius a-
manuensis ætate scribi possint : quorum rectè fa-
cta & merita de Republica Christiana tanta sunt,
ut nullius facundia eorum sufficiat argumento.
Erit tamen, erit tempus ; cum in vestra quoq; E-
logia posteritas calamos acuet, & si non pro ve-
stris meritis, pro suis saltem solatijs universitas fa-
mæ pòsthumæ litabit encomia.

Jam verò ut alteram ponam Pyramidem, &
tempus monet, & suo id Jure postulat facultas Ju-
ridica. Quem hic, quem primò nominem, è tot con-
sultissimis viris? non extendam me ultra seculum, &
virum dabo, quo hætenus nihil vidit honoratius
Academia.

GEORGIUS EDERUS

Jureconsultus Cæsareus,

FERDINANDI I. AUSTRIACI

Consiliarius.

Fisci Provinc. Inferioris Austriæ Advocatus.

Vir scientiarum omnium & Artium,

Facultatum omnium nomine

RECTOR MAGNIFICUS.

Qui

Undecimum eo munere functus,

Felicissimè in Academicis honoribus consenuit :

Quali fortuna uno in homine

Multorum fecisset compendium:

Ætate suâ

Cum Joanne Fabro, Fridèrico Naufea;

Viennensibus Episcopis,

Et Petro Canisio Societatis JESU Doctore

Ita calamos acuit in hæresim ;

Ut meritò

Catholicæ Religionis Atlas in Austria

dici possit.

Universitatis Viennensis

Jura, consuetudines, reditus ;

Vigilantia, consilio, autoritate

Conservavit, promovit, auxit.

Virorum adhæc literatorum memoriam

Ab interitu & oblivione vindicavit.

Tandem

Pro Ecclesia, Republica, Universitate

Magnis triginta & sex annorum laboribus

Immortuus

Anno M. D. LXXXVI.

Vitæ inter mortales actæ

Sexagesimo secundo.

Bene

*An. 1557.**pro Theol.**1558. bis**pro Jure**& Med.**1559. pro**philos.**1559. pro**Theol.**1560. pro**Theol.**1572. pro**Theol.**1579. pro**Jureconf.**1580. pro**Theol.**1581. pro**Jureconf.**1583. pro**Jureconf.**Eder.**Guil.**Mannag.**in sup.**plem. Ca-**tal. Redo-**rum.*

Benè tibi sit Magna anima, Georgi Edere :
 meritis tuis par elogium non affero ; quia tu teipse
 tibi es elogium, post facta superstes honoratissimus
 Viennensium Academicorum. Adhuc, adhuc in
 multorum vivaci memoria dicuntur tibi Panegy-
 res in facultatibus singulis, quæ vivum te usq; a-
 deò coluerunt. Ut juri suo cessèrint, ac sponte sua
 Rectorem te salutârint. Imò postulatus es ab ipsis ;
 ut jura illarum conservares, jure titulis omnibus
 Magnus ; Theologus, Jureconsultus, Medicus,
 Philosophus, hoc ipso quia Juris Academici defen-
 sor. Vos etiam Consultissimorum Academicorum
 Manes Georgij Sigismundi Seldij Germanorum o-
 lim eloquentissimi, cui ab Hispano-Austriaco Mo-
 narcha CAROLO V. ad palatinæ portæ vestibulum
 prælata lux lucem dedit apud Historicos sempiter-
 nam ; Joannis de Palomar, cui tantum tribuit Apo-
 stolica sedes, ut Basileensi Concilio Præsidentem
 nominârint ; Joannis Sylvij, Aurelij Siculi ; Michaë-
 lis Lochmayr ; Claudij Cantiuunculæ ; Joannis Lu-
 dovici Brassicani ; Philippi Gundelij ; Christopho-
 ri Pyrckhaimer, aliorumq; Jureconsultorum, qui-
 escite, quiescite.

Man. in MS.

*Eder.
Beyrl.
Lansius.
Consul.
pro f. 24.
Petr.
Crabbe in
Concil.*

Viennensium Æsculapijs tertiam debeo Py-
 ramidem, Quibus, aut cui? omnibus certè ; at iam
 tantum licet.

JOANNI CUSPINIANO.

Excellentissimo

Poëtæ, Oratori, MEDICO, Philosopho,
Historico.

Viro Clarissimo, Sapientissimo, Solertissimo,
Una ingenij arte, artium multarum.

*Mannag.
in MS.*

Qui

M m m 2

No-

Nominis sui etymon expressurus in factis

Acutè

Lusit Poëta, ut delectaret ;

Vibravit sententias Orator , ut stimulet ;

Sauciavit Medicus, ut sanaret ;

Argumentatus est Philosophus , ut probaret ;

Perstrinxit Historicus, ut doceret ;

Semper

CUSPINIANUS.

Aulam

Ignariam quandam Officinam credidit,

In qua & belli & pacis cuduntur instrumenta ;

Aurum à ferro ; rubigo à metallis

Secernitur, dignoscitur.

Accessit :

Et illicò MAXIMILIANUS I. Cæsar

agnovit,

Quam aureum Virum educaverit

Viennensè Archigymnasium.

Arcanæ Consiliorum Alchymie admotus

Solus cum solo Cæsare

Multam sæpè noctem pervigil

Seculum aureum eliquavit Austriacis.

Certè si Historicum.

Hæc inter consilia debuit agere,

Scribere non potuit, nisi

De Consulibus Romanis, de Imper-

ratoribus.

Cæterum securus à Jovis fulmine,

Quia Laureatus.

Plurium Monarcharum limina innoxius adiit,

Ipse tamen doctus fulminare, tonare,

Orator vi dicendi ; Calamo Historicus.

Rarum

*Mannag.
in MS.*

*Bibl. A-
cad.
Vienn.*

Rarum est inter tot ignes non aliquo afflari
Saltem fumo !

Ad Ungariæ, Poloniæ, Bohemiæ Reges
Cæsareus Legatus,

*Mannag.
in MS.*

Urbi Viennensi cum potestate Præfectus ;
Coram Cæsare, tribus Regibus, & septendecim
Principibus Imperij, publico
in confessu.

*Cusp. in
Diar.*

Auditus Orator

Semper sibi similis, sapientum more,
sine fumo, sine furo.

Sic nempè Galenus dum opem fert, non opes
tantum affert,

Sed honores etiam Justinianæos.

Quos inter Cuspinianum Sigalionem mors
esse iussit.

Anno M. D. XXIX.

Virum, à cuius eloquio pendebant Reges !

At non sentiunt Mortis imperia sapientes ;

Nullis quippè monumentis concludi
possunt,

*Epitaph.
ad D.
Steph.*

Qui posteris ingenij sui relinquunt monumenta

Non adstringuntur silentio mortuali,

Qui Typographicæ studuerunt Eloquentiæ ;

Ut perpetuò loquerentur.

Quiesce igitur & tu Joannes Cuspiniane, Ne-
mo est Academicorum, qui vel obliquis oculis tuas
inspexit lucubrationes ; quin illicò Tibi apprecetur,
Cuspiniani molliter ossa cubent. Suspiria mittimus
in tumulum ; si concederent boni cœlites, daturi
etiam cinnama, & totam Arabiæ messëm, in qua
Phoenix Academicæ renascereris. Vos etiam Cuspini-
ano suppare Manes Wolfgangi Lazij de Repub-

lica Romana. De gentium Migrationibus, de Austria, & Austriæ Principibus eruditissimâ librorum bibliothecâ editâ ad omnem antiquitatis cognitionem Clarissimi; Andreae Richili summorum Pontificum Archiatri; Matthiæ Cornacis, qui mulierem, à quadriennali foetus mortui gestatione liberatam, sectione curavit ut denuo prolem conceperit; Bartholomæi Stoberi, qui suspendio enecti corpus Anatomico destinatum experimento, industriâ suâ & fomentis Medicis, velut novus de cælo Prometheus, in vivum hominem redanimavit. Benè etiam vobis Henrice de Woldonis, Galeati de S. Sophia; Nicolae de Herberstorff; Guilielme Pühlinger, Caspare Piripachi, Antiquissimæ Universitatis Doctoribus, Rectoribus Magnificis, spectabilibus Facultatis Medicæ Decanis, Viennensium Aesculapijs, quibus post Cuspinianum suas alij scribent, & perorabunt Panegyres.

*Mannag.
in MS.*

*Eder in
Catal.*

Ego quartam Academico Cenotaphio Pyramidem loco, & Philosophicæ Facultati inscribo, Illustrissimo nomine obsignatam.

Eder.

SIGISMUNDUS LIBER BARO
AB HERBERSTEIN.

Hæreditarius Ducatus Carinthiæ Camerarius
& Dapifer.

Augustissimorum Consiliarius, & Cameræ
Austriacæ Præses:

Trium Cæsarum

Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II.

Ad omnes penè Europæ Principes
Internuntius & Legatus.

Quid amplius?

Desine fortuna enumerare tōt titulos,

Uno

Uno contentus est Sigismundus,
Quod nempe, quoad vixit, præ omnibus est
gloriatuſ;

Viennensis Academici Philoſophi Baccalaurei,
Sapienter!

Sincerioſſimè poſſideri beatitudinem ſtatuit
Ex moribus, quàm maioribus;

Et cæcam fortunam ſponte ſervire Politicæ,
Ubi hæc ſapientiæ face inſtructa eſt.

Philoſophiam morum & vitæ Magiſtram
ſecutus,

In Aulam recto Trieteridis curſu contendit.
Aberrare ab hoc ſcopo non potuit;

Si finis medio proportionatur.

In aulis Auſtriacis ſapientes Principes dictant
Oracula.

Quæ feliciffimè excipiunt ſapientiæ ſtudioſi.

In aula liberalitatem exercuit,

Quam didicerat à Philoſophia.

Argumentum eſto:

Cæteri mortui nihil ſecum auferunt præter
ſeipſos;

Sigismundus mortuus

Septuagenario maior,

Ita nihil omninò ſecum abſtulit;

Ut nec auferret ſeipſum:

Nam etiamnum perennat in Illuſtriſſimis
Poſteris

Sigismundi virtus, ſapientiæ amor.

Bene iterum, iterumq; vobis Illuſtriſſimi Manes
Sigismundi ab Herberſtein. Quiſcite poſt Orbem
feliciter peragratum, poſt deſcriptam eleganti ſty-
lo Moſcoviam, poſt impenſam omnibus penè Acti-
bus

*Ibo. Lanſ.
in conf.
Prov.*

*Georg.
Wernb.
in Carm.
ad ſig.*

Georg.
Wern. in
præf. de
Adm. A-
quis.

Eder. in
Cat.

bus Academicis ac Disputationibus gratiosam præsentiam. Quiescite. Et qui vos velut umbræ, imò umbræ umbram sequuntur Conradi de Calcar, Collomanni Kollbeck, Joannis de Ruspach, Lamberti de Geldria, primorum ab instauratione Viennensis Athenæi post Hassiam & Oytam sapientiæ professorum; Georgij Peurbachij, Joannis de Regiononte, Georgij Tanstetter celeberrimorum olim Mathematicorum, Joannis Alexandri Brassicani, Andreæ Dadij, Martini Eysengreinij acutissimorum Philosophorum, Conradi Celtis, Joannis Stebii, Joachimi Vadiani, Pœtarum quondam lauro, iam cupressò coronatorum, aliorum deniq; omnium è facultate Philosophicâ denatorum. Quiescite Pij Manes, & quas ego primus ad Academicos vita functos Archigymnasij interpretes non possum singulis impendere, ab alijs successoribus expectate panegyres. Ego iam semihorâ vobis propinquior, quam eram cum dicere cœpi, nihil ad vos dicam amplius, sed imaginario meo Mausoleo supremam appingam coronidem. Ad Academicos vivos, ad parentalis pompæ spectatores, Auditores convertatur oratio.

In publico hoc Universitatis totius Luctu, luctum omnem & dolorem proscripsimus, siccis oculis antecessorum Manes spectare iussi. Neq; aliter decuit maiorum facta relegere, qui nostræ vixerunt felicitati, illud potius luctûs occasionem præbeat, si gloriosa illorum vestigia negligimus, & alia semitâ, metam properamus ad unam. Viam universæ carnis universitas nostra tota ingreditur. Breve est nos inter, & sepultos Manes intervallum. Serius aut citius attingemus, quem nobis offeîs di-

gitis commonstrant terminum Maiores nostri; sub falce & gladio vivimus, qui non ut Damocli solum è laquearibus triclinij, sed è conopæo thalami, ex floridis hortorum intexturis, è viridarium frondibus, ex aëre ipso, terrâ, mariq; impendet; casurus tandem aliquando, cum nutu suo DEUS filium abruperit. Hunc qui vultu immoto, explicatâ fronte, serenis oculis excipit, nec cervicem flectit petiturus inducias; is profectò & suæ memor fortunæ vivit, & gloriæ posteritatis, neq; perdit nomen in funere Theologi, Jureconsulti, Medici, Philosophi, Sapientis. Premamus Maiorum vestigia Academici, ne decretoria illa dies nomen nobis adimat sapientum. Non adimet, si nullâ non horâ præstolabimur tubam Judicis, VENITE. Infelices adhuc sumus, sed optimo cuiq; felicitatis principium est finis mortalitatis. Ad Hilaria tunc alacres nos evocari sentiemus, & claudemus supremam vitæ periodum olorino VIXI.

Dixi.



PANEGYRICUS
FUNEBRIS

In Exequijs

REVERENDISSIMI
D. JOANNIS AUGUSTINI
ZWERGER,

Phil. & Juris utriusq; Doctoris Sac. Cæs. Mai.
Confiliarij, Cathedralis Ecclesiæ Viennæ Austriæ ad S. Ste-
phanum Præpositi, Decani Kirembergensis, Episcopa-
tus Viennensis Officialis & in Spiritualibus
Vicarij Generalis.

Dictus Viennæ in Cathedrali
Anno 1648.



Atalis est hic annus Universitati nostræ, *Ma-
gnifice D. Rector, Procere Academici, Spectabi-
les Facultatum Decani, Doctores Clarissimi, Or-
natissimi Domini Domini Auditores Academici.*
Summos Reip. nostræ viros, *Principem Aca-
demicum, & Cancellarium,* is qui supra Magni-
ficos totius *Rector* est *Universitatis* exauthoravit. Unum (si
locus aliquis in cælo votis restat Academicis) optandum
est, ne in circulum redeat, qui tam fideliter servat ordinem,
cùm in ordinem redigit. Quanquam post geminam tanto-
rum virorum jacturam, sera nimum yota videri possunt.
Subla-

Sublato è vivis *Rectore Magnifico*, non alia maior potuit expectari calamitas, quam ut pone sequeretur mortuum, qui vivum proximè sequebatur : Fortasse metuebant boni superi, ne maturè nimis luctum deponeremus, quibus nunquam deest copiosa lugendi materia. In deterius pronos ad officium geminatæ revocant calamitates. Sæpè qui uno telo saucius non ingemuit, alterius dolori cessit. Fortasse usq; adeò cœlo grata fuit Magistratûs nostri concordia, ut paribus pro utroq; calculis suffragia ferret. Solent candidos pro amicis calculos mereri amici. Unionis amantissimi cœlites, non faciliè dissolvunt vincula humanitatis. Fortasse receptus cœlo *Rector Magnificus*, diviniore expertus delicias, annuit *Cancellario suo*, eâdem secum, si sequi non abnueret beandum felicitate. Quos paria ligarunt voluntatum studia, ægrè seiungit locorum disparitas. Et philtrum quoddam amoris sunt cœlestes deliciæ, quas qui habet, non vult habere solus. Ut ut sit ; viduata est Respublica nostra, *Rectore* nuper, hodie *Cancellario*. Geminum funus, gemina nobis acerbissimi doloris materia. Nempe & is qui *Magnificè* alijs *Licentiam* impertiri solebat, *Licentiatus est* : cuius *authoritate & consensu*, literarij honores dispensabantur, *exauthoratus*. Vixit ergò *Reverendissimus & Amplissimus D. Joannes Augustinus Zverger, Philosophiæ & Juris Utriusq; Doctor Sac. Cæs. Maj. Consiliarius, Cathedralis Ecclesiæ Viennæ ad S. Stephanum Præpositus, Decanus Kirembergensis, Viennensis Episcopatus Officialis, & in Spiritualibus Vicarius Generalis*, & (quod nec ego sine doloris sensu dicere nec audire debent Academici) *Antiquissimæ ac Celeberrimæ Universitatis nostræ Magnificus Cancellarius*. Vixit inquam (nisi fallor) quartâ Septembris die Kirembergæ. Imò fallor. Nec quartâ Septembris die, nec Kirembergæ. Viennæ obiit. Diem nescio : annum scio. Quemcunq; enim eius vitæ annum dixerò, verum dixi. Si 1588. quo primam in terris aspexit lucem, jam tunc

moriendi fecit exordium, quod ad supremam nuper deduxit periodum. Prima in terris dies mortalibus mortis est initium: incrementis nostris paria sociantur decremента; novis auctibus novæ decessiones, & dum per momenta vitam protrudimus, per eadem momenta properamus ad finem. Nulla non dies gradus est ad terminum. Quæcunq; horula quam vivendo exigimus, decedit vitæ, accedit morti. Ultima stilla clepsydræ non exhaurit sed finit. Si annum quo in *Viennensi Archigymnasio publicus Philosophiæ Professor* Peripateticam cum dignitate cathedram occupavit; iam tunc etiam moriebatur. Assiduâ quippe repetebat memoriâ à sapiente discrimen constitui longam inter vitam & bonam: hanc paucis contingere, amari illam à plurimis, non tam sapientibus, qui amare quod nemini concedi solet, supervacaneum putant. Identidem ergo sibi met non vanus augur occinebat: *Moriendum est.* Et sanè *vera Philosophia* si Platoni credimus *mortis est meditatio*, Sapientissimè Philosophatur qui recogitando mortem, moritur ante mortem. Ingeniosissimum æstimo qui moriendi scientiam assequitur; utpote unam omnium difficillimam, quia experientiam non habet nisi unam. Longâ opus est speculatione, ut benè addiscatur quod citò fit, & tantum fit semel. Omnis nostræ difficultatis punctus mori est, & instar mediæ termini, cum quo si extrema non benè conveniunt malè argumentantur mortales. Sapientissimè Philosophatus est *Joannes Augustinus*. Diù ac sæpè argumentatus est ad hominem, cum se mortalem considerabat, non quamdiù sed quàm benè viveret sollicitus. Diù ac sæpè speculatus est, ut illa ex præmissis rectè sequeretur conclusio, quam solus distinguit Deus. Quo sanè Philosophandi genere consecutus est, ut una scientiâ omnes complecteretur scientias. Theologus mihi est qui ultimos speculatur *humanos actus*. Juris naturæ peritissimus, qui studet naturæ meliorem animum restituere, quàm acceperit:

Excellentissimus Medicus, qui communi mortalium ægritudine longioris vitæ desiderio mederi potest. Altris non asteriscis digna sunt illius Opera Mathematici, qui maturè suum sibi delineat Horoscopus, & ex parallellis vitæ ac mortis lineis, spei suæ colligit magnitudinem. Rhetorem non dicam, qui inter Oratorium *dixi*, & humanum *vixi*, exiguum agnoscit discrimen intercedere? Poëtam non appellabo, cui juxta naturæ præcepta Mors syllaba communis est? Lauro se coronat, qui feralem capiti apponit cupressum, ne ad fatale vitæ arbitri fulmen cohorrescat. Jam verò si annum mortis eius dixerò 1618. quo Cathedralis huius Ecclesiæ Canonicus renuntiatus est, etiam tunc moriebatur. Divinis se mancipare obsequijs, & illa suscipere negotia, quæ cum solo tractantur DEO, nihil cum terrena vita commune habet. Unica hæc occupatio est, cui mortis conveniunt auctora-menta pariter & vitæ. Prælibatio quædam veræ beatitatis est cum Deo familiaritas. Non agit in terra suæ pulchritudinis propolam DEUS, ex qua ijs solum jucundum exhibet spectaculum, qui ut nubes volant, & in terram non cadunt. Imò veriùs quia frequenti originis suæ memoriâ in terram cadunt, omni terrâ & nube sunt superiores. Si deinde annum 1636. quo eiusdem huius Cathedralis Ecclesiæ Decanum coepit agere, omninò iam se mortuis adnumeraverat. Usq; adeò frequenti memoria computabat debitum, quod in prima lucis usura contraxerat, & componebat litem priusquam mortuorum Judex forum indiceret, & juris utriusq; Doctore in Jus Divinum vocato, de summa rei pronuntiaret. Neq; enim nesciebat incerti esse temporis, quæ concederentur induciæ; nemini quem ad tribunal natura citaverit aperiri comperendinum diem. Si deniq; mortis eius annum dixerò 1640. quo auspiciatissimis suffragijs, & Ecclesiæ huic Præpositus, & Universitatis nostræ Cancellarius iustus est, nihil aberravi, in maxima negotiorum & officiorum mole, cui

pares semel suppositos humeros subtraxit nunquam, unicum tamen quasi videbatur suscepisse negotium salutis suæ, & decretoriam illam diem nullâ non die præcogitare; maximi momenti ratus, scire utiliter momenta vitæ cum mortis dividere. Quorsum enim spectabat illa tam assidua pretiosi temporis vindicandi cura; quando ne vel quadrantem otiosum dimitteret precatorios Marianarum laudum, ubi ubi vacaret, volvebat globulos, & illam à longè salutabat, quam devotis proximam noverat esse agonizantium matrem. Ita videlicet utebatur quasi indigeret tempore, cum totum haberet simul. Nec horâ quidem indiget, qui quotidie vitæ suæ supremam imponit manum. Quorsum illa non nisi gravioribus morbis interrupta devotio, quæ velut abiturus quotidie divinum sumebat viaticum, quotidie DEI hominis sepulchrum factus, de suo cogitavit sepulchro. Quorsum illa corporis tam severa ac dura tractatio, & propè ad contemptum neglectus? Audite posterî virtutem occultatam, sed hoc ipso nobiliorem quod subductam humanis oculis, contentam divinis. Pretiosissima quæ sunt latere amant. Annuis Dominici Adventus & Quadragesimæ ferijs ex diurno fatigata labore membra, non in mollem pulvillum, aut cygneas plumulas, sed in malè fartum duro stramine ac paleis saccum reclinabat, quasi pomum se esse crederet ex vitæ arbore deciduum, quod in stramine ad maturitatem reponi deberet. Quorsum etiam illa sanctè constantèq; servata in persolvendo divino penso orandisq; quotidianis horis Officij consuetudo, cum sibi oraturo mortualis calvæ fabricatam effigiem proponebat? Quorsum deinde illa sollicitudo præpropera, & fortassè multorum iudicio præcox, cum in ætatis flore, vitæ suæ (quam id temporis alij sperare primum incipiunt) diffidens, conscriptas, signatasq; ultimæ voluntatis tabulas quaqua iter caperet, circumferebat? Quorsum deniq; illa tam matura sepulchralis loci designatio, & fune-

bris olim morituræ Epigraphe ? Nimirum hæc eo spectabant, ut Joannes Augustinus non censeretur inter vivos amplius, sed mortuos, quos inter certiozem sibi ac diuturniorem parari noverat stationem. Nullus dubito didicisse hanc artem ab Austriacis suis Viennensem. Sanè *Maximilianus I. Austriacus* triennio ante mortem funebrem capulum è querno ligno arcæ viatoricæ inclusum ubiq; secum circumferri voluit. *Carolus V.* illud belli fulmen, ut divinæ fulmen evitaret sententiæ quinquennio intègro Sarcophagum cum omni funebri supellectile, quacunq; seu victor graderetur Gradivus, seu pacificus Monarcha suos inviseret, clanculum deportari curabat, & noctibus singulis velut thesaurum nemini creditum in suo reponi cubiculo. Ita Maximorum breve iter per exempla secutus *Joannes Augustinus* & firmatas testamenti tabulas ubiq; secum circumtulit, & Epitaphium in columna velut gloriosum Victoriæ de se ipso relatæ, ac triumphatæ pridem Zoiphiliæ tropæum appendit : salubre iam ipse quoq; exemplum alijs, quia ante mortem mortuus, ad illud sæpius aperuit oculos, ad quod suos longioris vitæ avida senectus occludere solet. Nihil miror amplius olorum lessum, quo suo ipse non invito prælusit funeri. Diu ac sæpè didicerat quam semel benè mortem experiretur. Sentiebat moriturus in vitæ suæ Breviario ad Completorium ventum, quare Divi Tutelaris sui *Augustini octavam* celebraturus in cælo cum se crucis munisset signo, lætum in divinam promptus voluntatem accinuit : *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Simul cecinit simul dixit & vixit. Credo ego *Academici* stupuisse mortem, cum adeò exercitatum in arte omnium difficillima Veteranum experta est, quem sperabat Tyronem. Malè igitur existimavimus nuper primum è vivis abiisse *Cancellarium* nostrum, & viam signasse numerosissimæ posteritati. Pridem viator fuit ; nuper solum pervenit ad terminum ; cum illi non erepta vita sed melior

reddita ; non consumptus spiritus, sed emissus ad certiora ; non Libithinæ traditus sed libertati assertus. Neque verò, licet à nobis abierit, *Cancellarium* perdidimus *Academici* ; neq; *Præpositum Ecclesia Cathedralis* ; neque *Decanum Kiremberga*, neque *Consiliarium Majestas Cæsarea*. Solum *Joannem Augustinum* nobis abstulit *Joannes Augustinus*. Et alterâ quidem parte terræ restituit, alterâ cælum auxit. Supremi Imperatoris nutu jussus de statione sua decedere *Universitatis & Ecclesiarum* curam, donec alteri consignet, non deposuit, sed feliciorē suscepit. Adscriptus Beatorum Consistorio propensus manet in terras, & propitia nobis sidera in felicissimas disponit influentias. Utinam *Academici* mihi liceret tantum virum celebrare pro meritis, ornare pro expectatione vestra, explicare pro nepotum & cognatorum solatio, pro meo desiderio venerari. Sed ô Te caterâ felicem *Joannes Augustine*, in hoc tamen (si postquam felicissimum Te esse non ambigimus licet dicere) infelicem, quod vel tam sterilem, vel tam serum nactus sis ad Tuas exequias Oratorem. Possẽm fortassẽ in hanc diem servatus, in hoc Tibi debitum obsequium natus videri, cum idem omninò annus quo Tibi in hanc ædem Canonico primus ingressus patuit, mihi primam vitæ lucem ostenderit. Sed ô vel Te alienæ laudis non indigum, vel me infortunatum ! Eo primum anno in hac æde Orator audio, quo Tu primum Oratoribus semper alias apertissimas aures accommodare non potes. Nempe in hoc natus sum ut surdo Tibi fabulam canerem, vitam Tuam maximè seriã, minimè fabulosam : Tu in hoc denatus ut imparem me Tuis laudibus ostenderes Oratorem. Non diffiteor, sed ab impari etiam sæpè sincera venit laudatio. Nec suum ab Oratore pretium deposuit Panegyris, si quod est ab argumenti amplitudine consecuta. Multi tametsi DEO impares DEUM tamen non inutiliter laudaverunt. Scio verò consilium Tuum. Non vis audire Oratorem peregrinum,

qui

qui habes domesticos. Non vis audire unum rogatum à Tuis, qui vivus Tute Tibi ipsi plurimos conduxisti. Nihil opus *Academici* mea Panegyri. Habet, habet suos oratores *Joannes Augustinus*. Habet copiosos pauperum & pupillorum lacrymas, quibus largissimam sæpè manum explicuit. Disertissimæ ad persuadendum egenorum lacrymæ, quæ etiam mortuos, qualis erat ab annis pluribus *Joannes Augustinus*, movere possunt. Habet Venerabilis Capituli concordem sensum, quod quæ multorum fatigassent ingenia occupationes, à *Joanne Augustino* susceptæ fuerint feliciter, felicius exantlatæ. Habet æquissimum cognatorum, & Nepotum dolorem, qui non Præpositum, non Decanum & Cancellarium, sed alterum suum in terris parentem, vivum virtutum exemplar, absolutam statûs Ecclesiastici normam, solertissimam ad omnem pietatem Magistrum obitu præquam maturo ereptum dolent. Hi sanè si loquantur (ut absit omnis Orator) & ad commiserationem movebunt animos, & ad gloriosam sequelam flectent, & digna tanto viro encomia in omnium cogitationibus generabunt. Videtis ipsi piæ flumina eloquentiæ, videtis Oratores pullo amictu vestitos. Fallor nisi vobis quoq; jam persuaserunt, quod pridem sibi, ut *Cancellario vestro* suprema gratitudinis faciatis impendia, eiq; dormienti lacrymas pro pulvillo aut pulveribus substernatis. Molli ter cubabit qui pro pulvillo suorum incubabit lacrymis. Suaviter quiescet, qui liquido & semper duraturo tegetur monumento. Ego verò cum in illo verfer stadio quod perangustis paucorum dierum inclusum cancellis, non sinit me liberè exspatiari quâ vellem; habenas contraho, & satis mihi dixisse videbor, si fatear ingenuè muneri me hodie meo primum defuisse. Debui dicere quod dixi: non tamen dixi quod debui; compendio quidem Orationis meæ, sed injuria temporis, & damno voluntatis. Quanquam esto dixissem *Reverendissimum Præpositum, Magnificum Cancellarium, Cla-*

rissimum Doctorem, sapientissimum Consiliarium, nisi dixissem, Joannem Augustinum nihil dixissem. A tot honorum punctis unica tantum Mors ultima linea rerum duci potest. Quam quia ego celer nimium Apelles penicillo meo ita duxi, ut possit non unus Protogenes suam feliciter superinducere nihil Dixi.

PANEGYRICUS FUNEBRIS

ILLUSTRISSIMO ADOLESCENTI
MICHAELI ADAMO
BAPTISTÆ,

S. R. I. Comiti ab Althan

Principi Juventutis Academicæ

Dictus Viennæ Aſtriæ Anno 1648.



Cerbum est parentare, cui pro velle non possis, inhumanum cui pro posse non velis. Ubi ad facultatis arbitrium voluntas flectitur, officium citra inhumanitatis periculum non exercetur. Sed gravioris delicti se reum facit qui minus vult, cum minus potest. Funebria iusta solvimus Academici *Principi Juventutis*, nuper Rhetori jam ut speramus Oratori, & pro Domo sua & pro nobis. Officij mœsti genus meruit rara virtus, indixit affectus. Hæc uni mihi demandata est Provincia, sed operosum est celebrare Panegyri quem nec vivum, colere pro merito quisquam

potuit, nec flere defunctum, Frustra ego mihi operæ pretium polliceor, & jejunos Orator, & consumptis iam lacrymis ineptus ad luctum, ubi aliorum non modo animi, sed etiam oculi in suo munere desperarunt. Quid quod communem omnium vestrum causam agere debeam, non meam privatam : difficile est suo se exsolvere debito, temerarium velle alieno. Ad lacrymas tamen reos provoco : Et si mihi de Illustrissimi Juvenis virtute non licet loqui eximiè, eximiè tamen sentire concessum est. Ad lacrymas inquam pietatis in Principem Juventutis stipendia, ad quas suo exemplo nos cœlum provocavit. Nam quo tempore citabatur ad divinum Consistorium Academicus noster, tenui matutini roris lapsu distillavit, quasi lacrymas nobis sufficeret, quas ex nobis æquales meritis non possemus effundere. Sed suspectus hic instructor est, qui aliud docet, aliud agit. Cœlum nos flere docet ; lætatur : lacrymas in funere nobis præscribit, proscribit sibi : Thesaurum nostrum tollit, auget suum : hortum nostrum nobilissimo flore viduat, exornat Paradisum. Verùm facile cœlo ignoscimus : sine pluvia occumbere non debuit, tam serenum Juventutis Academicæ sydus. Autumnum declinare in exitum mors recordata, quod crevisse sciverat in horto nobile decerpit pomum. Maturum certè fuit, & dignum pro quo certaret non Dearum Trias, sed Cœlum & Terra. Certavit citra discrimen jurgij. Pronuntiavit supremus arbiter, & terræ corpus, cœlo animam jussit restitui. Nullum hinc metuat Troia nostra excidium, sua sorte contenta terra est, sua cœlum. Nos verò Academici amissimus *Michaëlem Adamum Baptistam S. R. I. Comitem ab Althan*, Juvenem Illustrissimum ; verè Illustrissimum quarumcunq; comparatione virtutum. Non relego Annales maiorum, morum æstimo integritatem : quanquam & inde copiosa mihi messis caderet laudationis. Amissimus *Michaëlem*. nomen Angelicum non debebatur terris. Amissimus *Adamum*,

sed non exclusum est Paradiso, quia nunquam violatorem innocentiae. Amisimus *Baptistam*, quo inter Academicos non surretis maior. Vos ipsi fatemini, qui vobis de magnitudine suspecti estis. Denique amisimus (quod plures meretur lacrymas, quam possimus vel solliciti impendere, vel commoti sperare) amisimus vivum exemplar virtutum omnium. Sancta veritas! nihil nihil alienum à Te scripsit Illustrissimus Juvenis ex Michaëlis commilitonibus, cum scripsit defuncto compendiosum elogium. *Angelicam egit vitam, humilis fuit, exemplo praeiit alijs, errantes instruxit: denique ut paucis complectar verbis Angelus fuit in omnibus actionibus.* Circum habeo definitum: campum non ingrediar, ne ingrediar Labyrinthum. Quanquam hic ipse circus omni campo mihi spatiosior est, ut cogar in illo circulum quaerere, & parvis labris ingentem delibare virtutem. Quid de Angelica puritate dicam? Ex ungue Leonem, expugno Herculem divinitate. Juveni nobili joco puellae cuiuspiam solum nomen obijcanti, cum etiam cogitationes eius à gynæceo abhorrent, in Græcensi sacrario piè sacrilegus generosum infregit colaphum. Quid de pietate & frequentissimo sacramentorum usu? Deum sub panis speciebus velatum nec ad cancellos, nec ad subsellia, ut ceteri, aeclinatus, de plana humo, sponte nudatis genibus adorabat. Quid de libera illa & fructuosa pariter errantium correctione, cum versaretur inter juvenes, velut Censor in Romano confesso? Palam non semel reprehendit fucato praetextu suam colorantes malitiam. Quid de amorum conciliatrice morum suavitate, & simul penè dixerim Catoniana gravitate? Versabatur juvenis inter senes velut Augustinus cum Ambrosijs, Alipius cum Augustinis: inter juvenes velut Cassianus cum Dorotheis, Benedictus cum Mauris. Quid de illa nunquam satis de praedicanda patientia, quam vel in extremo morbo pientissimis suspirijs testatam fecit: *Benedictus* (exclamavit non semel) *Benedictus Deus,*

Deus, quod hanc mihi dederit infirmitatem. Quid de illius conjunctissima cum Deo voluntate? Rogatus si optio daretur mori ne mallet an vivere? respondit: *In sinceritate cordis vellem quod Deo placeret.* Quid de heroico mundi contemptu? Jam votis adstrictus annulum aureum Illustrissimæ parenti restituit, adjecitque: *Auro non amplius utar.* O dignissimas voces æternitate! Ô aureas gnomas! Quid dicis juvenis integerrime? *Non amplius auro!* Imo iam primo radiare auro incipies cum aureos tuos mores cælo inferens auro splendor emicabis. Nimirum ad hæc Te Tua impellebat animi modestia, & profunda infra omnes commilitones demissio, quam qui velit digno penicillo depingere, annos sibi optet, aut quantum Tumetipse merebaris ætatem. Plura Academici, solent in alijs conquiri facinora, ut vel uni sufficiant Panegyrico; in *Michaële Adamo Baptista* singula fuerunt tam magna, ut plurimis esse possent Panegyricis argumenta. Vivit, vivit adhuc in animis & oculis omnium nostrum; imò in lacrymis velut speculari crystallo relucet profundissima nobilissimi juvenis demissio, qua neminem videbatur se inferiorem, omnes superiores agnoscere; ita mediastinos ac plebeios æquè ac nobilissimum quemq; non amore solum prosequeretur, sed honore. Quoties vidimus cum infimæ fortis juvenibus suavissimè conversantem, eorum salutis procurandæ studio, & illis non rarò deferre, quos nobilitas cætera vix oculo dignari solet. Quoties vidimus in Oratorio Sodalitij ad Præsidis pedes in genua provolutum, palàm erratorum suorum veniam (si quæ tamen admisit) non sine animorum nostrorum motu petijssè. Quid verò commemorem, quod insignia illa animi ornamenta, pulcherrimarum virtutum actus (Deus bone quantas participatæ divinitatis opes!) quantum potuit incrustare laboraverit, & oculere. Sed quod soli accidit cum se non potest intra nubes ita abscondere, quin aliquando per rimas prodat, ita Illustrissima

in Illustrissimo Juvene virtus, quo magis celabatur, hoc gratiosius promicabat : reddebatq; Michaëlem velut solem à nube & Eclypsi gratiorem. Quid quod commendabili planè ignorantia, & multis præferenda scientijs virtutes multas habuerit, quas vel tales non agnoverit, vel agnoscere ex demissione noluerit, quasi jam ita traxisset in assuetudinem, ut naturam induerent ; seq; tantum iam didicisset infra alios demittere, ut in se non se amplius sed alium contempleretur. Non errasti Angelice juvenis : Angelum quippe circumtulisti in tuo corpore : *Angelus fuisti in omnibus actionibus*. Contractione ad modestiam, extensione ad actus heroicarum virtutum. Familiare illi sive in scholis sive in templo neglectis Nobiliorum subsellijs reliquæ accenseri turbæ ; & illorum semet collocare in numero, è quorum numerosè non esse, gravissimè non semel indoluit. Et porrò ut talis etiam ab alijs æstimeretur ingeniosè contendit. Cum enim nomen suum subscriberet (quod ipsi in Scholastico penso vidimus) parerga omnia nobilitatis, & magnorum nominum phalaras rescindebat : ut nisi nosses, plebeium putares. Poterat subscribere. *Michaël Adamus Baptista S. R. I. Comes ab Althan* : at prætermittis cœteris solum scribebat : *Michaël Althan*. Non errasti Angelice Juvenis. Michaël Angelicum nomen, satis expressit quis esses : *Angelus fuisti in omnibus actionibus* : O virtutem ut raram in tam nobili sanguine, ita summis æquè ac infimis suspiciendam ! illis ut imitentur, his ut sapiant ad sobrietatem. Sed obruit me domesticæ submissio- nis magnitudo, convertor ad peregrinam. Loquatur nobile illud literarum emporium, Loquatur Athenæum Græcense. Scio quod acerbissimas nuntius, qui Michaëlem nobis ereptum retulit, ingenti illic mœrore affecerit universos. Scio quod cladi nostræ velut suæ, imò & suæ, maximoperè ingemiscant. Nempè & illis rari exempli norma erepta est. Lugeat defunctum quem suspexere vivum : & fortè nec

tunc cohibuerunt lacrymas, cum tenellum nobilissimo natum sanguine, ad omnem virtutem factum, ad summa omnia natum adolescentem, vel pœnali sacco velatum qua nodosis flagellis in tenerum sœvire corpusculum, qua sub gravi cruce penè collabascere; vel scopis armatum (efflictim postulata ab arbitris licentia) palam inspectantibus Academicis aream Academicam everrere; vel in schola infima inter Elementariorum risus genibus flexis pœnam aliquam postulare viderunt. Deum immortalem quam vel unica sui abiectio copiosam mihi exhibet materiam, ut cogar non Michaëlis funeri sed nostro dolori parentare. Succisum tam nobile, ferax, amœnum, illustre germen mortis falce lugendi potius, quam ludendi est argumentum. Emeritus Rhetor candidatus Philosophiæ, quem Mortis non timet *Ergo*, è circulo ad centum abiit, è terra ad cœlum. Ita feliciter in uno termino omnes terminos comprehendit. Si cadaver faccus est: iam mors eius in sacco est, in cœlo vita. Beatus sanè, quia medium tenet, è Peripatetico factus Pytagyricus perpetuum sibi indixit silentium: quia conclusit in *Forma*, sed iam vel maximè loquitur, nunquam alios facundior: facto nos monet, cum sedere non vult ad Cle-anthis lucernam; meliorem esse in cœlo Philosophiam ubi est *eterna sapientia & lux æterna*, quam in terra ubi est *Logica* per anagramma *caligo*. Auditus sæpius è theatris & exedris, non sine gratia, non sine majestate, nec sine applausu, nec sine lacrymis. Egit semper benè, nunc optimè, & suam conclusit fabulam: quia commodo suo, plausum date; quia damno nostro, dolete. Exspectavit tamen donec Pax sanciretur Germaniam. Possumus nunc, quod pridem nulli licuit sine veri discrimine dicere: *Requiescat in Pace*. Diem ipse sibi scripserat, & horam septimæ Novembris septimam, ut peroraret in *Congregatione Mortuorum*. Timuit illum mors ferire, ne profanaret Sabbathum Marianum Rectoris Maria-

ni, sed ipse, ut sanctificaret sabbathum *Requirit à laboribus suis. Requiescat* ergo innocentissima anima in *Pace* nostra, eique exoret constantiam : in *pace sua* eiusque fruatur æternitate. Ego verò ut meo defungar munere, quod non nemo de suo Belgio, veriùs dicam de Michaële. Juventus Academica Urbis Viennensis cœlum est, cœli huius sol *Michaël*. Juventus Academica Urbis huius annulus est, annuli huius gemma *Michaël*. Juventus Academica Urbis huius oculus est : oculi huius pupilla *Michaël*. Juventus Academica Urbis huius Paradisus est ; Paradisi huius delitium est *Michaël*. An me infelicem ! quid dico est ? non est, sed fuit. Odiosum hoc dissyllabum, & rem nobis & spem abstulit felicitatis. Nescio enim an habitura sit aliquando posteritas, quem Michaëli possit componere ; illud scio retroacta tempora vix habuisse.

DIXI.



INDEX I. DISCURSUUM.

Discursus I. Dominica Pentecostes.

Osculum Pacis.

Thema. Pacem meam do vobis. *Ioann. 14.* pag. 1.

Discursus II. Dominica SS. Trinitatis.

Sydu8 Beneficum.

Thema. Data est mihi omnis potestas. Eunt8 ergo docete. *Matth. 28.* pag. 14.

Discursus III. Dominica I. post Pentecosten.

Apotheosis.

Thema. Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est. *Luca 6.* pag. 27.

Discursus IV. Dominica II. post Pentecosten.

Eleusinia Christiana.

Thema. Parata sunt omnia. *Luca 14.* pag. 41.

Discursus V. Dominica III. post Pentecosten.

Sepulchrum Ambulans.

Thema. Erant appropinquantes ad JESUM Publicani, & Peccatores. *Luca 15.* pag. 52.

Discursus VI. Dominica IV. post Pentecosten.

Labor Asininus.

Thema. Tota nocte laborantes nihil cepimus. *Luca 5.* pag. 65.

Discursus VII. Dominica V. post Pentecosten.

Flagellum Flagellatum.

Thema. Qui autem dixerit fatue; reus erit gehennæ ignis. *Matth. 5.* pag. 77.

Discursus VIII. Dominica VI. post Pentecosten.

Antithesis Beneficentiæ.

Thema. Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. *Marci. 8.* pag. 90.

Discursus IX. Dominica VII. post Pentecosten.

Martyres Diaboli.

Thema. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Matth. 7.* pag. 103.

Discursus X. Dominica VIII. post Pentecosten.

Lapis Philosophicus.

Thema. Facite vobis amicos de Mamonna iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, *Luce 16.* pag. 115.

Discursus XI. Dominica IX. post Pentecosten:

Risus Sardonicus.

Thema. Videns civitatem flevit super eam. *Luce 19.* pag. 131.

Discursus XII. Dominica X. post Pentecosten.

Stultitia in Epitome.

Thema. Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic Publicanus, *Luce 18.* pag. 146.

Discursus XIII. Dominica XI. post Pentecosten.

Superbia Sancta.

Thema. Et apprehendens eum à turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius. *Marci 7.* pag. 159.

Discursus XIV. Dominica XII. post Pentecosten.

Medicamentum Compositum.

Thema. Approprians alligavit vulnera eius, infundens oleum & vinum. *Luce 10.* pag. 173.

Discursus XV. Dominica XIII. post Pentecosten.

Memnonis Statua.

Thema. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum. *Luce 17.* pag. 186.

Discursus XVI. Dominica XIV. post Pentecosten.

Philomela Concertans.

Thema. Respicite volatilia cæli : nonne vos magis pluris estis illis ! *Matth. 6.* pag. 201.

Discursus XVII. Dominica XV. post Pentecosten.

Horologium Achaz.

Thema. Et defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Et ait : Adolefcens, tibi dico, surge. *Luce. 7.* pag. 216.

Discursus XVIII. Dominica XVI. post Pentecosten.

Gehenna Anticipata.

Thema. Et ipsi observabant eum. *Luca. 14.* pag. 332.*Discursus XIX. Dominica XVII. post Pentecosten.*

Statera Amoris.

Thema. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Matth. 22.* pag. 245.*Discursus XX. Dominica XVIII. post Pentecosten.*

Venatio Muscarum.

Thema. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris. *Matth. 9.* pag. 258.*Discursus XXI. Dominica XIX. post Pentecosten.*

Textilis Ventus.

Thema. Quomodo huc intraisti non habens vestem nuptialem. *Matth. 22.* pag. 272.*Discursus XXII. Dominica XX. post Pentecosten.*

Carcinoma Voluntarium.

Thema. Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur. *Ioan. 4.* pag. 289.*Discursus XXIII. Dominica XXI. post Pentecosten.*

Anthropophagi.

Thema. Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. *Matth. 18.* pag. 305.*Discursus XXIV. Dominica XXII. post Pentecosten.*

Meum & Tuum.

Thema. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Matth. 22.* pag. 317.*Discursus XXV. Dominica XXIII. post Pentecosten.*

Musica ad Tactum.

Thema. Domine filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam, & vivet. *Matth. 9.* pag. 335.*Discursus XXVI. Dominica XXIV. post Pentecosten.*

Paroxysmus Salutaris.

Thema. Orate, ne fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. *Matth. 24.* pag. 350.*Discursus XXVII. In Dedicatione Templi.*

Templum in Templo.

Thema. Hodie in domo tua oportet me manere. *Luca. 19.* pag. 365.

Discursus XXVIII. In Dedicatione Templi.
Templum extra Templum.

Thema. Hodie in domo tua oportet me manere. *Luca. 19.* pag. 381.

Discursus XXIX. Tempore siccitatis & famis.

Gymnasium Thaumaturgum.

Thema. Ego autem in multitudine misericordiae tuae : introibo in domum tuam ; adorabo ad templum sanctum tuum , in timore tuo. *Psal. 5.* pag. 395.

Discursus XXX. Tempore Belli.

Trophæum Vocale.

Thema. Timete Dominum, & servite eum perfecto corde. *Iosue 24.* pag. 208.

ALLOCUTIONES ACADEMICÆ.

- I. Panegyricus Magnæ Matri Virgini sine macula originali Conceptæ. fol. 424. Append.
- II. Mars Austriacus S. Leopoldus Marchio Austriæ. fol. 434. Append.
- III. Pia Ambitio SS. Cosmas & Damianus MM. fol. 441. Ap.
- IV. Inferiæ Austriaco-Academicæ. Panegyricus Funeris. fol. 448. Append.
- V Panegyricus Funeris Reverendissim. Jo. Augustini Zwerger Præpositi Cathedralis Eccle. Vienn. fol. 466. Append.
- VI. Panegyricus funeris Illustrissim. adolescentis Michaëlis Adami Baptistæ Comitis ab Althan. fol. 474. Ap.





INDEX II. LOCORUM SS.
SCRIPTURÆ.

GENESIS.

1. **F**aciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. p. 15. 28
2. Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ. p. 309
2. Et requievit Deus die septimo. p. 32
3. Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi. p. 165
8. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis. p. 192
18. Domine si inveni gratiam in oculis tuis. p. 15
28. Terribilis est locus iste non est hic aliud nisi Domus Dei & porta cœli. p. 196. 375
31. Cogitaverunt illum occidere. p. 264
39. Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum p. 197
40. Tantum memento mei cum tibi bene fuerit. p. 99
42. Merito hæc patimur quia peccavimus in fratrem. p. 264
49. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. p. 46
50. Nunquid Dei possumus resistere voluntati? p. 265

Exodus.

3. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, &c. p. 15
8. Et venit musca gravissima in domos Pharaonis. p. 261
15. Cantemus Domino gloriose enim &c. p. 420
17. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël, p. 411
20. Visitans iniquitates Patrum in filios. p. 292
21. Si altare lapideum feceris mihi, non

- ædificabis illud ex sectis lapidibus. p. 393
33. Ego ostendam omne bonum tibi. p. 31
34. Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias. p. 165
35. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. p. 389

Leviticus.

26. Si in præceptis meis ambulaveritis &c. dabo vobis pluvias temporibus suis. p. 400

Numeri.

25. Phinees avertit iram meam à filiis Israël, quia Zelo meo commotus est. p. 176
16. Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos. p. 164

Deuteronomium.

32. Incrassatus est dilectus & recalcitra vit. p. 357

Iosue.

7. Non poterit Israël stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. p.
24. Timete Dominum, & servite ei perfecto corde. p. 409

Regum. I

3. Prædixit enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum, eo quod noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. p. 197
12. Si timueritis Dominum, & servieritis ei. p. 360
13. Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui. p. 154

SS. Scripturæ.

13. Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset; duobus autem annis regnavit. p. 224
15. Apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est. p. 329
16. Tollebat David Citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul. p. 342

Regum II.

1. Montes Gelboë nec ros nec pluviae veniant super vos. p. 401
6. Extendit Oza manum ad arcam Dei. p. 329
6. Saltabat totis viribus ante Dominum p. 390
18. Adhæsit caput eius quercui &c. malus cui infederat pertransivit. p. 73
22. Dominus petra mea & robur meum p. 420
24. Et mortui sunt septuaginta millia virorum. p. 402

Regum III.

11. Depravatum est cor eius per mulieres. p. 165
17. Vivit Dominus si erit annis his ros & pluvia. p. 399
17. En colligo duo ligna &c. ut comedamus & moriamur. p. 399
12. Non ego turbavi Israël, sed tu & domus patris tui. p. 402
21. In quo lixerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. p. 315

Regum IV.

20. Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur. p. 219

Paralipomenon II.

6. Ut invocaretur nomen tuum, & exaudias preces famuli tui. p. 398
6. Si clauso cœlo pluvia non fluxerit &c. p. 398. & 400
6. Exaudi de cœlo Domine &c. & da pluviam. p. 398. & 403
13. Nos custodimus præcepta Domini

&c. ergo in exercitu nostro Deum Deus est. p. 414

13. Illis clamantibus perterritus Deus Ieroboam. p.
14. Perterritus itaque Dominus Æthiopes coram Ala. p. 416
20. Clamabimus ad te in tribulationibus nostris. p. 421
32. Ægrotavit Ezechias usque ad mortem. p. 198

Tobias.

3. Cum iratus fueris misericordiam facies. p. 30

Job.

1. Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possides. p. 342
1. Faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo p. 140
5. In sex tribulationibus liberabo te, & in septima non tanget te malum p. 82
5. Apprehendit sapientes in astutia eorum. p. 320
10. Vitam & misericordiam tribuisti mihi. p. 30
13. Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita. p. 105
17. Cogitationes meæ dissipatæ sunt. p. 264
17. Putredini dixi Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus. p. 85
19. Manus Domini tetigit me. p. 341
19. Intelligite quia Deus non æquo iudicio afflixit me. p. 168. 84
23. Ipse scit viam meam, & probavit me quasi aurum. p. 341
29. Si quando ridebam ad eos non credebant. p. 199
30. Radia Iuniperorum erat cibus eorum. p. 71
30. Esse sub festibus delicias computabant filij stultorum. p. 72
36. Simulatores & callidi provocant iram Dei. p. 105

Index II. Locorum

36. Qui aufert stellas pluviam, & effundit
imbres. p. 405
39. Unum locutus sum, & utinam non
dixissem. p. 168

Psalmi.

5. Adorabo ad templum sanctum tuum
in timore tuo. p. 397
7. Sepulchrum patens est guttur co-
rum. p. 57
13. Devorant plebem meam sicut e-
scam. p. 307
17. Introivit de caelo Dominus & altif-
simus dedit vocem suam. p. 3
19. Ignis de facie eius exarsit. p. 3
15. Multiplicatae sunt infirmitates eo-
rum postea acceleraverunt. p. 340
16. Satiabor cum apparuerit gloria tua.
p. 250
21. Sicut aqua effusus sum. p. 406
21. Manducaverunt omnes pingues ter-
rae. p. 48
21. Edent pauperes & saturabuntur.
p. 49
29. Qui loquuntur pacem cum proximo
suo, mala autem &c. p. 236
30. Observabit peccator justum, & strid-
debit super eum. p. 234
32. Verbo Domini caeli firmati sunt, &
spiritu oris eius omnis virtus eo-
rum. p. 15
33. Multae tribulationes justorum. p. 143
38. Dixi custodiam vias meas ut non
delinquam in lingua mea. p. 251
38. Propter iniquitatem corripuisti ho-
minem, & tabescera fecisti, si-
cut araneam animam eius. p. 356
46. Invoca me in die tribulationis, & e-
ruam te. p. 403
49. Immotus deo sacrificium laudis. p. 188
54. Descendunt in infernum viventes.
p. 361
58. Deus meus misericordia mea. p. 30
61. Mendaces filij hominum in stateris.
p. 247
67. Qui exasperant, qui habitant in se-
pulchris. p. 58
7. Pluviam voluntariam segregabis

- ad animam meam. p. 340 345
70. Tota die repleatur os meum laude.
p. 191
72. Velut somnium surgentium Domi-
ne imaginem ipsorum ad nihilum re-
diges. p. 68
74. Omnia cornua peccatorum confin-
gam. p. 320
74. Calix in manu Domini vini meri
plenus mixto. p. 388
76. In die tribulationis meae Deum ex-
quisivi. p. 339
76. Continebit in ira misericordias su-
as. p. 30
77. Cum occideret eos querebant eum.
p. 338
77. Defecerunt in vanitate dies eorum,
& anni eorum cum festinatione.
p. 210
88. Beatus populus qui scit jubilitatio-
nem. p. 391
91. Justus ut palma florebit. p. 229
93. Dominus scit cogitationes homi-
num quoniam vanae sunt. p. 265
102. Renovabitur ut aquilae juvenus
mea. p. 218
106. Posuisti terram fructiferam in sal-
suginem. p. 402
110. Escam dedit timentibus se. p. 47
111. Dispersit dedit pauperibus, justi-
tia eius manet in seculo seculi. p. 123
115. Quid retribuam Domino pro om-
nibus quae tribuit mihi. p. 94
134. Fulgura in pluviam fecit. p.
135. Quoniam in aeternum misericor-
dia eius. p. 36
137. Extendisti manum tuam, & salvum
me fecit dextera tua. p. 341
139. Acuerunt linguas suas sicut ser-
pentis. p. 235
143. Filiae eorum compositae, circum-
ornatae ut similitudo templi. p. 373
144. Miserationes eius super omnia o-
pera eius. p. 30
146. Qui aperit caelum nubibus, & pa-
rat terrae pluviam. p. 401
Pro-

Proverbia.

1. Fili mi si te laetaverint peccatores ne acquiescas illis. p. 172
3. Quem diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. p. 180
3. Stultorū exaltatio ignominia. p. 177
11. Non est consilium contra Dominum. p. 265
15. Abominatio Domini cogitationes malæ. p. 269
18. Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. p. 87
19. Multi sunt amici dona tribuentis. p. 252
22. Qui diligit filium suum assiduat illi flagella. p. 398
24. Abominatio hominum detractor. p. 87
24. Time Dominum fili mi, & Regem, & cum de tractoribus ne comiscearis. p. 89
28. Beatus homo qui semper est pavidus. p. 363

Ecclesiastes.

1. Stultorū infinitus est numerus. p. 148
1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. p. 72. 76
7. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum Convivij. p. 144
12. Deum time & mandata eius observa, hoc est enim omnis homo. p. 363

Cantica.

1. Osculetur me osculo oris sui. p. 6
1. Botrus Cyprij dilectus meus. p. 44
2. Similis est dilectus meus capræ hinnuloque cervorum. p. 94
3. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi. p.
7. Statura tua assimilata est palma. p. 413

Sapientia.

2. Invidia Diaboli mors intravit in orbem. p. 237.

2. Vino pretioso & unguentis nos impleamus. p. 141
3. Sapientiam & disciplinam qui obicit infelix est. p. 66
3. Vacua est spes illorum, & labores eorum sine fructu. p. 72
3. Si quidem longæ vitæ erunt in nihilum computabuntur. p. 226
4. Consummatus in brevi explevit tempora multa. p. 226
11. Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis. p. 250
15. In misericordia disponens omnia. p. 30

Ecclesiasticus.

3. Cor durum habebit malè in die novissimo. p. 316. & 357
7. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te. p. 166
13. Qui tangit picem inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo induet superbiam. p. 163
22. Risum reputavi errorem, & gaudio dixi quid frustra deciperis. p. 141
24. Ego quasi fluvius exivi de Paradiso. p. 17
28. Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguam comminuet ossa. p. 79
30. Lacta filium & paventem te faciet. p. 297
33. Timenti Dominum non occurrent mala. p. 401
34. Qui aufferit in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. p. 317
35. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis quasi nubes pluvie. p. 403

Isaias.

3. Populum meum exactores sui spoliaverunt. p. 315
7. Sibilabit Dominus muscæ &c. p. 261
13. Pilosi satubunt ibi, & respondebunt ibi ululæ. p. 390
14. Ascendam, similis ero altissime. p. 18

Index II. Locorum.

- | | |
|---|---|
| <p>16. Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, p. 349</p> <p>21. Pone mensam & contemplare in specula, &c. fugite Principes. p. 46</p> <p>23. Sume tibi citharam circui civitatem meretrix oblivioni tradita. p. 344</p> <p>28. Væ coronæ superbiz ebris Ephraim. p. 141</p> <p>40. Qui appendit tribus digitis molem terræ. p. 15</p> <p>55. Sitientes venite ad aquas : qui non habetis argentum properate. p. 93</p> <p>59. Cogitationes illorum cogitationes inutiles. p. 265</p> <p>65. Puer centum annorum morietur. p. 223</p> <p style="text-align: center;">Ezechiel.</p> <p>16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, &c. p. 142</p> <p>18. Filius non portabit iniquitatem Patris. p. 292</p> <p>38. Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. p. 293</p> <p>18. Anima quæ peccaverit ipsa morietur. p. 293</p> <p>22. Coinquinabar in medio eorum. p. 170</p> <p>28. Tu signaculum similitudinis &c. veruntamen ad infernum detraheris. p. 28</p> <p>37. Ossa arida audite verbum Domini. Ecce ego intromittam in vos spiritum. p. 10</p> <p>37. Factus est autem sonitus prophete tante me. p. 10</p> <p style="text-align: center;">Daniel.</p> <p>4. Cogitationes meæ in strato meo & visiones capitis mei conturbaverunt me. p. 263</p> <p>9. Aspiciebar articulos manus scribentis Mane Techel, Phares. p. 357</p> <p>12. Pleni iniqua cogitatione adversus Susannam. o. 271</p> <p style="text-align: center;">Oseas.</p> <p>7. Cædam eos secundum auditionem cætus eorum. p. 352</p> | <p>10. Divisum est cor eorum, nunc interibunt. p. 256</p> <p style="text-align: center;">Jonas.</p> <p>3. Cœpit Jonas introire civitatem itinere unius diei. p. 97</p> <p>3. Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur. p. 96</p> <p style="text-align: center;">Micthas.</p> <p>3. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoxiaverunt. p. 315</p> <p style="text-align: center;">Habacuc.</p> <p>3. Cum iratus fueris misericordiz recordaberis. p. 179. & p. 30</p> <p style="text-align: center;">Sophonias.</p> <p>1. Disperierunt omnes involuti argento. p. 284</p> <p style="text-align: center;">Aggeus.</p> <p>1. Domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam. p. 183</p> <p style="text-align: center;">Mattheus.</p> <p>6. Thesaurizate vobis thesauros in celo. p. 118</p> <p>6. Respicite volatilia cœli. p. 201</p> <p>7. Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. p. 103</p> <p>13. Incrassatum est cor populi huius. p. 356</p> <p>16. Vade post me Sathana, scandalum mihi es. p. 180</p> <p>17. Mitte hamum : & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle. p. 324</p> <p>18. Redde quod debes. p. 305</p> <p>18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis. p. 419</p> <p>22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. p. 246</p> <p>22. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. p. 273</p> <p>22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. p. 319</p> <p>22. Si-</p> |
|---|---|

SS. Scripture.

23. Similes estis sepulchris dealbatis. p. 59
 24. Orate ne fiat fuga vestra in hyeme. p. 351
 25. De corde exeunt cogitationes malæ. p. 266
 25. Venite benedicti Patris mei, Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. p. 102. 130
 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. p. 39
 27. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. p. 22

Marcus.

6. Colligite fragmenta ne pereant. p. 193
 7. Apprehendens eum à turba seorsum. p. 160
 8. Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. p. 91
 10. Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt. p. 124
 10. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum. p. 121
 14. Ave Rabbi, & osculatus est eum. p. 4

Lucas.

4. Repleti sunt omnes in Synagoga ira, & ducebant illum usque ad supercilium. p. 168
 5. Vade ad mare, & mitte hamum. p. 181
 f. Tota nocte laborantes nihil cœpimus. p. 65
 6. Estote misericordes sicut & Pater vester. p. 27
 6. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis. p. 146
 7. Hic si esset Propheta sciret, quæ & qualis est mulier quæ tangit eum. p. 32
 7. Adolescens tibi dico surge. p. 217
 8. Quod autem in spinas cecidit hi sunt &c. p. 71
 9. Vis dicimus ut ignis descendat de cælo. p. 175
 10. Vidi Sathanam sicut fulgur cadentem. p. 113
 10. Alligavit vulnera eius infundens oleum. p. 173

10. Qui vos spernit, me spernit. p. 329
 12. Quid faciam quia non habeo. p. 70
 14. Parata sunt omnia. p. 42
 15. Erant appropinquantes ad Jesum publicani. p. 53
 15. Frater tuus hic mortuus fuerat & revixit. p. 62
 16. Factum est autem ut moreretur mendicus. p. 35
 16. Facite vobis amicos de Mammona. p. 116
 16. Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti. p. 183
 17. Regressus est cum magna voce magnificans Deum. p. 186
 18. Non sum sicut cæteri hominum. p. 147
 19. Videns civitatem flevit super eam. p. 132
 19. Hodie in domo tua oportet me manere. p. 366. & 382
 22. Sathanas expetivit te ut cribraret. p. 169
 22. Ignem veni mittere in terram. p. 176

Joannes.

1. Illuminat omnem hominem. p. 21
 4. Regulus, cuius filius infirmabatur. p. 291
 6. Manducaverunt Patres vestri manna & mortui sunt. p. 48
 9. Quis peccavit, hic an parentes eius? p. 291
 13. Erat unus ex discipulis eius recumbens in sinu Jesu. p. 35
 14. Quodcumque petieritis patrem in nomine meo hoc faciam. p. 419
 14. Pacem meam do vobis. p. 3
 17. Pater sancte serva eos &c, ut sint unum. p. 9

Acta.

8. Pœnitentiam age si fortè remittatur tibi hæc cogitatio. p. 271
 10. Pertransijt benefaciendo & sanando. p. 19

Index II. Locorum

Ad Roman.

1. Invisibilia ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. p. 29
 1. Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. p. 150
 10. Idem Dominus dives in omnes. p. 92

13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. p. 323

I. Corinthior.

3. Qui sapiens esse vult stultus fiat ut sit sapiens. p. 157
 12. In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. p. 9
 12. Alij datur sermo scientiæ, alij sermo scientiæ. p. 11

II. Corinth.

3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. p. 368. & seqq.

Ephesij.

4. Ex quo totum corpus compactum &c. secundum operationem in mensuram &c. p. 11
 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis. p. 63
 5. Avarus, quod est idolorum servitus. p. 120
 5. Ut sapientes redimentes tempus. p. 229

Philippenses.

3. Multi ambulant, quos sæpè dicentibus vobis inimicos Crucis Christi. p. 63

Colossenses.

3. Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ. p. 37

- 1b. Vita nostra abscondita est cum Christo. p. 64
 1b. Avaritiam quæ est simulacrorum servitus. p. 120

I. Thessalonic.

5. In omnibus gratias agentes. p. 189

I. Timoth.

2. Profana & vaniloquia devota, sermorum ut cancer serpit. p. 166

Epist. Jacobi.

5. Elias oratione oravit, ut plueret. p. 399

I. Petri.

5. Salutate vos invicem in osculo sancto. p. 12

I. Joannis.

3. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & simus. p. 5
 5. Tres sunt qui testimonium dant in celo. p. 16

Apocalypsis.

3. Nomen habes quod vivas, & mortuus es. p. 62
 5. Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. p. 413
 7. Vidi turbam magnam &c. & Palmæ in manibus eorum. p. 413
 12. Ecce Draco magnus, rufus habens capita septem. p. 80
 17. Aquæ multæ populi multi. p. 406



INDEX III. RERUM & VERBORUM.

A.

A dversa utiliora sunt prosperis. p. 142

pariunt felicitatem. p. 144
 docent orare. p. 338
 præsertim in periculis & tentatione. p. 340
 Qqq z Affa.

- Affabilitas.** vide Humanitas.
Affectus humani coercendi p. 46. & seq.
 periculose turbant animum p. 47
Alchymia Christiana quæ p. 120
Ambitio multa post se mala trahit. p. 108
Ambulant ad vitam, alij ad mortem. p. 63
Amor Dei & proximi æquè librandi.
 p. 247
 sunt similes, non æquales. p. 255
 eius statera præceptorum impletio.
 p. 252
Anima Deum diligens, p. 7.
 præponderat toti mundo. p. 248
 pluris æstimanda quàm Rom. Imperium.
 p. 249
Animarum Curatos quid deceat. p. 25
Animarum iacturam desinet Deus. p. 136
Anni præteriti revocabiles. p. 223
 computandi ex virtutibus. p. 226
Apotheosis Christiana. p. 15. toto disc.
Arrogantia v. Superbia.
Asina læmetur podagræ, p. 72
Asinaria labor quis. p. 66. toto disc.
Avaritia idolorum servitus. p. 220
 infidelitatis mater. p. 125
 Ministrorum sub Magnatibus. p. 311
 aurum pro Deo colit. p. 119
 efficit homines Harpyias. p. 308
 eius thesaurus aliena miseria. p. 313
Aves nos gratitudinem docent. p. 204
Aulæ nos beneficiorum oblivisci. p. 99
Aulica ars simulatio. p. 8. 99.
Aurum facit avaram. p. 116
- B.**
- Beneficentia Dei v. Misericordia.**
 est proprium attributum Dei. p. 19
 & superiorum qui præsumunt. p. 20
 est regia virtus. p. 91
 Deum imitatur. p. 91
Beneficijs nolle vinci magni animi
 est. p. 204
 concertandum cum proximis. p. 209
Beneficia faciliè oblivioni traduntur.
 p. 99
Bona animi præponderant bonis corporis, p. 247
- injustè acquisita reddenda.** p. 325
 sunt noxia possessori. p. 327
 communia præferenda privatis.
 p. 21. 125
- C.**
- Calumniæ acerbè affigunt.** p. 84
 eas Christus maximè sensit. p. 85
Calumniatores exosi Principibus. p. 83
Cantus in Ecclesijs quàm utilis. p. 337
 347
 vide Musica.
Carcinoma voluntarium proles de-
 gener. p. 292
Charitas mutua discenda à Deo. p. 9
 per ossium juncturam designatur. p. 10
 varias habet operationes. p. 11
 eius proprium in commune effundi.
 p. 20
 æqualis sit erga omnes. p. 21
 qualis inter primos Christianos. p. 257
Christus tota vita mansuetus. p. 177
Christus non acceptat personas. p. 22
 cur seipsum non salvaverit de Cruce.
 p. 22
 miseretur non rogatus. p. 96
 quæsit aliena commoda. p. 22
 cur venerit Ignem mittere. p. 176
 hypocrisim maximè detestatur. p. 105
 calumnias maximè sensit. p. 85
 deservit Jerusalem. p. 133
 secreto operatur mira. p. 162
Discipulorum zelum temperat. p. 175
 cur gratias agat panes multiplicans.
 p. 19
 apprehendit sapientes in astutia.
 p. 310
Choræ puellis gratæ. p. 386
 quam noxiæ. p. 389
 visitatæ Magis & Sagis. p. 390
 quales possint esse sanctæ. p. 391
Citharæ sonus Dæmones pellit. p. 342
Cæcitas mentis ex prosperitate. p. 137
 multos perdit. p. 139
Cogitationes pravæ sunt muscæ. p. 262
 coinquinant hominem. p. 266
 ad

- ad mortem mordent. p. 267. 270
 sunt abominatio Dei. p. 269
 unica sæpè causat interitum. p. 278
 Colloquia prava vitanda. p. 166
 Concordia pietatis in publicis necessitatibus. p. 398
 Conversatio an præstet solitudini. p. 261
 cautè est exercenda. p. 163
 Cor hominis expletur solo Deo. p. 250
 Corvus ingratitude Symbolum. p. 213
- D.
- D**eus magnus est in pusillo. p. 43
 est omnia omnibus. p. 44
 indulgendo irascitur. p. 59
 nunquam cessat benefacere. p. 32
 est Pater misericordiarum. p. 33
 mavult vocari Pater quam Deus. p. 33
 vices suas delegat misericordibus. p. 35
 gaudet de occasione benefaciendi. p. 93
 plus largitur quàm petamus. p. 97
 docet nos benefacere. p. 100
 simulationem detestat. p. 105
 benefacit etiam ingratu. p. 194
 vult sibi gratias agi. p. 187
 placandus in publicis necessitatibus. p. 402. seq.
 est imbrum pincerna. p. 403
 Dei attributa. p. 29. 37
 misericordia transcendit omnia. p. 30
 beneficentia est instar solis. p. 29. 92.
 94
 similitudo piè æmulanda. p. 29
 hæc acquiritur per misericordiam. p. 29
 dilectio diu discenda. p. 251
 hæc vult recipi à nobis. p. 252
 oblivio ex nimia prosperitate. p. 138
 tactus facit nos bonos Musicos. p. 340
 misericordia gratior in adversis. p. 403
 Deo in adversis gratiæ agenda. p. 341
 190. & 198
 canere in júbilo quid sit. p. 391
 Desideria sapientes lege definiunt. p. 308
- Detractio famæ est flagellum. p. 79
 est Draco. p. 80
 est invidiæ filia. p. 81
 est quintum elementum. p. 88
 Detractor tres simul lædit. p. 58. 87
 est Deo maximè odibilis. p. 86
 est ut canis. p. 87
 Dives dicitur quasi Deus. p. 49
 Divites Dei vices deberent supplere. p. 38
 sine elemosyna non salvantur. p. 39
 qui vocentur ad cenam magnam. p. 49
 quod habent non habent. p. 70
 homicidiæ pauperum si non erigant. p. 122
 Divitis Epulonis epitheta. p. 69
 Divitiæ dantur ad erogandum. p. 39.
 118. 123
 sunt Mamonna iniquitatis. p. 118
 cur Idola nuncupentur. p. 119
 Dæmoni ad animam præbent adiutum. p. 120
 Tyrannidem exercent. p. 125
 Divitiarum ulum docet Christus. p. 121
 finis est lucrari cælum. p. 121
 erogatio est opus justitiæ. p. 123
 Dæmon cur modo serpens, modo Draco. p. 112
 quomodo sicut fulgur ceciderit. p. 113
 nocet per malos socios. p. 169
 vefigalium curator est. p. 313
- E.
- E**brietas vivi hominis sepultura. p. 61
 quàm noxia. p. 388
 in Encænijs frequens. p. 387
 Ecclesiasticorum jurium violatio. p. 312
 329. 333
 Ecclesiarum Oeconomis quid cavendum. p. 332
 dedicationis nos antiquus. p. 366
 cur anniversarius celebretur. p. 367
 Educatio filiorum qualis esse debeat. p. 298. & seq.
 Elemosyna Deo similis reddit. p. 37
 est

Index

- est lapis Philosophicus. p. 118
 in manu pauperis fit thesaurus. p. 120
 est ros refrigerans. p. 127
 est ostiaria cœli. p. 127
 claudit misericordibus infernum. p. 127
 est lapis Lydius Christiani. p. 129
 vide & misericordia.
- Emendatio subditi nunquam desperanda.** p. 183
Encaniorum abusus. p. 385
Encanare dicuntur nova veste induti. p. 382
 quomodo nos deceat. p. 383
- Eucharistia est botrus Cypri.** p. 44
 est omne bonum. p. 44, 45
 cupidiarum sectatores non admittit. p. 45
 efficit suos convivas Principes. p. 46.
 mors est malis. p. 48
 sæpè sumenda. p. 50
- F.**
- Felicitas nimia periculosa.** p. 137
 inducit cœcitatem mentis. p. 137
 finitur exitio. p. 141, 142
 nimia infelix est. p. 143
 scelestissimis conceditur. p. 143
 suspecta est probis. p. 144
- Filij Dei pacem servant.** p. 8, 12
Filij Diaboli sunt discordes. p. 12
Filij heroum noxæ. p. 290
 degeneres sunt carcinomata. p. 291
 an & quomodo pro parentibus puniantur. p. 292
- Flagellum mancipiorum supplicium.** p. 80
Flagellum linguæ, famis, belli. p. 82
- G.**
- Gaudia mundi, v. Felicitas, Prosperitas.**
Gehenna anticipata Invidia. p. 234
Gigantes dicti à cadendo. p. 157
Gloria vana, vide Vana gloria.
Gloria divina cum vana composita. p. 158
- vana cupidi pacem turbant.** p. 108
muscas venantur. p. 264
Gratiarum actio est potior sacrificio. p. 192
 semper exercenda. p. 189
 etiam pro gehenna. p. 190
 quomodo fiat tota die. p. 191
 cur Deus ea deleatur. p. 191
- Gratitudinem nos docent aves.** p. 203
debemus benefactoribus. p. 204
minores maioribus. p. 205
subditi Principibus. p. 206
filij parentibus. p. 207
discipuli Magistris. p. 209
- H.**
- Homo ad laborem natus.** p. 66
 nudus nascitur, animalia cœtera vestita. p. 275
 formatus è limo ut duritie careret. p. 309
- Homo homini Deus.** p. 37
Horologij Achaz allegoria. p. 218
Humanitas laudabilis. p. 261
Humilitas facit Deo similem. p. 352
Hypocritæ sunt sepulchra dealbata. p. 52
- Martyres Diaboli.** p. 105
lupi, viperæ sepulchra. p. 106
 sunt nubes sine aqua, arbores infertuosæ, cœci errantes. p. 106
 sunt poma Gomorrhæa, Idola, cygni, ficus maledictæ, Irides, Struthiones, equi pallidi, virtutis adulteri, membra Antichristi &c. p. 106, 107
 sunt extra homines intus dæmonia. p. 107
 sunt hydropici. p. 109
 duplici contritione contentur. p. 111.
 à Deo graviter puniuntur. p. 112
 habent antesignanū Diabolum. p. 112
- I.**
- Ierosolymæ excidium iustuosum.** p. 135
ruinam cur desceyerit Christus. p. 136
Infer.

III. Rerum & Verborum.

Infernum claudit misericordia. p. 127
 Ingrati perdunt beneficia. p. 194
 Summè displicent Deo. p. 194
 Ingratitudo mundi. p. 98
 hanc summè cavent Sancti. p. 196
 Inimici diligendi. p. 163
 Intellectus obiectum in divinis, bonum. p. 31
 Invidia descripta. p. 235
 omnes arrodit. p. 233
 ubiq; invenitur. p. 234
 maculas in sole quærit. p. 234
 est instar viperæ. p. 236
 est cerbero similis. p. 236
 convertit hominem in Dæmonem. p. 237
 est filia Diaboli. p. 237
 est filia superbiz. p. 244
 est ipse Dæmon. p. 238
 est gehenna anticipata. p. 239
 est tortura Dæmonum. p. 239
 perseverat in inferno. p. 240
 damnatum torqueret si poneretur in cælo. p. 240
 gaudet de malo alieno cum malo suo. p. 241
 tot habet tormenta quod sunt hominum prosperitates. p. 242
 sævit maxime in aulis. p. 243

L.

Labores multorum inutiles. p. 66
 Lacrymarum multas habemus causas. p. 132
 causam quam habuerit Christus. p. 133
 eæ non sunt indignæ viro. p. 133
 Lapis Philosophicus quis sit. p. 117
 alia eius nomina. p. 126
 Laudis alienæ aucupes. p. 148, 153
 Lingua amoris & odij instrumentum. p. 78
 est universitas iniquitatis. p. 78
 est flagellum. p. 79
 calumniatrix crudelior lancea. p. 86

M.

Magistratus. vide Principes.
 Mamonna quid in scriptura. p. 118
 Tyrannidem exercet. p. 127. seq.
 Mala bonis præferens malus iudex. p. 248
 Matres filias choreis assuefaciunt. p. 386
 Martyres Christi & Martyres Diaboli. p. 110
 Medicamenti compositi allegoria. p. 173
 Memnonis statuz allegoria. p. 186
 Merces operarijs solvenda. p. 101
 Meum & Tuum noxium mundo. p. 319
 Minima etiam magnis nocent. p. 260
 Ministri Principum quales esse debeant. p. 310
 Misericordia Dei omnia attributa transcendit. p. 30
 est propria Dei nota. p. 32
 est virtus maxime mirabilis. p. 36
 est ros refrigerans. p. 127
 vide & Dei Misericordia. Eleemosyna Deo similem reddit. p. 29.
 Misericordes Dei vices gerunt. p. 36
 sunt Filij Dei. p. 36
 unde nomen habeant. p. 38
 Moribundi semper vitam sperant. p. 355
 timere deberent iudicium. p. 355
 Mundi amor simulatus. p. 7
 Mundus semper ingratus. p. 98
 Mundi tumultus vitandus. p. 162
 Mundus evertitur per oppressiones pauperum. p. 314
 Muscarum allegoriæ. p. 259
 Musica ad Tactum. p. 337. seqq.
 ad multa utilis. p. 337
 cum adhibentur in Ecclesijs. p. 337

O.

Observatores alienorum factorum. p. 235
 Officia publica propter commune bonum suscipienda. p. 24
 Opera bona destruuntur per mala. p. 76

- Oppressores pauperum à Deo puniuntur. p. 315
 sunt viri sanguinis. p. 317
- Orandum etiam pro alijs. p. 26
- Oratio prodest in adversis. p. 340. seqq.
 fugat Dæmones. p. 342
 miracula patrat. p. 327. 416
 vincit tentationes. p. 343
 reconciliat cum Deo. p. 344
 publica quam utilis. p. 345
 plurium unanimis. p. 398. 419
 victoriam parit. p. 412. & seqq.
- Osculum Trinitatis est Spiritus S. p. 6
 est pacis signum. p. 4
 eius plura elogia. p. 5
 Judæ velamen odij. p. 4
- Otius est velut sepulchrum. p. 57
 P.
- P**alma cur arborem & manum significet. p. 412
- Pacis signum osculum. p. 4
- Pax Dei & Pax mundi diversæ. p. 4
- Patres familias quomodo se gerere debeant. p. 25
- Parentum peccata an inant filij p. 294
 seqq.
 magna obligatio in educanda prole. p. 294 & 302
 poena propter filios. p. 297
 exemplum in prolem transit. p. 300
 maior sæpè cura de canibus quam de prole. p. 304
- Pauperes sustinent personam Christi. p. 39
 liberant misericordes ab inferno. p. 127
 à quibus fraudentur & contemnantur. p. 100
 manus habent thesaurarios. p. 120
 sunt janitores paradisi. p. 125
- Pauperum manus sunt sinus Abrahamæ. p. 121
 fideiussor est Deus. p. 124
 curam Deus in judicio primam habebit. p. 129
 eorum homicidæ sunt immiserordes. p. 123]
- Peccatum est vinculum, funis, laqueus, catena, servitus, captivitas, pondus, onus, labor, jugum, mola, ferbris, fera. p. 53
 est causa publicorum malorum. p. 329
 triplex potissimum detrudit ad inferos. p. 327
- Peccator miserior cadavere. — p. 55
 est sepulchrum dealbatum. p. 58
 est vivus mortuus. p. 62
 impænitens periculosè febicitat. p. 357
 eius vita nox. p. 75
 eius anima Scylla & Chymæra. p. 54
 eius corpus sepulchrum ambulans. p. 54. 57
- ei timenda ira Dei. p. 354
 senex est adolescens. p. 218
 multum temporis perdit. — p. 220
 obfuscat sibi intellectum. — p. 356
- Pharisæi cur dicti gemina viperarum. p. 235
- Philomelæ concertantis allegoria. p. 101
- Philosophia quanti aestimanda. p. 249
- Pingues terræ qui dicantur. p. 48
- Pluvia est Deo voluntaria. p. 401
 quomodo generetur in aëre. p. 404
 obtinetur per preces & lacrymas. p. 398. 406
- eam Deus negat propter peccata. p. 402
 subinde ut nobis suum timorem, & amorem ingerat. p. 403
- Principum virtus beneficentia. p. 21
 ministri avari. p. 308
 exemplar est Christus. p. 23
 munus pro alijs vigilare. p. 24
 virtus lenitati miscere rigorem. p. 180
 is obediendum. p. 323
 & qua de causa. p. 324
- Prodigalitas in vestibus. p. 280
- Prosperitas obcecet mentes. p. 339
 mundi periculosa. p. 137
 Ani-

Rerum & Verborum.

ſinitur exitio.	p. 141	Spiritus Sanctus per osculum designatur.	p. 6
ſuſpecta eſt probis.	p. 144	eſt nexus Patris & Filij.	p. 6
Publicæ neceſſitates exigunt communem devotionem.	p. 393	cur in vento apparuerit.	p. 3
Pupilli & viduæ non audiuntur.	p. 100	cur in igne.	p. 3. & 9
R.		vivificat Eccleſiam.	p. 10
R aca vox quid ſignificet.	p. 80	ſtatuita malorum omnium mater.	p. 147
Regendi ars miſcere contraria.	p. 175	ſumma miſeria.	p. 147
temperat rigore lenitatem.	p. 178	per loquelam proditur.	p. 148
Reges veri qui ſibi dominantur.	p. 46	magna eſt ſeipſum laudare.	p. 149
Reſtitutio ablatorum faciendâ.	p. 321	naturalis multiplex.	p. 155
cur prius mundo quàm Deo.	p. 323	eius proprium videre alienam miſeriam.	p. 148
ex quibus bonis faciendâ.	p. 324	eius tres gradus.	p. 152
non fit per ſolam pœnitentiam.	p. 325	eam ſimulare prudentia.	p. 157
qualis ſolita apud Græcos.	p. 326	Subditorum per miniſtros oppreſſio.	p. 310
quomodo faciendâ Deo.	p. 328	Superbia eſt magna ſtultitia.	p. 149
Riſus mundi periculofus.	p. 137	ſancta eſt dedignari cum malis agere.	p. 161
parit exitium.	p. 139	facit hominem beſtiam.	p. 151
Sardonicus quiſ.	p. 138	vult ſola omnia eſſe.	p. 151
S.		maie de Deo ſentit.	p. 154
S acra reverenter tractanda.	p. 41	magna in cultu corporis.	p. 180. v. Veſtes.
Securitas nimia periculofa.	p. 137	eius lingua eſt virga.	p. 150
Senes quomodo rejuvencſcant.	p. 227	Temperamentum conſervationi vitæ neceſſarium.	p. 178
Senectus quæ vera.	p. 226	Templum olii erat totus mundus.	p. 379
Sepulchri ambulantis allegoria.	p. 55	Templa olii multa fuerunt.	p. 383
Severitas temperanda lenitate.	p. 178	apud Ethnicos plurima.	p. 384
Siccitati pellendæ remedium oratio.	p. 398	ſunt officinæ Medicæ.	p. 377
Simulatio ars aulica.	p. 8	varia ſibi erigunt peccatores.	p. 372
eſt hydrops animæ.	p. 109	profanantur ab impijs.	p. 374
vide hypocriſis.		habent annexa ſacella Dæmonis.	p. 384
Simulatores ſunt ſepulchra.	p. 60	dedicandi mos antiquus.	p. 367
ſub virtutum ſpecie vitioſi.	p. 60	ſunt Deitatis ſchola.	p. 397
ſunt Martyres Diaboli.	p. 105	ſunt Gymnaſia Thaumaturga.	p. 397
torquentur in anima.	p. 109	erecta olii ad erogandam ſtipem.	p. 371
Societas prava initiū mūdi ruinae peior Dæmonis conſortio.	p. 166	cur anniverſarium celebrent.	p. 367
ab ea ſolus Dei filius liberam vitare docet ipſe Deus.	p. 170	Deus non vult ex lapidibus ſectis.	p. 394
quomodo fugienda.	p. 161	Temporiperdæ vani.	p. 223
quàm facilè pervertit.	p. 163	R r r	Tem-
Sol eſt figura Ss. Trinitatis.	p. 18		
designat beneficentiam.	p. 19		
Solitudinis commendatio.	p. 161		
Dom. Pars II.			

Tempus quid sit.	p. 218	est scabies virtutis.	p. 156
præteritum revocabile.	p. 217. 218.	est ærugo, & plura eius epitheta.	p. 156
	223		p. 158
breve impiorum, longum proborum.	p. 212. 216	præcipitat in multa vitia.	p. 153
quomodo in brevi multum.	p. 226	Vana gloriæ cupidi mordaces.	p. 153
Tentationes quomodo vincendæ	p. 343	Venatio magnatibus utilis.	p. 259
Timor iræ divinæ necessarius.	p. 353	ars nequissima dicta,	p. 260
evacuat peccata.	p. 358	qualis muscarum,	p. 263
non finit pinguescere.	p. 359	Venator nullus veterum sanctus.	p. 260
est sicut uxoris castæ.	p. 360	Ventus textilis quid sit.	p. 277
plurimum prodest.	p. 361. 363	Victoria à Deo datur.	p. 410
est definitio hominis.	p. 363	Viduarum & pupillorum oppressio.	p. 312
Tribulatio docet Musicam.	p. 338	Virtus revocat annos præteritos.	p. 223
utilior prosperitate	p. 142. 145	Vestium ornatus olim certis prohibitus.	p. 274
vide Adverbia.		luxus nimis Deo displicet.	p. 275
Trophæum vocale oratio.	p. 410	olim è pellibus,	p. 276
SS. Trinitatis mysterium clarum & obscurum.	p. 15	materia reprehensionis,	p. 288
sapè in SS. literis adumbratur.	p. 15	est servitium Diaboli.	p. 284
ab antiquis Philosophis agnatum.	p. 16	ambitur maximè à foeminis.	p. 285
in natura delineatum,	p. 16	Vita humana in quo sita,	p. 177
per similitudines propositum.	p. 17	impiorum brevis,	p. 222
	18	viri boni duplicata.	p. 225
Turbæ & tumultus vitandi.	p. 164. 167	peccatoris nox.	p. 75
	V.	longa quæ virtuosa.	p. 225
V anitas vanitatum.	p. 32	est fabula.	p. 67
ubique scribenda.	p. 74	est somnium.	p. 68. & nihil. p. 73
Vana gloria est scopulus.	p. 152	Vitia serpunt ad vicinos.	p. 167
Luciferum imitatur.	p. 154	Utile publicum præferendum privato.	p. 21
invadit Dei jurisdictionem.	p. 154		

INDEX IV. HISTORICO-MYTHOLOGICUS.

A.	
A bias Rex oratione victoriam consequitur.	p. 414
A braham ubi Lazarum in sinu habuerit.	p. 35
A bsolon ambit paternum sceptrum eius sepulchrum.	p. 73
A cademicus una lectione doctus.	p. 251
A chab causa stercitatis in Israël.	p. 402
	ex avaritia servus in Naboth.
	p. 315
	A chan solus peccans toti populo nocet.
	p. 402
	A chaz Regi vita abbreviata.
	p. 219. 220
	A damus inter prospera videtur.
	p. 143
	per malam societatem cadit.
	p. 165
	S. Adelardus templum sibi format in anima.
	p. 379
	E næ Sylvij dictum de aulicis.
	p. 99
	A eson

- Æson recoctus in juventutem. p. 228
 Agni cum lupo antipathia. p. 358
 Alexander Macedo Geometriæ studiosus. p. 43
 Magistro suo gratus. p. 209
 Alexius Comnenus sollicitus de Ecclesiæ bonis. p. 332
 Alexander Severus fures odio habet. p. 42
 Alphonfus Aragonius nobilem rapto-rem alieni castigat. p. 334
 à nullo beneficijs vinci vult. p. 304
 ægri patris lecticam pedes comitatur. p. 207
 eius dictum quomodo victoria obtinenda. p. 410
 Amphion movit lapides canendo. p. 393
 Anachoreta per raptum emendatus. p. 362
 tentationes vincit oratione. p. 343
 Anastasio Imp. vita abbreviata. p. 221
 Anaxilai dictum de regno. p. 91
 S. Anianus oratione Atiliam fugat. p. 417
 Anthropophagi populi. p. 306
 Antoninus Caracalla à noverca seductus. p. 287
 Antoninus Philosophus vitæ integritate animosus. p. 42
 degenerem habuit filium. p. 290
 persequitur susurriones. p. 83
 præceptoribus gratus. p. 210
 Antonius Picens magnus hypocrita. p. 111
 Apollo duos invidos committit. p. 241
 Aquilæ benefactoribus gratæ. p. 211
 Arati Sicyonij brevjs oratio ad motum. p. 133
 Aristippi dictum de filio degeneri. p. 300
 Aristoteles Platoni Magistro gratus. p. 209
 Arsenius in eremo semper pavidus. p. 362
 Aristomenes ab aquila in casu servatus. p. 212
 Asa Rex oratione victor. p. 415
 Aves cum nido in lapidem versæ. p. 171
 S. Augustini mensa detractoribus prohibita. p. 89
 Augustus Imp. militi suo gratus. p. 207
 eius proles degener. p. 291
 eius dictum de luxu vestium. p. 287
- B.**
- B**acchi nutrices juventute donatæ. p. 228
 Balthasar Rex exemplo patris non resipuit. p. 307
 Beelzebub muscarum Deus. p. 265
 S. Bernardus sororem superbe vestitam non admittit in conspectum. p. 284
 S. Bonifacius pro tormentis gratias agit Deo. p. 199
- C.**
- C**apones macilentis videntur à pinguibus. p. 144
 Carnes comedens ex obedientia simplicis. p. 322
 Canis Æsopicus hyeme de domo sollicitus. p. 308
 Carolus V. juvenem ex loquela nocuit. p. 148
 Carolus Siciliae Rex, castigatus per muscas. p. 269
 S. Casilda patrona pauperum oppressorum. p. 316
 Cereris Eleusinae sacra. p. 42
 Cervæ ad tonitrua abortiant. p. 360
 Cerberus ab Elysij campis arceat animas. p. 236
 Ciconia parentes senes alit. p. 208
 Cistertienis monachus ob nautum non persolutum in salute moras patitur. p. 101
 alius regulam violat ex simplici obedientia. p. 321
 Cithara SS. Triados symbolum. p. 17
 Citharædus in templo ludens punitur. p. 376
 S. Clara in morbis Deo gratias agit. p. 199
 Corvus docet gratitudinem. p. 213
 Eliæ cur ministraverit. p. 213

- Crito Atheniensis suo præceptori gratias. p. 210
- Cuniculi oppidum suffodiunt. p. 261
- Cyniphes Ægyptiorum pœna. p. 261
- S. Cyprrianus moriturus Deo gratias agit. p. 199
- D.**
- D**anicum mare aves in lapidem vertit. p. 171
- David in prosperis flexus, adversis fortis. p. 142
- non sariatur terrenis. p. 250
- cithara fugat Dæmonem. p. 342
- ante arcam saltat. p. 390
- solus peccans multos perdit. p. 402
- Demetrius Philosophus otium vocat mare mortuum. p. 57
- Philosophiam pluris facit quam Imperium. p. 249
- Deorum multitudo ex Hesiodo. p. 386
- Diana cur fingatur venatrix. p. 259
- Dives Epulo sepulchrum immobile. p. 56
- Domitianus Imp. severus in delatores. p. 83
- S. Donatus Ep. pluviam impetrat. p. 407
- S. Dorotheus amorem Dei & proximi apta similitudine exprimit. p. 254
- E.**
- E**cclésiæ defraudator punitus. p. 331
- Elias oratione cœlum claudit & aperit. p. 399
- Elisæus oratione hostes vincit. p. 414
- S. Elisabeth piè saltitans. p. 391
- B. Elzearius devotus SS. Eucharistiæ. p. 51
- Epaminondas Musicæ gnarus. p. 336
- militem obesum ab exercitu submovet. p. 356
- Epicharmus multatus propter lascivos versus. p. 300
- S. Euplius gratias agit pro tormentis. p. 199
- Epulo torquetur invidia. p. 240
- Ezechias à Deo plus obtinet quam perdat. p. 98
- habet filium dissimilem. p. 293
- cur ad mortem ægrotaverit. p. 199
- obtinere prorogationem vitæ. p. 219
- Ezechiel ossa arida animat. p. 10
- F.**
- F**ilij in parentes pij. p. 207
- Filiæ in parentes piæ. p. 209
- Filij è paterno sinu rapti à Dæmone. p. 301
- S. Franca pluviam à Deo impetrat.
- Franciscus Suarez detractorum osor. p. 88
- G.**
- S.** Gertrudis devota SS. Eucharistiæ. p. 51
- Godefridus Cappenbergensis prædicationem castigat. p. 333
- Godefridus Spirensis raptus non amplius visus ridere. p. 230
- Gothicus fons mensa durat in lapidem. p. 171
- Græcis Musica in pretio. p. 336
- Gratianus Augustus præceptori gratus. p. 210
- Grus Hispani altori grata. p. 214
- H.**
- H**adrianus Imp. civilis in plebeios. p. 161
- Harpia Symbolum exactorum. p. 311
- Heli punitus propter filios. p. 185
- Heliogabalus risui deditus. p. 139
- ridicularum rerum inventor. p. 140
- muscas appellat apes manuetas. p. 266
- dona ridicula mittere solitus. p. 266
- Herades Lycius laboris encomiastes. p. 69
- Hierosolymæ lugubris everasio. p. 134
- Hilarion post 80 annos mortem vivens. p. 362
- Hippocomus Cardinales pictos convivio excipit. p. 155
- Hyberni parentum corpora vorant. p. 306
- Hyperbolus impudentiæ notatus. p. 267
- Hypocrita Monachus à Deo punitus. p. 114

Historico-Mythologicus.

I.

Jacob videt Angelos per scalam. &c. p. 375
 gratus Deo pro beneficijs. p. 197
 plus impetrat quam petat. p. 98
S. Jacobus Nisibita per muscas pellit hostes. p. 269
Jafon recoctus in juvenem. p. 228
Joab osculo Amasam decipiens. p. 7
Joannes Avila quid senserit de Deo gratias. p. 199
Joann. Patriarcha Alexand. liberalis in pauperes. p. 39
 timet supremam horam. p. 362
Job ad tactum canens. p. 339
 in sterquilinio fortis. p. 143
 ex mala societate vacillans. p. 167
 eius filij inter gaudia extincti. p. 141
Indorum dolium emittens nubes p. 400
Invidiæ representatio apud Poetas. p. 236
Invidorum duorum optiones. p. 241
Jonas prædicans Ninivitis. p. 96
Josaphat Indus oratione vincit rentationem. p. 343
Josaphat Rex oratione vincit hostes. p. 421
Joseph Abbas Thebæus tres ordines statuit hominum Deo acceptorum. p. 199
Joseph Patriarcha ingrato benefecit. p. 59
 gratus ipse Deo & Domino suo. p. 197
Jovis pluvij ara. p. 400
S. Juentius Episc. castigat exactorem. p. 316
Judas per pacis signum proditor. p. 4
Julia Augusti filia propter luxum vestium reprehensa. p. 285

L.

Lacones plectunt parentes propter filios. p. 302
 follis meretricibus concedunt vestes floridas. p. 285
Lanfredus Episcopus propter ventionem excommunicatus. p. 260

S. Laurentius Justinianus Venetias oratione servat. p. 418
Lazarus ubi fuerit in sinu Abraham. p. 35
Leges vestiarum apud antiquos. p. 274
Legio Fulminatrix pluviam impetrat. p. 406
Libanius Sophista linguam Citharæ comparat. p. 338
Locustæ oppidum suffodiunt. p. 261
Lollæ Paullinæ vestes sumptuosæ. p. 280
Luciferi casus per invidiam. p. 237
Luscina in citharam phonasci decens. p. 217
 concertat cum alijs. p. 205
S. Luigardis devota SS. Eucharistiæ. p. 51
Lycaon filium Dijs in epulo apponit. p. 307
Lycurgus Musicam commendat. p. 336

M.

Macarius Abbas cur semper macilentus. p. 359
S. Magdalenæ de rzis amore divino ardens. p. 253
S. Marcus Episc. violatores templi sui castigat. p. 376
 pluviam impetrat Atinensibus. p. 407
B. Marcus de S. Maria, charitatis præco. p. 257
M. Claudius Marcellus Syraculis illacrymatus. p. 133
B. Margarita Ungara devota SS. Eucharistiæ. p. 51
Martius columna apud Saxones. p. 411
S. Martinus in pauperes misericors. p. 39
M. Manilius senatu motus quod uxorem coram filia suaviaffer. p. 300
Mamnea Alexandri mater quomodo filium educaverit. p. 303
Manticora bellua humanæ carnis avida. p. 309
Matrona nobilis plus sollicita de catellis quam filijs. p. 304
Mechopanes pictor quomodo Ocnum pinxerit. p. 68

- Medicorum de febricitibus aphorismus. p. 355
- Memnonis statua vocalis. p. 119. 188
- Mercurius lyrae inventor. p. 338
- Monachus igne viso memor inferni. p. 361
- Moyfi quomodo Deus ostenderit omnne bonum. p. 31
- cuius virga in serpentem versa cur. p. 310
- Moyfes Abbas stultus reputari am- bit. p. 157
- Mures incolas ex Gyaro fugant. p. 261
- Musca Pharaonem castigat. p. 261
- blasphemum ad palinodiam cogit. p. 268
- totos exercitus pellit. p. 269
- in Sicilia morsu necat. p. 270
- in Hispania pestem affert. p. 270
- nulla Herculis fanum ingreditur. p. 272
- eas insectatur Domitianus. p. 263
- N.
- Nabuchodonosor mutatus in be- stiam. p. 151
- S. Narcissus muscis fugat exercitum. p. 269
- Nobilis violator honorum Ecclesiae pun- nitus. p. 331
- Nobilis familia extincta ob fraudatam Ecclesiam. p. 330
- Noë gratus Deo pro beneficijs. p. 192
- S. Nonna nunquam in templo ex- spuit. p. 378
- Nosocomium stultorum Romae. p. 153
- O.
- Ocnus funiculum torquens. p. 69
- Odoacer Herulorum Rex pelli- bus vestitus. p. 280
- Opilius Macrinus susurriones mul- ctat. p. 83
- Otho Salvius Imp. communis boni stu- diosus. p. 23
- Oza punitus propter Arcam appren- sam. p. 329
- P.
- S. Pamphilus Episcopus pluviam suis impetrat. p. 407
- S. Pachomius visa Christianorum cha- ritate mutua conversus. p. 257
- S. Paula Romana vestium luxum con- temnit. p. 287
- Paulus simplex videt arcana animo- rum. p. 345
- Paulus Anachoreta diu discit linguam frænare. p. 251
- Peccator per cantum Ecclesiasticum conversus. p. 347
- S. Petrus in malo consortio lapsus. p. 169
- à Christo edoctus regere. p. 181
- Petrus Telonarius per elemosynam ereptus damnationis periculo. p. 127
- Phalaris infantes vorabat. p. 307
- Philæmon Poëta fabulam daturus o- bit. p. 67
- Philippus Macedo quotidie sibi dici vult: *Homo esto.* p. 314
- Philæmonis villani casa in templum versa. p. 370
- Philosophus citharæ tactu fugat Dem- monem. p. 342
- Philomela Boream fugiens delphinæ dorso insedit. p. 205
- Phoenix in pyra reviviscens. p. 229
- Planetæ causantes pluviam. p. 405
- Plato mundum citharæ comparat. p. 337
- Pompeius Magnus beneficus. p. 23
- ignarus uti victoria. p. 410
- Promethei furtum qui Joyi indicarunt, donati perpetua juventute. p. 228
- Prodigus vivens mortuus. p. 63
- Ptolomæus Rex libri oblari titulum mutat. p. 69
- Pygalenses ob neglecta sacra Cereris fame vexati. p. 400
- Pythagoras mundum concentu con- stare docuit. p. 337
- R.
- Raiolæ Angli pretiosæ crepi- pidae. p. 281
- Ra-

Historico-Mythologicus.

- | | |
|---|---|
| <p>Ranae oppidum suffodiunt. p. 261</p> <p>Raptor atheni conversus per simplicitatem Monachi. p. 323</p> <p>Rhodope maritum nata per crepidam. p. 281</p> <p>Roma morum corruptio otium. p. 142</p> <p>ingemiscit Scipio. p. 134</p> <p>virtutis eos Carthago. p. 142</p> <p>Romani Patres olim pelliti. p. 276</p> <p>quomodo prolem educaverint. p. 302</p> <p style="text-align: center;">S.</p> <p>Salomon per mulieres dementatus. p. 165</p> <p>cur templum aedificaverit. p. 398</p> <p>Sapor Persarum Rex à Muscis fugatus. p. 269</p> <p>Sardonicus risus qualis. p. 138</p> <p>Scipio Africanus Carthagine everfa flevit. p. 133</p> <p>Semelis Aulici Epitaphium. p. 221</p> <p>Sepia in periculo atrorem fundit. p. 360</p> <p>Serica veste uti quibus prohibitum. p. 274</p> <p>Sericum illatum Graeciae sub Justiniano Imperatore. p. 276</p> <p>in Italiam è Graecia. p. 276</p> <p>quale fuerit antiquorum. p. 277</p> <p>Serpentes senectutem exuunt. p. 227</p> <p>nullis in quibusdam regionibus. p. 234</p> <p>Amyclas delent. p. 261</p> <p>ad Solem erecti Symbolum invidiae. p. 235</p> <p>S. Servulus in morbis Deo gratias agit. p. 199</p> <p>Severi Imp. filij patri dissimiles. p. 290</p> <p>Siccitatis magnae exempla. p. 401</p> <p>Sodomae ruinae unde initium. p. 142</p> <p>Soles tres aliquando visi. p. 18</p> <p>Stephanus Papa VI. irreverentiam in templo corripit. p. 377</p> <p>Stratoniceus rider locum in quo plura templa quam homines. p. 380</p> <p style="text-align: center;">T.</p> <p>Tantalus Dijs filium edendum apponit. p. 307</p> | <p>Templorum numerus Romae sub Constantino. p. 383</p> <p>in Japonia priore seculo. p. 384</p> <p>aedificatorum à S. Henrico Imp. p. 384</p> <p>à Jacobo Rege Aragoniae. p. 384</p> <p>& à Regibus Hispaniae. lb.</p> <p>Templi Hierosolymitani impensae. p. 386</p> <p>Terrae simulacrum petens pluviam. p. 400</p> <p>S. Thelica M. pro Martyrio Deo gratias agit. p. 199</p> <p>Theodoricus Rex ad beneficia pronus. p. 13</p> <p>S. Theophilus pro tormentis gratias agit. p. 199</p> <p>Themistocles indoctior habitus, quia Muscae ignarus. p. 336</p> <p>Timotheus tibia Alexandrum impellit ad furorem. p. 337</p> <p>Timon Atheniensis ab odio hominum notus. p. 163</p> <p>Thomas Morus puellam ante speculum stantem corripit. p. 284</p> <p>eius dictum de gratitudine mundi. p. 98</p> <p>deplorat amatores mundi. p. 66</p> <p>S. Thomas de Villanova detractorum osor. p. 88</p> <p>Titus Imp. fufurrones flagellari curat. p. 83</p> <p>Tobias à Deo plus obtinet, quam petat. p. 98</p> <p>Traianus Imp. commune bonum amans. p. 23</p> <p>Trifolium SSS. Triadis symbolum. p. 16</p> <p>Triopthalmos gemma SSS. Triados Symbolum. p. 16</p> <p style="text-align: center;">V.</p> <p>Vaccia Praetorius vivens mortuus. p. 57</p> <p>Vespasianus Imp. osor fufurronum. p. 83</p> <p>Venetias à ruina defendit oratio S. Laurentij Justiniani. p. 418</p> <p style="text-align: right;">VI.</p> |
|---|---|

Index IV.

Victoria quomodo expressa ab anti-	Mag. insignis victoria de Mo-
quis. p. 411	schis. p. 418
Vox SSS. Triadis symbolum. p. 18	
Usurarius sine restitutione mortuus	X
apparet filio. p. 327	Erxes illacrymatus exercitui.
Walteri de Plettenburg Teutonici Ord.	p. 133

F I N I S.

Menda sic Emenda.

PAg. 10. iustit. l. iustus. p. 16. Nam Pater est. l. Nam Pater, Pater est. lb. Triophalinos. l. Triophthalmos. p. 23. sed pro vobis. l. sed te pro vobis. p. 58. quot res. l. quo tres. p. 62. Non habes. l. Nomen habes. p. 67. piscari. Labores. l. piscari, & nihil expiscari. Labores. p. 81. viros aperit. l. vix os aperit. p. 83. linguario flagello. l. flabello. p. 121. per foramen in regnum. l. per foramen acus, quam divitem in regnum. p. 179. fulguri ignis. l. fulgur ignis. p. 193. tenna quædam. l. tenuia quædam. p. 213. confectos vocant. l. vorant. p. 239 quasi innumeret. l. innueret. p. 275. alieno indignum. l. indigum. p. 318. Rædæ sapientes. sapienterq; p. 386. verò mille aureorum. l. verò mille ducentos & octo milliones, ac centum nonaginta sex millia aureorum. p. 405. aufert stillas. l. stellas. p. 406. Mayomannos. l. Marcomannos. Alia prudens Lector excusabit.

